UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


De Orationibvs Iacvlatoriis Libri IV. Ascetici, Seu ad exercitationem spectantes

Balinghem, Antoine de

Antverpiae, 1618

urn:nbn:de:hbz:466:1-51085

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2973.

I VI
7.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IHS

DE ORATIONIBVS IACVLATORIIS LIBRI IV. ASCETICI, Seu ad exercitationem spectantes.

Accessit Thesaurus earundem ex Sacris Literis

Collegij societatis Jesu Pragen.

Auctore
ANTONIO DE BALINGHEM
è Societate IESV.

Apud Hæred. MARTINI NVTI,
et IOANNEM MEVRSIVM.

ANTVERPIAE
Anno M.DCXVIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE

ORATIONIBVS

IACVLATORIIS

LIBRI IV

ASCETICI.

Sive de exercitatione

precationis

Libellus Theologis utilissimus

ex Sacris Libris

Auctore

ANTONIO DE BALMAEDA

Societatis IESV.

Apud Haered. Martini Nutii

et Ioannem Mevrsium.

ANTVERPIAE

Anno M. D. XCII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

RELIGIOSISSIMO

ET PER QVAM REVERENDO

IN CHRISTO PATRI

AC DOMINO

D. BERNARDO

DE MONTGAILLARD

DOCTORI THEOLOGO,

VALLIS AVREÆ

Sacri Ordinis Cistertiensis Abbati longè dignissimo, & Sereniss. Archiducum Belgij Principum Sacro Oratori primario

S. P.

IAm pridem (Religiosissime Præsul) Societas IESV omnem captat tui ornandi occasionem, quam adhuc pro voto suo non inuentam cùm doleret, istam qualem qualem

nacta, arripuit auidè (dum sese melior daret) tum vt aliquam tibi interim grati sui in te animi ob tanta tua in eam merita significationem faceret, tum vt publicum virtuti, quæ tanta in te est, testimonium afferret.

Vir es, vigesque iam inde à prima adolescentia, mundi & carnis inuitamentis valere iussis (quæ quidem tibi vt nobili loco nato plena illecebrarum non defuerunt) in sacra Cistertiensi familia in extrema vitæ omnis, victusque & cultus asperitate; ac plena Christi cruci confixi imitatione educatus, in qua post altiùs iacta religiosæ disciplinæ fundamenta ad eam virtutum omnium perfectionem pertigisti, vt non magis nomine quàm re Bernardum referres; adeò in te eminebat, orandi studium, animi mundities, & castimonia, crucis atque euangelicæ paupertatis amor, obedientia, animi demissio, cæteraque viro religioso digna virtutum ornamenta.

Et

Et quoniam D. Bernardi instar eras, non tantùm opere potens sed & sermone, omnibusque ad dicendum tum naturæ, tum doctrinæ, tum gratiæ præsidiis instructus, moderatores tui super candelabrum adeò illustri lampade collocata te iusserunt ad populum verba facere, quem sanè cùm Aquitania & Gallia Narbonensis, tùm Galliarum princeps ciuitas dicentem calamitosis illis maximè temporibus non semel demirata est; quando & orthodoxos vt maiorum fidem atque aduersus Sedem Apostolicam obedientiam tuerentur constanter confirmabas, & sectariis acre bellum cùm indixisses, illos ipsos virtutis verbo veritatisque profligabas: quæ quidem omnia plurimáque alia à te sunt præstita, dum tibi illo in regno esse licuit securo, donec tempestatis grauitate coactus solum vertere, in Belgiam hanc appulsus es, quæ te sinu magno sanè bono suo excipiens mirata est se in te vno excepisse, & Eliam alterum

Lucæ 24.19.

Matth. 5.15.

Eph. 1. 23.

Eccl. 48.1.

rum, cuius verbum quasi facula arderet, & alterum Paulum, cuius arma militiæ nõ carnalia sed potẽtia Deo.

1. ad Cor. 10.4.

Quis enim te vnquam aut auorum religionem vindicauit acriùs, aut errones nostros insectatus est vehemẽtiùs, aut perditos mores reformauit studiosiùs, aut vitia euellit penitiùs, aut virtutes inseuit altiùs? Testes Bruxellæ & Antuerpia, quibus in ciuitatibus dum te omni laude cumulatum præstas Christi oratorem & legatum, hæreses expugnas, verbi Dei malleo conteris petras, confringis cedros Libani, præparas ceruos, concutis desertum, reuelas condensa, emittis verbum tuum & fluunt aquæ, dum peccantibus iuxtà ac pijs cies lachrymas, illis quidem doloris, his autem deuotionis; adeò vox tua vox virtutis est: adeò eloquium tuum est non modò dulce, sed & efficax & penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animi ac spiritus, compagum quoque ac medullarum.

Hier. 13.29. Psal. 28. 5.8.9. Ps. 147. 18. Ps. 28. 4 Cant. 4.3. Ad Hebręos 4. 12.

Quæ

Quæ cauſa fuit cur te præ cæteris Sereniſſimi Archiduces Principes noſtri, tum principem Oratorem ſuum, tum ſacræ Vallis Aureæ familiæ Præfectum eſſe voluerunt. Et ſanè quem potiùs Aureæ Valli quàm virum verè aureum præficerent aurei ipſi ſapientiſſimique Principes?

Aureum eſt os tuum, alter Chryſoſtomus: aureus ſermo, ſecundus Chryſologus: aurea mens tua, caput enim tuum aurum optimum: opera tua aurea, quia manus tuæ aureæ: nempe à te emptum aurum illud de Apocalypſi ignitum, probatum, vt locuples fieres. Cant. 5. 11. Cant. 5. 14. c. 3. 18.

Summa, ne te ſcribendo teneam, es quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo: ſolidū quidem, quia à ſapientia & charitate purè aureum; ornatum verò, quādo variarū ſplendore virtutum, orationis, pietatis in Deum, temperantiæ, & manſuetudinis nitent tua hæc ſapientia & charitas: quæ omnia & ſingula, vtinam quemadmodum rerum euentus ex- Eccl. 50. 10.

perientiaque confirmat, ita mihi per tuam modestiam liceret fusiùs enarrare.

Quæ eadem (vt & angustiores huiusce epistolę, quibus me coarctatum video, termini) effecêre, vt nihil dicere liceat, de hospitalitate tua, qua nō comiter magis quàm liberaliter & prolixè quosuis accipis summos infimosque.

Nihil de patientia tua raraque animi æquitate in aduersis, siue morbis, qui te frequenter periculi pleniſſimi lecto affigunt, siue calumniis quarum tenebras dum in silentio & spe est
Isa. 30. 15. fortitudo tua, veritatis luce dissipatas penitus, gaudent boni omnes.

Nihil de accenso boni publici zelo tuo, quo (vt cætera taceam) quâ consilio, quâ auctoritate, quâ re, quâ vigilantia & solicitudine, quâ operâ præstitâ non postremas tibi vendicas in Collegij istius Luxenburgensis sectandis procurandisque cōmodis.

Nihil de prudentia tua, cùm ciuili tum œconomica, quam vtramque in

te

te ineſſe ſummam fatentur vniuerſi: & vt ipſi ſileant eam loquuntur tum ordinum Ducatus iſtius Conuentus, in quibus eximia cum prudentiæ conſilijque laude ſententiam dicis: tum Vallis Aureæ res familiaris, quæ ſapienti tuâ adminiſtratione magnũ cepit incrementum, & quod inde fit Religioſorum Deo famulantium numerus, qui per te altero ferè tanto auctior effectus eſt: eam denique prudentiæ laudem ſingularem loquitur eiuſdem familiæ regimẽ tuum tam forte quàm ſuaue, imò veriùs ſuaue fortiter forte, ſuauiter (quod quidem caput eſt rectoris optimi) quo dum attingis à fine vſque ad finem fortiter, & diſponis omnia ſuauiter, nihil eſt quod à tuis ea fortitudine & ſuauitate non impetres; præſertim cùm eos non verbo tantùm ſed & vitæ exemplo, quo in omnibus ipſe præis omnibus, ad ea quæ ſunt religioſi inſtituti prouoces vehemẽter, ſiſque eius ſimillimus, qui priùs cœpit facere quàm docere. Sap. 8. 1. Act. 1. 1.

Quibus sanè rebus id à te perfectum constat, & si antè fuerit Aurea Vallis cui præes, augusto hoc nomine, nunc quidem eodem illa meritissimò sit appellanda.

Thren. 4. 2. Ibi visuntur filij Sion inclyti & amicti auro primo, primo inquam & notæ primæ, quoniam præ illo diuini amoris auro, quo collucent ipsi, sordet aurum obrizum. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro. Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur.

Iob 28. 15. 19.

Iac. 3. 17. Ibi micat aurum sapientiæ veræ illius germanæque, quæ desursum est, quæ pudica, quæ pacifica, quæ modesta, quæ suadibilis, quæ bonis consentiens, quæ plena misericordiâ & fructibus bonis. Ibi spectare licet phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, quas benè longas in nouo illo D. Virginis Mariæ Aspricollis secessu, à te in cœnobio tuo tam operosè

Apoc. 5. 8.

&

& commodè quàm piè & ſapienter exædificato, te præeunte fundunt ſtatis horis filij tui.

Quid plura? verè loquar, tuæ fidei credita familia eſt inſtar arcæ teſtamenti, quam veſtiuit cæleſtis Beſeleel auro mundiſſimo intus & foris. Eſt velut templum Salomonis, in quo nihil erat quod non auro tegeretur. Æmulatur denique cæleſtem Hieruſalem, cuius vel platea ipſa aurum mundum, quòd in familia tua aurea ſint omnia, adeò vt Vallis iſtius etiam glebæ ſint aurum, quandoquidem minima etiam filiorum tuorum opera aurea ſunt, aureoque micant fulgore charitatis. Exodi 37.2. 3.Reg. 6.11. Apoc. 21.21. Iob 28. 6.

Neque verò te aut ſuperſtite aut etiam vitâ functo eſt extimeſcẽdum ne de hac Aurea Valle tua occinatur lugubre illud de Threnis: Quomodò obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? Tam eſt enim præſtans, tam probatum, tam purgatum quod à tua fornace exit aurum, vt Deo dante nulla ſit vmquam temporis c.4.3.

poris iniuriâ obſcurandum, nullâ maculâ offuſcandum, rubigine
Eccl. 44.11. nullâ inficiendum. Relinques ſcilicet aureos virtutum tuarum hæredes, atque hæreditas Sancta nepotes tui, neque aurum tuum æruginabit vnquam, quod quidem opulentis atque auaris fore comminatur D. Iacobus.
6.5.3.

Atque his aliiſque Præſul Religioſiſſime cæleſtia (nè dubita) & verè aurea præmia te manent, quãdo coronâ aureâ caput redimitus
Eccl. 45.14. apparebis & extabis toti orbi conſpicuus: quando quoniam ſapientiæ & doctrinæ fulſiſti auro, eris
Dan. 12.3. ſicut ſplendor firmamenti quod auro ſplendidius lucet, & quia ad iuſtitiam erudiiſti quàm plurimos, eris ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.

Quæ quidem tibi ex animo opto voueoque: vouet item mecum Societas IESV, cuius tu fuiſti ſemper
Eccl. 6. 14. & es etiam modò fautor eximius, protectio fortis, patronus atque a-

cer-

cerrimus defensor, summi in eam affectus creberrima, summæque ac prolixæ beneuolentiæ significatione: eoque factum vt nihil ipsa magis habuerit vnquam in votis quàm luce palam profiteri quantum tanto debeat parenti, atque tot ac tantis eius benefactis aliquam saltem rependere vicem cùm aliud non possit, grati scilicet animi testificationem.

Accipe itaque sapientissime & optime Præsul hoc qualecumque à me memoris animi testimonium. De orationibus iaculatoriis lib. 4. exile illud quidē donum quà meum est, nec satis dignum Valle tam Aurea: sed verè Aureum tum quòd Sanctorum Patrum aureis atque imprimis tui Bernardi verè aureo eloquentiæ fonte manantis sit sententiis refertum: tum quòd ab animo verè aureo sit (absit verbo assentatio) profectum, incenso nempe tui studio, tuique honestandi flagrantissimo.

Deus

Deus Opt. Max. te, Præsul dignissime, in multos annos Aureæ suæ Valli, Societati Iesv, toti denique Reip. Christianæ seruet incolumem. Insulis 6. Ianuarij, Anno 1618.

Admodum Reuerendæ Dominat. tuæ

seruus in Christo humillimus

Antonivs de Balinghem.

CANDIDO LECTORI

S. P.

OCcasio scribendi de iaculatorijs orationibus, ea fuit, (Amice lector:) cùm mihi ad priuatos vsus meos (& fortasse suo etiam tempore ad publicos) sacri vtriusque instrumenti volumina; adhibito breui commentario percurrenti, non paucæ, eæq; præstantes occurrerent breuiter orandi formulæ: cogitabam operæ pretium me facturum, & verè optimo cuique gratum futurum, si eas in varias classes pro varietate eorum quibus piorum mens in Deum fertur affectuum dispertirem.

Et quoniam ea res solitaria, minùs fuisset vtilis, minúsque ad vsum accommodata (neque enim aliud erat id, quàm

quàm orandi materiam ſuggerere) adden-
da videbatur tractatio aliqua, quæ ora-
tionum iaculatoriarum vi, naturaq; vni-
uerſa explicata, earum notitiam omnem
complecteretur.

Ad quod quidem Deo duce aggreſſus
ſum eò libentiùs, quòd ſperabam me ea
re pleriſque (atque adeò mihi ipſi) qui-
bus diutiùs per afflictam valetudinem
orare non liceret, haud parum conſultu-
rum; cum & qua ſeſe ratione ſuauiter ijs,
citráque valetudinis læſionem exerceant,
quamq; præſtabiles id generis exerci-
tatio pariat fructus, magno bono ſuo per-
ſpexiſſent.

Totis autem his quatuor libris (in
totidem enim viſum eſt ratione hanc
diſputationem diſtribuere) ſanctos Pa-
tres, ac Doctores Orbis Magiſtros, ſe-
cutus ſum Duces & Auctores, eorúm-
que teſtimoniis adhibitis ſum conatus
quæ in rem præſentem faciebant, con-
firmare. Cùm enim duo ſint genera
quid probandi; vnum per auctoritatem,
alterum per rationem; in Theologia qui-
dem primas obtinet auctoritas, poſtre-

mas

mas ratio. quod contra fit in Philoſophiâ, quamquam & quas attuli auctoritates, rationibus grauidæ ſunt, argumentorumq́ pleniſſimæ.

Neque verò mihi velim vitio dari, quòd multus ſim in afferẽdis Sanctorum Patrum lucubrationibus: Etenim ſi illos ipſos Eccleſia vniuerſa, Oecumeniciq́ cœtus in rebus fidei diiudicandis, in hæreſum damnatione. in Sacrarũ litterarum explanatione, Magiſtros adhibet (quod quidem multis probare poſſem, ſi id modò ageretur) cur non ijdem ipſi adhibeantur in quæſtionibus morum, in diſputationibus virtutum, atque orationis imprimis, cuius ſanè eximios fuiſſe cultores, vita eorum vniuerſa teſtatum facit? ſi quis iam inde à Chriſto Sanctorum Patrum fuerit ſenſus in credendis, tam ſtudiosè tantaq́ cura exquiritur, cur non item in agendis? Si Diuo Baſilio ſcribere licuit ſe, quæ à Sanctorum Patribus erat edoctus, ea ipſa interrogantibus dare: cur id modò ſi fiat quando nobis poſt tot abillo ſæcula, tot, támque præſtantes viros prouidit Deus, reprehendatur? Atque etiam

In epiſtolâ ad Antiochenã Eccleſiam.

eorum ipsorum attuli verba, consultò quidem & cogitato, tum vt ipsos eò maiore afficerem honore, quò eos Sectarij antiquo more suo excipiunt indigniùs, eorúmque vel simplex nomen execrantur; tum quò maior inesset dictis fides. Quæ ipsas etiam arbitror esse causas, quamobrem passim ab huius æui Scriptoribus pijs de re magis quàm de verbis solicitis idem factitari videamus.

At nihil noui affertur (dixerit mihi quispiam) si & res ipsa & verba à Patribus suggeruntur; quando cuique est integrum ea ipsa penes ipsos legere. Quid tum? quasi verò id sit curandum magnoperè vt noua afferantur. Eadem (monuit̃ est Sanctissimi iuxta ac doctissimi Vincentij Lirinensis aurea illa tractatione de prophanis nouitatibus) quæ didicisti doce, vt cùm dicas nouè, non dicas noua. Nouè autem dicitur, dum quæ à Sanctorum Patrum litterarum monumentis consignata sunt, nouo aptantur modo, & dum ea quilibet suo nouâ quâdam ratione adaptat proposito, inuentionig̃ suæ, atque operi, & tamquam fœtui accommodat.

Itaque

Itaque noua est adaptatio, noua accommodatio, nouus est item ordo, licet res quæ aptantur veteres sint & vsitatæ: ex quâ quoque adaptatione noua cõsurgit gratia, nous splendor, noua lux, noua pulchritudo. Vide mihi Phrygiones, qui licet sericũ, aurum, argentum, margaritas, adamantes, pyropos, quibus artis suæ opera partim contexant, partim distinguant, aliunde mutuentur, nec ea noua sint: At noua est textura ipsa, eorumq; singulorum distributio & ordo, vnde etiam noua species nascitur nouusq; decor. Qua eadem ferè similitudine vtitur etiam Lirinensis, Esto, inquit, ô Doctor quasi Beseleel, & pretiosas diuini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adijce splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponere illustrius, quod antea obscurius credebatur. Quæ quidem ab eo de fidei doctrinâ disputata, cur non meritò ad morum disciplinam accommodata transferantur? Denique ne te adeò nouitas solicitum habeat, quam vix vspiam reperias: quid enim sub sole nouum? Eccles. 1. 10.

„ Terēt. in Eunucho. *Nullum est iam dictū, quod non dictum sit priùs. Et quidem si superioris memoriæ Patrum attentè monumenta euolues, eáque ipsa cum huiusce ætatis Scriptoribus conferes, videbis sanè hos pleraque omnia ab illis deprompta ad suos vsus conuertisse: ita vt vix quicquam sibi in rerum inuentione, inuestigationeq; tribuere possint, quamquam negari nequit eos aliquid etiam de suo ad ordinem, dispositionem, perspicuitatemq; attulisse.*

Neque verò hæc velim superfluè commemorata existimes: tibi enim, tuiq; consimilibus, Lector beneuole, superuacanea vt sint: habent tamen ea ipsa iustam & probabilem causam quamobrem dicātur, quam quidem ex te ipse facilè sine monitore coniicere possis.

Multa porrò hic occurrent, quæ orationi generatim sumptæ aptari possint; est enim Rhetorum præceptio, hypothesim ad thesim reuocari oportere: ad hæc fieri nequit, vt de vnâ aliquâ parte generis, aut de subiecto accidente quopiam affecto differenti, ipsa generis subiectiue natura non sese suâ sponte ingerat atque intrudat:

dat: est autem iaculatoria oratio, aut pars aut accidens orationis: vtrum verò sit è duobus, hîc non disputo, neque verò instituto meo congruit, qui tantùm Ascetica persequor.

Ad dictionem quod attinet, in eâ si non assecutus, at secutus certè sum facilitatem, simplicitatem, ac perspicuitatẽ: dicendi elegantiam atque ornatum, verborumq; flosculos aliis concedens, memor regnum Dei non esse in sermone, neque in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, parumq; decorum esse, vt ad sacra percipienda, grammaticus quæratur interpres: neque clauem quòd lignea sit, & non aurea, idcircò repudiandã (vt præclarè S. Prosper) si modò officio fungatur clauis, & fores ad quod facta est possit reserare, quando nihil quærimus, nisi patère quod clausum est.

1. Cor. 4.20. 1. Cor. 2.4.

Sentẽtia 266

Habes Lector optime consilij mei rationem, quam, quia tibi spero probatum iri, Deo fretus, tuisq; ad eum precibus, ad institutum aggrediar. Vale.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Gallo-Belgica.

SEreniſſimarum Celſitudinum ſuarum auctoritate, ac priuilegio, noſtræ Societati pro libris edendis, decimo Septembris, Anno 1612. Bruxellis conceſſo; Ego Ioannes Herennius, Societatis IESV in Prouinciâ Gallo Belgicâ Prępoſitus Prouincialis, concedo heredibus Martini Nutij, & Ioanni Meurſio, Typographis Antuerpienſibus facultatem excudendi libros quatuor De orationibus iaculatoriis, Auctore Patre Antonio de Balinghem, Societatis noſtræ Theologo. In cuius rei fidem, has literas, manu meâ ſubſcriptas, & ſigillo officij mei munitas dedi, Inſulis, 6. Iulij. Anno 1617.

Ioan. Herennius.

APPROBATIO.

HAec de Iaculatoriis orationibus tractatio, per libros quatuor distincta, studio & pietate R. P. Antonij de Balinghem è Soc. IESV: *vti argumentū longè vtilissimum cuiuis hominum generi pertractat: ita admodum vtiliter, magno Christianæ Reipub. bono prælo committetur. Datum Antuerp. Non. Martij* CIↃ.IↃCXVII.

Laurentius Beyerlinck Archipresbyter,
& Censor librorum Antuerp.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ. &c. Serenissimi Belgarum Principes diplomate suo sanxerunt, ne quis *libros IV. De orationibus iaculatoriis, auctore R. P. Antonio de Balinghem, Soc.* IESV, præter voluntatem hæredum Martini Nutij, & Ioannis Meursij Typographorum Antuerpiensium, vllo modo in Belgio intra sexennium excudat, aut alibi excusos in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalesq; habeat. qui secùs faxit, confiscatione librorum & alia graui pœna multabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 27. Aprilis anno 1617.

Signat

Steenhuyse.

INDEX CAPITVM

LIBRI PRIMI.

CAP.I. EArum natura & cur vocentur iaculatoriæ. fol.3.

CAP.II. Cur dicantur aſpirationes, quatuorque huius cauſæ. 8

CAP.III. Quinta cauſa cur vocentur aſpirationes. 15

CAP.IV. Earum materia. 21

CAP.V. Proſecutio ſuperioris capitis. 26

CAP.VI. Quænam è ſupra memoratis frequentiùs oranti adhibendæ, & de oratione Dominica. 36

CAP.VII. Frequentanda his precatiunculis memoriapeccatorum. 40

CAP.VIII. Quid à ſanctis Patribus traditum de ſuperioris capitis doctrinâ. 47

CAP.IX. Quo fructu frequententur hæ aſpirationes circa peccata. 57

CAP.X. Admodum Deo gratas eſſe aſpirationes circa peccata probatur exemplo. 67

CAP.XI. Quæ ex iaculatorijs extra dictas yſurpandæ crebrius. 74

CAP. XII. De laude Dei & gratiarum actione per orationes iaculatorias frequentandis. 81

CAP.XIII. De nonnullis aſpirationibus cæli-

cælitus inſpiratis frequentandis. 96
CAP. XIV. De frequentanda aſpiratione, quæ fit oblatione ſacratiſſimæ hoſtiæ. 166.
CAP. XV. Pauculas aliquot de ſupradictis aſpirationibus cuilibet deligendas, neque earum varietate gaudendum. 120
CAP. XVI. Quibus oporteat concipere verbis haſce aſpirationes commendaturque frequens vſus verſiculi: *Deus in adiutorium meum intende.* 128
CAP. XVII. Statas cuilibet ſuas eſſe oportere orationes iaculatorias: & quando iis ſuperſedendum aliis adhibitis: item quàm variis modis Deus mentem ad ſe trahat. 138

LIBRI SECVNDI.

CAP. I. Omnibus omnino conuenire hoc orandi genus, alias tamen orationes aliis conuenire. 159
CAP. II. Negotioſis hominibus frequentandas orationes iaculatorias. 172
CAP. III. Calamitoſis ærumnoſiſque crebrò ad Deum aſpirandum & quomodo? 176
CAP. IV. Quomodo ægris corpore maximèque quibus ſalus eſt deſperata, ad Deum aſpirandum. Ac primùm de con-

tritione & fide. 190
CAP. V. De aſpirationibus à ſpe & charitate. 200
CAP. VI. Quomodo imminente morte aſpirandum. 215
CAP. VII. Quinam his oratiunculis compellandi. 225
CAP. VIII. Eorum quæ proximè dicta ſunt de cæleſtium inuocatione praxis. 234
CAP. IX. Pro quibus fundendæ ſint preces iaculatoriæ. 237

LIBRI TERTII.

CAP. I. Orandum ſemper ex Chriſti Domini præſcripto & Sanctorum, & quomodo id accipiendum. 249
CAP. II. Chriſti Domini ſeu præcepto, ſeu conſilio hiſce orationibus iaculatoriis fieri ſatis. 252
CAP. III. Cur neceſſe eſt frequẽtes eſſe in hiſce ad Deum aſpirationibus ex Ambroſio, Auguſtino & Cypriano. 260
CAP. IV. Quid ſancti Leo, Gregorius, Bernardus, Bonauentura & Laurentius Iuſtinianus de ea ipſa re ſentiant. 265
CAP. V. De neceſſitate creberrimè orandi ex mente Græcorum Patrum. 272
CAP. VI. De crebritate orationum iaculatoria-

toriarum quanta ea esse debeat. 279
CAP. VII. Vberior & magis practica explicatio eorum, quæ de horaria aspiratione dicta sunt. 288
CAP. VIII. Superioris capitis prosecutio. 297.
CAP. IX. Alia quædam ratio horariæ orationis ex Christi passione deprompta, quâ singula suis quæque horis in ea gesta redduntur. 306
CAP. X. De particularibus Christi perpessionibus ad horarias aspirationes accommodatis. 311
CAP. XI. Vita Christi Domini horariis aspirationibus aptata. 319
CAP. XII. Nonnullæ aliæ rationes in horas singulas aspirandi compendio traditæ. 322.
CAP. XIII. Alia quædam ratio horariæ aspirationis longè facillima, quæque non tam oratione quàm actione perficitur. 326.
CAP. XIV. Responsio ad eos qui quominùs id præstent, occupationes suas causantur, temporisque dispendium. 333
CAP. XV. Responsio ad eos qui subuerentur, ne si mentem breui precatiuncula ad interna reuocent, excidant numquam reditura, quæ in rem præsentem faciebant. 343

CAP.

CAP.XVI. Responsio ad eos qui memoriam incusant bonâ aliàs præditi voluntate. 351

CAP.XVII. Responsio ad eos qui opponũt se in huiusmodi aspirationibus exiguam percipere oblectationem aut sensibilem deuotionem, solaque ferè consuetudine ductos eas obire. 361

CAP.XVIII. Iisdem respondentur & alia quædam. 375

CAP.XIX. Responsio ad eos qui queruntur defectum attentionis. 383

CAP.XX. Quis locus breuioribus hisce orationibus sit adhibendus. 391

CAP.XXI. Quis situs, habitúsve corporis sit in aspirationibus ad Deum seruandus. 399

CAP.XXII. Sintne huiusmodi orationes, voce an mente tantùm perficiendæ. 403.

LIBRI QVARTI.

CAP.I. De tribus orationum iaculatoriarum effectis. fol.407.

CAP.II. Fusior explicatio tertij effectus, & vtrùm orationes iaculatoriæ minùs mereantur, quia breuiores. 410

CAP.III. De aliis earum sed secundis effectis, ex Græcis Patribus. 425

CAP.

CAP. IV. Prosecutio superioris capitis ex Patribus Latinis. 430
CAP. V. Quibus externis præsidiis opus habeant orationes iaculatoriæ vt benè fiant. 438
CAP. VI. De internis earumdem præsidiis. 448.
CAP. VII. Quibus externis rebus impediantur. 461
CAP. VIII. De iis quæ ab interiore causa ortum habent. 469
CAP. IX Epilogus ad laicos. 480
CAP. X. Epilogus ad Ecclesiasticos. 506
CAP. XI. Epilogus ad Religiosos. 524.

Index S. Aspirationum ex sacris litteris.

Admiratio. 555
Amor diuinus. 557
Auxilium diuinum. 558

Beatitudo. 560
Bellum. ibid.
Benedicere. 561
Beneficium. 564

Calumnia. ibid.
Castitas. 565

Chri-

Christus Dominus. 566
Cogitatio. 570
Consolatio. ibid.
Consortium. 572

Deuotio. ibidem.
Deus. 573.

Ecclesia. 576
Eucharistia. 577
Examen diuinum. 578.

Fides. 579
Fortitudo. ibid.

Gaudium. 580
Gloria cælestis. ibid.
Gratia Diuina. 582
Gratiarum actio. 584.

Homo. 587
Hæresis. ibid.
Humilitas. 588.

Infirmus. 590
Impij. ibid.
Ira diuina. 592
Iudex. Iudicium diuinum. ibid.
Iudex. Iudicium humanum. 593.

Lachrymæ. ibid.

Læti-

Lætitia. 594
Laus Dei. 595
Lex Dei. 605
Lingua. ibid.
Lumen diuinum. 606

Mandata. 607
Maria virgo sanctissima. 611
Misericordia diuina. 612
Morbus. 614
Mors. ibidem.
Mundities. 617

Oratio. ibid.

Passio Christi. 623
Patientia. 626
Pax. ibid.
Peccator, peccatum. 627
Perseuerantia. 631

Resignatio. 633
Resurrectio. 634

Salus animæ. 635
Sanitas. ibid.
Sapientia. ibid.
Spes. 636
Spiritus Sanctus. 638
Superbia. 641

Tentatio. ibid.
Terra. 643

Timor Dei. 644
Tribulatio. ibid.

Verecundia. 649
Victoria ex hostibus. ibid.
Vindicta diuina. 651
Virtus. ibid.
Vita. 652.

Zelus. 653



DE ORATIONIBVS IACVLATORIIS LIBRI QVATVOR

ASCETICI.

QVoniam tota hæc disputatio, his ferè continetur terminis, nimirum explicatione principiorum, accidentium, effectorum, rerumque illarum, quibus aut iuuantur, aut impediuntur iaculatoriæ orationes; idcirco nobis principiò de earum causis tum interioribus, forma & materia, tum exterioribus, efficiente & fine erit agendum. Deinceps de earum accidentibus & qualitatibus, tempore, loco, situ habituque in ijs tenendo. Ad hæc

de effectis tum principibus, tum secundis. Tandem de earum adiumentis impedimentisque tam intrinsecus quàm extrinsecus: quorum quidem omnium explicatione ita constat hæc tractatio, vt & sine illis manca, & si quid præter hæc addatur, superuacanea videri possit.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Earum natura, & cur vocentur iaculatoriæ.

QVÆ de orationis natura, à SS. Patribus tradita sunt, ea non tam videntur afferenda (quoniam omnium sermone trita) quàm non omittenda. Damasceno quidem, Oratio est ascensio mentis in Deum vel petitio decentium à Deo. Augustino autẽ est ascensio animæ de terrestribus ad cælestia; inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium. Atque alia alij de oratione in eandem sententiam ferè. Quæ quidem si vlli ex varijs supplicandi formulis quibus in Deum fertur mens hominis conuenire videntur; ea sanè sibi præcipuo quodam iure suo vendicant orationes iaculatoriæ, quibus non ascendit modò in Deum pij cuiusque animus, verùm imitatione sponsæ inter ascensum etiam currit, in odorem scilicet vnguentorum eius. Neque verò eo contentus tamquam tardiore motu, & remissio-

l. 3. de fide c. 24.

Serm. 230. de temp.

Cant. 1. 4.

re (adeò feruet, nullaſque patitur moras incenſa eius adhærendi ei cupiditas) ſibi etiam poſtulat cũ Propheta dari alas columbæ, quibus perniciſſimo volatu ad eum feratur, in quo vno requies, extra quem non niſi labor, & dolor, & afflictio ſpiritus.

Pſalm. 54 7.

Parum dico in rei dignitate, nulla exiſtit volucris, non columba, non aquila, non hirundo, quibus pernicitatis palmam indulſit natura, quas non volando, longo poſt ſe relinquant interuallo, tantaque emetiuntur celeritate, quidquid eſt ſpatij cælum inter & terram ſeſeque ipſæ Deo ſiſtunt, vt omnino nihil ſit quod cùm tanta velocitate valeat conferri. Atque hinc quidem factum vt à iaculo nomen ſint ſortitæ, quod à forti brachio, validiſque intortũ lacertis & emiſſum, incredibili fertur in eam partem rapiditate quò dirigitur, nec modò fertur, verũ magna vi penetrat etiam, & obuia quæque perrumpendo euincit, vt ſibi facilé paret viam: Ad eundem planè modum tanto emittũtur impetu iſtiuſmodi orationes, vt nihil ſit quod non peruadant, vt veriſſimè dixerit Sapiens;

Eccl 35. 21. *Oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit & donec propinquet non conſolabitur, & non diſcedet, donec aſpiciat Altiſſimus.*

Quis hîc orationis efficacitatem non demiretur, cui diuino oraculo, principiò tribuitur aëris nubiumque penetratio, tum aſcenſus

sus supra eas, vt neque summa altitudine iter eius, neque aduersis nubibus impediatur: Neque verò ei sit satis, nubes superasse; omnino cõtendit etiam Deo propinquare, Deo inquam, qui cælestia cuncta transgreditur, adeò vt nullam admittat cõsolationem, nec desistat priùs magno clamore interpellare, quàm ad eum accesserit. Sed neque ea re cõtenta est, vrget porrò, premit, sollicitat, nec ab eo vel latum discedit vnguem, donec votis suis fiat satis. Euincit tandem, eiúsque postulatio pronis auribus exauditur, quod ipsum est à Sapiente his expressum verbis. *Et Dominus non elongabit, sed iudicabit iustos, & faciet iudicium, & fortissimus non habebit in illis patientiam.* Nempe orationes hæ iacula sunt quæ feriunt atque adeò vulnerant cor Dei, & ad ipsum molles sibi aditus parant. Versu 22.

Vulnerasti cor meum (exclamat cælestis spõsus) *soror mea sponsa vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum & in vno crine colli tui.* Videre est sanè eum, cui propositum est iaculum collineare aliquò, aut sagittam quemadmodum id probè vt faciat, scopumq; attingat, alterũ oculorum claudere consueuit, ne adhibito vtroque distrahatur, & in diuersa rapiatur oculorum acies. Idipsum oranti facitandum tum innuitur satis à sponso, tum suadetur à rerum diuinarum peritis: claudendus quippe est alter oculus, ne humana- Cant. 4. 9.

rum rerum intuitu mens interpellata, huc illucque cogitatione diuagetur, atque proposito sibi fine excidat atque frustretur. Alter autem quo spectantur cælestia, est aperiendus, quo vno duce, & attingitur scopus, & vulneratur cor sponsi.

At vulneratur etiam vno crine colli, quē non absurdè has orationes interpreteris: Quemadmodum enim vix ille nimiam ob gracilitatem apparet; sic & hæ, quoniā momento ferè existunt, disparent citiùs quàm percipiantur. consultò cęteræ excidunt analogiæ & comparationes, oculum inter crinesque ex altera parte, atque orationem ex altera. Ea tamen non videtur omittenda, quam suggerit non ignobilis scripturæ interpres. Quemadmodum (inquit) qui se libidinoso depereunt amore, ab oculorum argutijs, mutuisque obtutibus, & ornatu capillorum incenduntur maximè: ita vix ferè aliud, diuino conciliando amori, æquè est efficax, atque oratio, eòque magis, quò ea breuior est, feruidior atque vehementior, quales sunt hæ nostræ iaculatoriæ. Quas ô vtinam, vel cælestis amoris flammæ, nostris in præcordijs excitandæ & augendæ, vel dæmonum in nos furori cohibendo, vel eorum denique districtis gladijs in iugulum nostrū retinendis frequentiùs adhibeamus. Iacula sunt (mihi crede) quibus omnia tela nequissimi

Franc. Titelmanus.

Ephes. 6.16.

simi ignea extinguuntur. Oratio frequens (ait mellifluus Bernardus) diaboli iacula submouet: Quis det iugiter mentis arcum habere contentum, memoriæque pharetram harum sagittarum plenam? sagittæ sunt salutis Domini & sagittæ saluris contra Syriam (dæmonem accipe) percutiesque Syriam donec consumas eam. Similes sunt earum quas peritissimus sagittandi Ionathas adhibebat, numquam abeunt retrorsum, numquam ictu irrito excutiuntur ab arcu, semper in eam feruntur partem quò à sagittario diriguntur; modò quidem in corda inimicorum regis (vt loquitur psalmographus) modò verò in cor sponsi vt modò vidimus ex canticis: illos vt destruat, dissipet & perdat, hunc vt benevolum, amicum, propitiúmque efficiat. Ad summam sagittæ sunt electæ (vt Euangelici Prophetæ vtar verbis) absconsæ in pharetra Domini; quas quidem quibus visum est impertit gratis, cum orationis donum, vt & cæterarum virtutum, desursum sit, descendens à Patre luminũ. Quos vult ipse lætificat in domo orationis suæ. Ipse qui introducit in cellaria & in cellam vinariam. Ipse est qui inebriat ab vberibus consolationis suæ. Ab eo itaque frequentibus cordis suspirijs iteratisq; votis donum hoc imprimis petendũ: *Si enim Dominus magnus voluerit* (ait Sapiens) *spiritu intelligentiæ*,

lib. de modo viuendi ad sororem c. 49.
4. Reg. 13. 17
2 Reg. 122.
Psalm. 44. 16.
Isai. 49. 2.
Iac. 117. Isa. 567. Cant. 13 Cant. 24.
Eccl. 39. 8.

gentiæ replebit illum (iuſtum ſcilicet) veramque illi, non adumbratam conferet ſapientiam, cuius quidem fructus at tãmquam fœtus eſt, non communis tantùm atque vſitata oratio, ſed altiſſima diuinarum rerum, atque earum quæ ſenſus fugiunt contemplatio cognitioque. Atque hęc de ratione nominis quo orationes hæ, communiori appellatione ſunt notatæ.

CAPVT II.

Cur dicantur aſpirationes, quatuorq; huius cauſæ.

VARIÆ poſſent, & multiplices illius nomenclaturæ ſtatui cauſæ, perſequar præcipuas, maximéque obuias. Ac primùm quidem ita vocari cenſeo, quod per eas optimi cuiuſque mens aſpirat, anhelat & pertingit ad Deum, ſummum & infinitum bonũ, non minori ſanè cupiditate quàm ceruus vel à canibus agitatus fatigatuſque, vel deuorato ſerpente maximè ſitiens, anhelare ſolet ad fontes, vt meritò prophetæ ſuccinẽs, prorumpere is poſſit in has voces. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarũ, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Deinde cùm per eas aſpiret Deus bonam

Pſ. 41. 1.

bonam mentem hominibus, variaq; earum inteructu ijs impertiat charismata, fidei, spei, amoris, cæterarumque virtutum, cur non iure vocentur aspirationes? Ad hæc iis ipsis aspiret laboribus & conatibus nostris, qui quidem ad eius gloriam suscipiuntur & exercẽtur, id est, faueat, adiuuet atque promoueat. Et quemadmodum existit quædam terrarũ aspiratio (vt ait Tullius) id est vapor tenuior, quem emittunt ex se atque efflant sursum in aëra, ex quo & constant nubes, & generatur imber, & impressiones meteorologicæ oriuntur sexcentæ. Sic & orationes hæ, sunt quædam veluti aspirationes, exhalationes, efflationesque cordis nostri, quæ ad Deum in sublime tendunt ac pertingunt. l. de diuinatione.

Quod quidem mihi ad mentem reuocat sacræ Apocalypsis locum illustrem, quo sanctorum orationes, vocantur odoramenta. Meminit eo loco D. Ioannes, cecidisse coram Agno in facies suas seniores quatuor & viginti (hoc est primarios quosque cælestis aulæ principes) habuisseque singulos, singulas cytharas ac phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt (inquit) orationes Sanctorum. Quàm appositè iuxta ac verè cum odoribus & aromatibus æquatur oratio? Quorum quidem tenuior substantiæ pars, si incalescat maximè, euolat sursum: oratio c. 5 8.

verò Spiritus sancti igne succensa, nubes ipsas penetrat, Deoque se momento sistit. Atque hinc existit illud regij vatis. *Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Psalm. 140.2. Fac, inquam, vt sicut aspiratio, & thuris suffitus, ad tui venerationem in altari excitatus in altum subuolat; sic & oratio mea ascendat feliciter, ante conspectum tuum: & quemadmodum quod super altare aureum intra sacratiora adita, sanctáque Sanctorum, tibi incenditur thymiama, longè est gratissimum; sic & oratio mea, quæ instar incensi ex corde meo tamquam altari euaporat, tibi placeat, acceptáque sit. Accipe & aliam analogiam; Suaues odores id præstant, tum ne vitiatæ ingratis odoribus auræ, tum ne loca graueolentia offendant; eóque odoramenta, aromatáque ijs adhibentur, vt qui ab iis efflatur gratus vapor, tetrum illum, grauem atque fœdum consumat: sic proborum orationes pro improbis fusæ, hoc demum consequuntur, vt iucundo earum odore diuina allecta bonitas, tantum abest vt eos perdat, funditusque deleat, vt parcat etiam, atque in gratiam receptos, variis augeat donis. Neque ingratam spero hanc tertiam fore, quamquam parum à superiori dissentientem. Quemadmodum res odoriferæ magnoperè sensus recreant; sic ex piorum orationibus incredibilem Deus Opt. Max.

Max. beatæque mentes accipiunt voluptatem, multóque maiorem quàm nos ex nardo, croco, fistula, cinamomo, & vniuersis lignis libani, ex myrrha & Aloë cum omnibus primis vnguentis. Eoque fit vt huiusmodi odorem, absque intermissione, ex terra in cælum, tamquam suaueolentia aromata deferant Angeli, cùm vt eorum iucundissimo sese afflatu recreent, tum vt eiusmodi thure Deum colant atque venerentur. Cuius quidem rei cùm faciat fidem Raphaël cæleſtis nuntius, de ea certè dubitare sit nefas. Quando (inquit ille ad Tobiam) orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino. Quò etiam spectare videtur, quod de Noë sacrificio sacræ produnt litteræ. Odoratusque est Dominus (inquiunt) odorē suauitatis. Et quod in Leuitico de sacrificijs eò loco prescriptis, inculcatur identidem hisce verbis; oblatio est suauissimi odoris Domino. Atque vt vnde digressa est, redeat oratio, non sic debet abire quod superiùs B. Ioannes, de cæleſtis huius odoris receptaculo tradit: concludebantur siquidem orationes illæ phialis aureis, quo tum earum pretium non vulgare (aurum namque metallis & dignitate & vsu longè præstat) & commodior vsus indicatur; nempè vt naribus (humano enim more loquendum) adhiberentur faciliùs, gratoque earum odo-

Cant 4. 31.14.

c.12.12.

Gen. 8. 21.

c.13.& 17.

re

re reficerentur frequentius: quod si eæ vasis maioribus contentæ essent, pondus sanè eorum & moles, vsum hunc, commoditatemque denegassent. Ad extremum hisce phialis, quæ parum capiunt liquoris, angustoque sunt orificio, non obscurè delineare videtur B. Ioannes iaculatorias orationes, quòd eæ perbreues sint & fugacissimæ, & ferè tantùm momento subsistunt. Atque etiam si Gregorio credimus, illæ ipsæ significantur virgula illa fumi apud Salomonem, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, vniuersíque pulueris pigmentarij. Fumus (inquit) ex aromatibus, compunctio est orationis, concepta ex virtutibus amoris. Non virga autem sed virgula dicuntur, vt potissimũ breuiores hæmentis aspirationes adumbrẽtur. Verùm illud non omittendum, quod iterum D. Ioãnes habet de hisce odoramentis, eorumque aspirationibus & euaporationibus. *Et alius* (inquit) *Angelus venit & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum Dei & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli corã Deo.* Cõmuni omnium ferè sententia receptum est, non esse Angelum istum, vnum aliquẽ vulgarem, neque verò vnũ de septem illis principibus, qui throno Dei adstant iugiter, præcipui

Homil. 21. in Ezech.

Cant. 3. 6.

c. 8. 3 4.

cipui diuinæ iustitiæ administri; sed esse ipsummet Christum Dominum, quem quidem sacræ litteræ non semel Angelum compellant, quod Patris sui nomine legatione functus sit ad homines. Apparet verò Sacerdotis personam referens, vt eius pro nobis apud patrem intercessio detur intelligi: danturq; ei incensa multa, id est electorum omnium orationes (analogiã has inter & illa diximus superius) quod orationes Ecclesiæ per summum Pontificem Christum Deo offerantur. Et quoniam Christi intercessio, longè Patri gratissima accidit, idcirco subijcitur, ascendisse fumum incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli, coram Deo.

Malach. 3.1.
Isa. 9.6.
Heb.13. 13.
Hebr.7. 25.

O pretiosos sanè & eximios odores, quos solus Christus summus Pontifex dignus habitus est æterno Patri suo adolere, & offerre? ô suaues orationum aspirationes, quæ aërem cælestiaque ipsa corpora supergressæ mira velocitate ad Deum perueniunt, quarum quidem gratissimo attractus odore & delinitus, iram ponit, peccata condonat, omnisque generis charismata mortalibus indulget! Quid his maius potuit, ô sacri orationum odores, à sacro propheta ad vestri commendationem afferri? Qui vos incendit, cuique incendimini vterque Deus est: quo vtitur thuribulum, aureum est: ara super

Exodi 30.3.

Exodi 27.2. per quam itidem aurea (neque enim erat hocaltare holocausti quod quidem æneum, verùm thymiamatis quod aureum) & in conspectu altissimi posita: qui à vobis afflatur sacer fumus, immensa aëris cæliq́ue præteruectus spatia, nusquam consistit, donec sese det in conspectū Dei, eumq́ue grauissimis offensum mortalium flagitijs placidum iis ipsis ac beneuolum reddat. Digna omnino sunt hæc præstantia vestra & valore, qui quidem est suprà æstimationem omnem. Cui sanè non adæquabitur aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri. Excelsa & eminentia non memorabuntur in comparatione eius. Non adæquabitur ei Topazius de Æthiopia, neque tinctura mundissimæ componetur. non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel saphiro. Tanti scilicet sunt hi odores, vt nihil cum earum pretio æquandum videatur, hæ inquam aspirationes sacræ & orationes, quæ (vt ad odorem redeam) fragrantia sua, longè omnia latéque complent, vt iis illud de Canticis non ineptè accommodari queat. Emissiones vestræ, paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus cipri cum nardo, nardus & crocus.

Iob. 28. 27.

Versu 15.

Cant. 4.13.

crocus. O felicem illum cuius diuini amoris igne ſuccenſus animus, haſce continenter emittit aſpirationes & cæleſtes vapores: felicem inquam atque adeò feliciſſimũ qui ſuper arca cordis ex voluntatis thuribulo, odoramenta hæc Deo miniſtrat: quorum quidem odore ſuper omnia aromata fieri id non poteſt, quin ab eo cumulatè (quando ei ſunt acceptiſſima) impetrat vniuerſa referátque etiam ſupra ſpem & vota ſua. Cant. 4. 10.

CAPVT III.

Quinta cauſa cur vocentur aſpirationes.

TRADVNT artis medicæ periti, naturam, id eſt Deum Opt. Max. eius auctorem, cordi tribuiſſe (quòd immenſo quodam caloris æſtu, quodammodo efferueſcat (certam facultatem cientem, perpetuiſque motionibus agitãtem: qua quidem agitatione, tum aërem idoneum refrigerationi ad ſe rapit, tum à ſe excrementa fuliginis plena expellit. Conſtat autem huiuſce facultatis exercitium, cordis & arteriarum pulſatione, quæ duplici perficitur motu; diaſtole quidẽ, qua ſeſe arteria diffundit vt aërem attrahat; ſyſtole verò, qua ſe contrahit, & in ſe ipſa con-

consîdet, vt noxia extrudat. Sed quia cor ingenti calore tamquam flamma exardescens, non satis poterat aptè, sola arteriarum pulsatione subsistere & conseruari, maioreque aliquo adminiculo, refrigeratioque indigebat; idcirco natura illi admirabili sollertia flabellū prouidit, quod quidem ijs in animalibus, quæ sanguine multo & calore æstuant, sunt pulmones; in cæteris porrò frigidioribus atque exanguibus, cuiusmodi sunt pisces, branchiæ. Neque verò aut ab instituto alienum, aut iniucundum fuerit, quemadmodum illud ipsum quantaque arte perfecerit natura paucis complecti. Cùm itaque ardoris quasi incendio cor flagrat, neque ei sua pulsatio & agitatio satis est, ad cōgruam refrigerationem, tum ipsum, pulmones atque ipsam sentiendi vim premit, stimulat atque excitat ac necessitate quadam id perficit, vt mouendi vis diaphragma (Latini septum vocant transuersum) & thoracem, huicque annexos pulmones crebrò tollat, deprimatque. Vide mihi hîc naturæ admirabilem industriam, dum enim pulmones attolluntur, in eos tamquam in follem spiritus adducitur, qui idem redditur & emittitur cùm deprimuntur, & concidunt in sese: prior motus vocatur inspiratio, posterior expiratio: priore quidem, frigidior hauritur aër, qui celerrimè intima quæque pene-

penetrat, iisque (præcipuè cordi) refrigerationis cõmoda subministrat: posteriore verò purgatur cor, ab eóque fumosa excremẽta propelluntur: ex vtroque autẽ motu conficitur integra respiratio, seu aspiratio, ita animantibus necessaria, vt sine ea vix momento subsistere possint, quin suffocentur. Omnino idem vsu venit vitæ illi, quæ vt sola vera vita est, ita & dici debet: Illi inquam qua Deo & rectæ rationi viuitur: sine qua nulla est vita.

Quis non quotidie inuitus licet experitur quanta vis sit ignis illius quem progenitores nostri in sinum & intima quęque viscera iam inde ab ortu nostro iniecere? Ah quomodo quamque crudeliter depascitur & exedit ipsos artus, & penitissimos cordis recessus, nisi frigidioris auræ beneficio nimius eius ardor hebetetur? Quis nõ miretur ipsum Paulum quamquam vas electionis & Deo imprimis charum, sensisse tamen huius ignis, concupiscentiæ, inquam, impetum & ardorem: nec sensisse modò, sed & ipsum grauissimis hisce verbis questum esse. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quid quæso est aliud hæc lex membrorum dissidens à lege mentis, quàm ignis concupiscentiæ, qui sua vi hominem Rom. 7. 23.

quò non vult abripit, nec patitur ire quò vult, agítque illum transuersum, & præcipitem in deuia & auia quæque, quasi quodam
Iob. 31. 12. œstro percitum? & vt Iobi verbis vtar. Nonnè ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina? Sed temperat hunc ignem, eiusque ardorem mitigant frequentes ad Deum aspirationes, quibus mens nouum quasi ad se trahit aërem, & rorem gratiæ cælestis. Itaque quod respiratio corpori & cordi, multo id ipsæ excellentiùs præstant animo.

Atque vt à B. Paulo non longiùs abeamus, quid ab eo factum quando se vehementiùs acriusq; hoc igne interiùs torreri & torqueri sensit? An non respirat, aspirat, orat denique vt nouũ hauriat spiritum? *Propter quod ter Dominum rogaui* (ita enim loquitur) *vt auferetur à me*: noxius scilicet hic ardor, quem hoc loco stimulum carnis appellat. Ternario autem numero significatur phrasi Hebręa multa oratio, quæ quidem ab Apostolo tot & tam grauium negotiorum multitudine obruto, atque in totius orbis salutem die noctęque grauiter incumbente commodiùs fieri non potuit, quàm iaculatorijs hisce orationibus iteratis, & frequenti aspiratione ad Deum.

Iam verò quis adolescentes Hebræos in Babylonicam illam fornacem inaudito crudelita-

delitatis & immanitatis exemplo coniectos, illam inquam vnde effundebatur & erumpebat flamma nouem & quadraginta cubitis, illæsos seruauit? Quis excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, vt ignis eos omnino non tangeret, nec quidquam molestiæ inferret? Nonne oratio? Nonne frequens ad Deum aspiratio: Omnino ita res habet: non alia ferè suppetit ratio, interiorem medullarum ardorem si non restinguendi, saltem refrigerandi, quàm frigidioris aëris immissione, qui frequēti aspiratione & oratione haustus, & in vitalia demissus, vim ignis nobis innati ita cohibet, ne grauem perniciem afferre possit. *Os meum aperui* (canit cælestis vates) *& attraxi spiritum*: cùm sentirem (inquā) me ab interiore æstu tantùm non suffocari, & tanto malo medicinam quærerem, mihi in mentem venit os aperire, & orare. Aperui itaque os, felici sanè exitu, attraxi namque spiritum, hausi puriorem aërem, quo mentis ardor, qui mihi antea incendium minabatur, ferè ex toto sese remisit.

Daniel 3. 50.

Ps. 118. 131.

Atque ex his intelligitur quamobrem sit inditum breuioribus hisce orationibus nomen aspirationum. Conficitur item frequētissimum earum vsum esse oportere nec rariorem, quā respirationis. Quemadmodum igitur in singula momenta respiramus, no-

uumque per aſperam arteriam ſpiritum excipimus, ne cor à nimio æſtu ſuffocetur; ita ad temperandum interioris ignis ardorem; & concupiſcentiæ feruorem compeſcēdum ne commedat ſpecioſa deſerti, & ſuccendat omnia ligna regionis: hoc eſt ne animi virtutibus exitium ferat, perfamiliaris & continuus ſit oportet harum aſpirationum vſus, vt non immeritò ſcripſerit Gregorius cognomento Theologus, non tam ſæpe debere nos reſpirare, quàm Dei meminiſſe; ſed de hoc aliàs.

Ioel 1. 19.

In 1. oratione Theologica.

Interim ſibi quiſque dictū putet illud Dauidis, *dilata os tuum & implebo illud*. Noli mærere fili, noli queri quaſi non ſit reſina in Galaad, & conſiliarius non ſit tibi. Inſolens fortè aliquis tentationis ignis venas populatur, nec requiem vllam indulget, oppreſſuſq; gemis ſub pondere variorum dolorum, & ærumnarum: en tibi in promptu remedium: dilata os tuum & implebo illud, tantùm aperi fauces. Quid hoc facilius? reſpira. Quid magis in tua poteſtate? ora, pateat aditus ad viſcera tua, ne dubita, complebo illa rore cæleſti, aëre ſalutari, aqua hauſta de fontibus Saluatoris, cuius vel ſolo conſpectu flamma omnis quamlibet accenſa opprimitur, momentoque extinguitur.

Pſal. 80.

Hier. 8. 22.

Eſaiæ 12. 3.

CAPVT

CAPVT IV.

Earum materia.

QVÆ huic orandi modo subiecta est materia, latissimè patet. Quid enim in vlla orbis parte existit vel tam abditum, vel tam positum extra hominum conspectum, quod non is in finem sibi præstitutum adhibeat? complectere animo & cogitatione substantias, accidentia creata, increata, visibilia & inuisibilia, cælestia terrestriaque vniuersa; perspicies sanè hæc eadem ambitu suo comprehendere, atque in iis commentandis occupari, orationes iaculatorias: Neque verò potuerunt angustiæ & flamma Babylonicæ fornacis, non vincula quibus erant colligati, Sidrach, Misach, & Abdenago continere eos, quin liberè solutoque animo totum orbem percurrerent, & ad Dei laudes secum celebrandas creata omnia, breuibus hisce aspirationibus prouocarent. Idem passim factitasse Dauidem in suis Psalmis, omnibus est notum. Neque verò vniuersæ solùm creaturæ ijs substernuntur tamquam materia, verùm complectuntur etiam eas actiones interiores, quibus Diuina maiestas religiosè coli potest: quandoquidem sunt actio-

Daniel 3. 21.

nes religionis; quemadmodum etiam oratio. Multo autem sese fundunt latiùs quàm virtus religionis, cùm ad omnia omnino virtutum exercitia extendantur, fidei scilicet, spei, charitatis, obedientiæ, pœnitentiæ ac humilitatis maximè. Et vt de ea re aliquid dicamus sigillatim, lubet partri virtutem omnem, referẽdo illam, priùs ad Deum & Christum Dominum, deinceps ad cuiusque proximum: tum ad seipsum, (non loquimur autem de hisce virtutibus ita presse vt Theologi, sed pingui vt aiunt Minerua) ex qua partitione infinita propemodum oritur, huiusmodi orationum varietas. Si ad Deum animum conuertas, occurret eius infinita & inexhausta in te bonitas, cõtinuis testata officijs & beneficiis, tum creationis, & conseruationis, tum adoptionis in filium, redemptionis & cæterorum: prorumpesque in illud Dauidis, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* occurret eius interminata potentia, sapientia, iustitia, fortitudo, aliaque sexcenta, quibus diuina illa natura, numeris omnibus absolutissima efficitur; quippe quæ nihil ab ea perfectionis abesse patiantur: nec te continebis quin exclames cum Hieremia: Fortissime, magne, & potens; Dominus exercituum nomen tibi. Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu. & cum sancto Iobo. Si fortitudo quæritur, robustis-

Psal. 15. 12.
c. 32. 19.
c. 9. 19.

bustissimus es, apud te est fortitudo & sapiétia. Adducis consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem, baltheum regum dissoluis, & præcingis fune renes eorum. Dignè te inuenire non possum, magnus es fortitudine, & iudicio, & iustitia, & enarrari non potes. Hæc afferuntur tantùm gratia exempli, thesaurus enim inferiùs subijciendus multo plura suggeret. c.12.16. 17. c.37.23.

Si à Deo Opt. Max. ad Christum Dominum transire voles, illico sese offeret immensus ille amor, quo nos improbos licet, facinorosos, & mortis æternæ reos prosecutus est, amor ille inquam, qui (vt est apud Apostolum) supereminet omni scientiæ, etiam beatarum mentium, vt visum sacris Interpretibus; adeoque est immensus, vt omnium omnino rerum creatarum cognitionem fugiat, vniqué Deo reseruetur: Quantus hic supplicanti sese aperit campus ad liberè quoquouersum excurrendum; in mentis aspirationes omnis generis? aliàs agendo gratias pro collatis in se donis, aliàs offerendo quidquid est & valet in obsequium tam munifici patris. Paratum cor meum Deus (inquiebat Dauid) paratum cor meum; Idem mi Domine repeto quia æquè paratus sum in aduersa atque in prospera. Nihil mea interest quid de me fiat, sanúsne sim an æger, inops an dines, viuámne Ephes. 3.19. Ps.107. 2.

uamne an moriar nil moror; id mihi tantum tribue, vt tuus sim, tibi viuam: da vt sanctissima voluntas tua in omni vita mea semper compleatur; quod superest, paratum cor meum Deus, paratum cor meum.

Aliàs agnoscat ingenuè auctorem se, tum turpissimæ, tum atrocissimæ necis
Isa. 53. 4 Christi Seruatoris. Verè languores nostros tulisti, ô bone Iesu, & dolores nostros ipse portasti, & nos putauimus te quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum: tu autem vulneratus es propter iniquitates nostras, attritus es propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super te; & liuore tuo sanati sumus, omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Dominus in te iniquitatem omnium nostrûm, quid plura? doleat aliàs de peccatis, illaque suis momentis æstimando, supplicibus votis diuinam efflagitet gratiam, dicatque; Pater peccaui in cælum & coram te: sanguinem testamenti quo sum sanctificatus,
Hebr. 10. 29. pollutum duxi; Spiritui gratiæ contume-
Hebr. 6. 6. liam feci. Rursus crucifixi te filium Dei, & ostentui habui, & conculcaui. Iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.

Et quoniam non est satis angi de præteri-

teritis, at necesse est etiam vitæ deinceps meliùs gerendæ constans propositum, vt se vero sensérit germanoque superioris vitæ dolore perculsum, tùm in hæc erumpat aut similia verba. Sufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, mihi qui ambulaui in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus. Quæ conuentio Christi ad Belial? quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Abieci opera tenebrarum & indui arma lucis. Expoliaui me tunica mea (vetere & squallida peccatorum) quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? sed non capiunt angustiæ pectoris nostri, omnem quæ hic latet affectuum & aspirationum varietatem, nec modò animus est nisi præcipuas delibare.

1. Petri 4. 3.

2. Cor. 6. 15. Rom. 13. 22. Cant. 5. 3.

CAPVT V.

Prosecutio superioris capitis.

NE nimius diuinæ lucis fulgor cuiquam perstringat oculorũ aciem; à Deo, Christoque saluatore, descendat Asceta ad proximum, videátque totum mundum in maligno positum, quærere omnes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, in eo nihil aliud reperiri præter concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum & superbiam vitæ; cõtempletur otiosè Dei leges pessundari, & (vt loquitur Spiritus sanctus) dissipari, nec eas pluris haberi, quàm si à quopiã idolo vita & sensu carente, & nõ à Deo viuo & vero essent profectę: Neque verò insaniam hanc & amẽtiam vulgi tantùm esse, pauperumq; & plebeorũ, qui ignorant viam Domini, iudicium Dei sui: sed esse etiã optimatum, qui cognouerunt viam Domini, iudicium Dei sui; ecce etenim hi magis simul confregerunt iugum, ruperunt vincula, & dixerunt nõ seruiemus. O quanta hîc seges piarum aspirationum ad Deum! dum hinc quidẽ illum videt proteri, flocci pendi, nihili fieri, idque à sceleratis, à terræ filijs, à vilibus homulis; illinc verò tot perspicit mortales, quorum salus Christo tam magno stetit, sese turmatim præcipites in

1. Ioan. 5. 19.
Philipp. 2. 21.
1. Ioan. 2. 16.
Psal. 118. 128.
Ierem. 5. 45.
Ierem. 2. 20.

in infernum agere, qui quidem dilatauit animam ſuam & aperuit os ſuum abſque vllo termino, & deſcendunt (eheu) fortes & populus, & ſublimes glorioſiq́ue ad eum. Exclama, ô quiſquis hæc vides, cùm Apoſtolo: Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſit anathema, Maranatha. Exprome zelum gloriæ Dei quo tabeſcis, dic cum Dauide: Exurge Deus, iudica cauſam tuam, memor eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab inſipiẽte ſunt tota die. Ne obliuiſcaris voces inimicorum tuorum, Vindica Domine ſanguinem non ſeruorum tuorum, ſed vnici tui qui effuſus eſt.

Iſaiæ 5. 14.

1. Cor. 16. 22.

Pſ. 73. 22

Si tibi leniores affectus placent magis, & te miſeret ærumnarum proximi, non deſunt quos duces ſequaris etiam in hac via; Inclama modò cum Ioële: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditarem tuam in opprobrium, vt dominentur eis non nationes ſed dæmones. Modò cum Dauide, ne tradas beſtijs animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem. Quæ vtilitas in ſanguine eorum dum deſcendũt in corruptionem? Tandem ſi ipſe mentem ad te reduces, non languebis otio, argumenti inopiâ, abundè id ſanè ſuppeditabunt tum miſeriæ quas pateris, tum ſcelera, quibus te olim per ſummam impietatem obſtrinxiſti; & illæ quidẽ has tibi exprimẽt voces:

c. 2. 17.

Pſal. 73. 19.

Pſal. 29. 10.

Iob.9. 21. Pſ.41.3. Pſalm. 119.5. voces: Tædet animã meam vitæ meæ, quando veniam & apparebo ante faciẽ Dei? heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Ex his verò tantum animi dolorem capies, vt lacrymas includat mœror, exclaméſque vehementer præeunte Hieremia, Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte non interfectos filiæ populi mei, ſed meipſum, ſpirituali vita defunctum? conferes lugens extremam præſentis temporis miſeriam, cum vitæ anteactæ felicitate. O fili Sion (inquies) quondam inclite, & amicte auro primo, quomodo? quomodo reputatus es in vaſa teſtea, opus manuum figuli? Qui veſcebaris voluptuosè, interiiſti in vijs, qui nutriebaris in croceis, amplexatus es ſtercora: heu quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum.

Ier.9.1 Thren. 4.

Creſcente porrò dolore, creſcet item affectus, maledicéſque cum Iob diei ortus tui, quo tam tetrum impietatis monſtrum in lucem editum eſt. Maledices & nocti, qua dictum eſt, conceptus eſt homo. Iterabis dolenter iuxta ac frequenter illa eiuſdem: Quare non in vulua mortuus ſum? egreſſus ex vtero non ſtatim perij. Quare exceptus genibus, cur lactatus vberibus?

c.3.3. verſ.10. Eſter 14.16.

Sed

Sed cur saltem non sum illico ab ortu ex hac hominum frequentia sublatus? cur non in solitudinem vspiam collocatus? cur mihi hominis omnino aspiciendi potestas data est? degeneraui, fateor, ab hominum natura, in feritatem belluinam: æquum igitur est vt eijciar ab hominibus, vt cor meum ab humano commutetur, corque feræ detur mihi, & cum bestijs ferisq; sit habitatio mea; denique vt fœnum tamquam bos comedam, & rore cæli infundar, septemque tempora mutentur super me, donec capilli mei in similitudinem aquilarum crescant, & vngues mei quasi auium. Dan. 4. 22. 2.

Quid? dispeream si non belluis ipsis longè sum deterior, cognouit namque bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, ego autem boue stupidior, asino stolidior Dominum meum nec cognoui, nec intellexi: Nonne miluus in cælo cognouit tempus suum: turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui? ego autem non cognoui iudicium Domini. Et quoniam te ipse detestaberis tamquam pannum menstruatæ, nec verò ferre te poteris, atque nisi diuina esset lege sancitum, nemo vt manus sibi afferat; discerperes & dilacerares in mille partes te immanē parricidam, qui Deo tuo necem intulisti: ideo inclamabis montes, vt cadāt super te, & colles, vt ope- Isa. 1. 3. Iere. 8. 7.

operiant te; mortemq; frequentibus accersés votis, vt te de medio tollat, qui vita ipsa es &
Ps.9.34. luce longè indignissimus. Propter quid (inquies) irritauit impius Deum? peream, itaq;
Osee 14.1. peream ego, quoniam ad amaritudinẽ concitaui Deum meum; Omnino nulla æstimabis supplicia æquare vmquam posse, atrocitatem, & cumulum flagitiorum tuorum. Ignis, crux, (ita tu instar sanctissimi, & ignitissimi Ignatij quamquam in dissimili causa) bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, totius corporis contritio, & vniuersa tormenta diaboli in me veniant.

Sed quoniam ita non expedit tristitiæ laxare habenas, vt ea te transuersum abripiat, nõ inutile fuerit, respirare nonnihil, animũque abiectum erigere in spem diuinæ miserationis & bonitatis. Quamquam igitur peccasti (ita te ipse compellabis) super numerũ arenæ maris, & multiplicatæ sint iniquitates tuæ, & non sis dignus videre altitudinẽ cæli prę multitudine iniquitatum tuarum, ne desperes; flecte cum Manasse genua cordis. dic:

In oratione Manasse regis post 2. paralip. *Peccaui Domine, peccaui Domine, & iniquitates meas agnosco. Quare peto rogans te, remitte mihi Domine, remitte mihi, & ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus reserues mala mihi. Quia tu es Deus, Deus inquam pœnitentium. Ostende in me omnem bonitatem tuam, indignum salua secundùm magnam misericordiam*

tuam

tuam, & laudabo te semper omnibus diebus vitæ meæ.

Si te breuiores aspirationes afficiunt magis, en tibi eas ex propheticis libris. Dele Domine vt nubem iniquitates meas, & quasi nebulam peccata mea. Erue animã meam ne pereat, proijce post tergum tuum omnia peccata mea. Miserere mei, & depone iniquitates meas, & proijce in profundum maris omnia peccata mea: ô fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ: amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Accipe & has pauculas ex nouo testamento. Domine si vis potes me mundare. O Christe emunda conscientiã meam ab operibus mortuis ad seruiendũ tibi Deo viuenti. O primogenite mortuorum & princeps regum terræ dilige me, & laua me à peccatis meis in sanguine tuo.

Isa. 44. 22.
Isa. 38. 17.
Zachar. 13. 1.
Ps. 50. 4.
Matth. 8. 2.
Hebr. 9. 14.
Apoc. 1. 7.

Atque vt hæ oratiunculæ exhibeant reipsa quod nomine promittunt, & tamquam iacula forti brachio intorta, ferantur rectà in aduersum scopum, atque à Deo impetrent quod petunt, nec incassum fusæ sint, optimum erit cælum, terrámque contestari te solam nixum diuina bonitate, nullisque tuis confisum meritis rem tam arduam postulare. Habes quem sequaris Danielem huius rei auctorem. *Inclinaui* (inquit) *Deus meus*

c. 9. 18.

au-

aurem tuam & audi: neque enim in iuſtificationibus noſtris proſterno preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine, attende, fac, ne moreris propter teipſum

Pſal. 24. 11. *Deus meus.* Habes & Dauidem illo priorem: *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim propter gloriam Domine nominis tui libera me, & propitius eſto peccatis meis*

Pſ 78.9. *propter nomen tuum.*

Ex his videre licet quàm pateat latè aſpirationum materia: quocumque enim te vertas, ſiue ad Deum, ſiue ad proximum, ſiue ad teipſum, ſeu libeat magis orbes cæleſtes, & quidquid horum ambitu continetur animo perluſtrare, aliud occurrit nihil quàm cæleſtis huiuſce flammæ pabulum, & fomes: Baruch quidem dum mentis defigit oculos in vaſtiſſimam huiuſce mundi molem, eamque vniuerſam in ditione eſſe ac poteſtate Dei conſiderat, admirabundus

c.3.24. ita exclamat. *O Iſrael quàm magna eſt domus Domini, & quàm ingens locus poſſeſſionis eius!* Magnus eſt & non habet finem, excelſus, & immenſus; ſed æquè immenſus (abſit verbo inuidia) eſt harum aſpirationum dominatus, par imperium: ijdem termini finéſque poteſtatis. Etenim per eas conficit mira celeritate humana mens quidquid ſpatij eſt à centro terræ ad vſque conuexum cæli ſupremi, vbi demum ſumma cum tranquillitate,

pro-

procúlque ab omni perturbatione inter dulces amplexus & suauia oscula sponsi conquiescit. Itaque verendum non est, ne desit hisce orationibus materia. Quàm latè patet orbis, tàm latè patet earum argumentum. Atque vtinam ei non desimus nos ipsi: vtinam quouis momento emicet ex nostro pectore si minùs flamma, at certè scintillula aliqua salutaris huiusce ignis, vt & ipsi dicere possimus. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Psal. 38. 4.

Neque verò ea solùm quæ sunt subsistuntque, hisce orationibus consideranda objiciuntur, verùm etiam quæ non sunt, nec aliud habent esse, quàm non esse, cuius generis sunt tum priuationes tum negationes, quas quemadmodum diuinus Intellectus infinita sua notitia complectitur, & comprehendit. Sic etiam breuiores hæ precationes vim in illas suam exerunt atque exercent. Quæ quidem res nec obscura est nec ignota. Quàm enim frequenter prorumpit Dauid in Dei laudes, quòd tum à sibi infestissimis hostibus, tum à variis periculis, quibus vita eius perpetuò circumsepta erat, etiam cælestibus portentis, sit ab illo liberatus.

Viuit Dominus (inquit) *& benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ. Deus qui*

Psal.17. 47. *das vindictas mihi, & subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.* Ps.65. 8 *Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis eius. Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit commoueri pedes meos. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui redimit de interitu vitã tuam. Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum?* Psalm. 102.1. Nimirum non tradi in manus hostium, mortem, interitũ, & si quæ sunt generis eiusdem, quę hîc grato commemorat animo, annumeranda negationibus quis non videt? An verò non existunt peccata innumera (quorum natura priuatione honestatis continetur, quam quidem inesse oporteret humanæ actioni) in quæ Dei miseratione freti non labimur? Verùm quàm portentosa scelera, quã fœda flagitia, quàm inauditæ existunt turpitudinum libidines, quibus (quæ Dei in nos est bonitas) non implicamur, aut commaculamur, nullum est enim peccatum (Augustino teste) quod facit homo quin idem faceret alter homo, nisi teneretur à te ô Deus, à quo factus est homo.

Quod si ij simus qui esse debemus, non sic abibunt hæc sine actione gratiarum: Gratias tibi ago Deus meus (liceat vsurpare superbi Pharisęi orationem quamquam longè Lucæ 11.18.

dispa-

dispari sensu) quòd non sum sicut plerique hominum, raptores, iniusti, adulteri. Sed tu ô Domine, non manus nostra excelsa, fecit hæc omnia: Absque te onocrotalus, & ericius & ibis & coruus habitassent in me. Absque te ortæ essent in domo mea spinæ & vrticæ & paliurus in munitionibus meis. Absque te fuissem cubile draconum, & pascua struthionum: hoc est omnis generis vitia, libidinésque sedem in me suam fixissent. Dic insuper cum Augustino, gratiæ tuæ deputo Domine Deus, & quæcumque nō feci mala, & sicut in multa peccata decidi, sic in multo plura nisi me cōseruasses cecidissem. D. quidē Franciscum solitum dicere accepimus, se sibi facinorosissimum omnium sceleratissimúmque videri, non quòd re talis esset, sed quòd talis suo quidem iudicio futurus fuisset, nisi eum gratiæ suæ præsidio diuina benignitas confirmasset. Idem etiam, grato recolebat animo peccata ea, quibus se olim non obstrinxerat: & cùm passim haberetur sanctus. Nolite (inquit) laudare vt securum: (verba sunt sancti Bonauenturæ) filios & filias adhuc habere possem: nemo laudandus, cuius incertus est exitus. Difficile est eloqui quàm Deum iucundè afficiant aspirationes hæ ex germano humilitatis spiritu profectæ: Deum, inquam, qui humilia respicit, & alta à longè cognoscit, qui humiles exaltat, superbos

Deuter. 32.27. Isa 34. 11.

l. 2. cōf. c. 7.

S. Bona. c 6. vitæ.

Psalm. 11.6.

Matth. 23.12.

Iac.4.6. perbos humiliat; qui resistit superbis, qui humilibus dat gratiam.

CAPVT VI.

Quænam è suprà memoratis frequentiùs oranti adhibendæ, & de oratione dominica.

CVM harum aspirationum nullis circumscripta terminis materia propemodum sit infinita, neque verò possit in ea vniuersa consideranda pia mens occupari; nobis ex hac infinitate deligenda ea videtur potissimùm, quæ assidua exercitatione reddita familiaris, vberiorem etiam fructum spiritualem afferre posse videatur. Ac Tertullianus grauis imprimis auctor commẽdat admodum orationem dominicam, tum ab auctore Christo Domino, qui discipulis noui testamenti nouam orationis formam determinauit, vt in hac quoque specie (sic enim loquitur) nouum vinum, nouis vtribus reconderetur, & noua plagula nouo assueretur vestimento.]

1. de oratione c. 1.

Deinde à breuitate, quantum enim substringitur verbis (verba sunt Tertulliani) tãtum diffunditur sensibus: neque enim tantum propria orationis complexa est, venera-

tio-

rationem Dei aut hominis petitionem, ſed omnem penè ſermonem Domini, omnem commemorationem diſciplinæ, vt reuera in oratione breuiarium totius euangelij comprehendatur.]

Ac poſtquam ſubiecit ſingularum huiuſce orationis petitionum explanationem, ita in eius laudem exclamat. Compendijs verborum paucorum quot attinguntur edicta Prophetarum, Euangeliorum, Apoſtolorum, ſermones Domini, parabolæ, exempla, præcepta? quot ſimul expunguntur officia Dei, honor in patre, fides, teſtimonium in nomine, oblatio obſequij in voluntate, commemoratio ſpei in regno, petitio vitæ in pane, exomologeſis debitorum in deprecatione, ſollicitudo tentationum in poſtulatione tutelæ. Quid mirum? Deus ſolus docere potuit, vt ſe vellet orari.]

Idem alibi eam vocat legitimam orationem, quòd ſit ex omnibus maximè conſentanea legibus, & iuri & placito diuino. In eandem ſententiam ſanctus Cyprianus dum Tertulliani magiſtri ſui veſtigijs inſiſtit: Poſtquã enim oſtendit veros adoratores adorare debere patrem in ſpiritu & veritate, atque oratione dominica id abundè effici; hæc ſubdit. Quæ enim eſſe poteſt magis ſpiritalis oratio, quàm quę verè à Chriſto nobis data eſt, à quo nobis & Sp. Sãctus miſſus eſt?

De fuga in perſecutione c. 2.

l. de oratione Dominica.

Ioan. 4. 23.

Quæ vera magis apud patrem precatio, quàm quæ à Filio qui est veritas, de eius ore prolata est?]

Quisquis itaque huic tam salutari exercitationi frequenter ad Deum aspirandi assuescere volet, id faciat licebit vna aliqua orationis dominicæ, petitione, enixéque rogabit; modò vt diuina bonitas ab omni omnino creatura agnoscatur, colatur, diligatúrq;, in cælum vibrato hoc spirituali iaculo, sanctificetur nomen tuum: modò se planè diuinæ subijciet voluntati, ad omnes omnino æquo animo ferendos casus, vt illi visum erit, dicetque non primoribus tantùm labris, sed ex animo: Fiat ô Domine voluntas tua sicut in cælo & in terra. Eodem se habebit modo in cæterarum petitionum vsu, aliàs hac, aliàs illâ ad Deum aspirando.

Quanta autem sit dominicæ præcationis vis & dignitas, vel ex hoc patet, quod certum sit & exploratum, longè nos Deo fore acceptiores, si eius verbis potius, quam si ex sensu nostro spirituque oremus. An non facilioresæternus Pater vnici filii, sibique deinctissimi precationi, aures præbebit quam nostræ? Ab ipso ordinata (iterum Tertullianus) religio orationis, & de spiritu ipsius iam tunc cùm ex ore diuino ferretur animata, suo priuilegio ascendit in cælum, commendans patri quæ filius docuit.] cap. 9.

Ne

Ne dubita: humi tua non repet oratio, alata est pennis Christi, atque viuifico eius spiritu habitúque animata, cùm eam ore suo sacrosancto pronuntiauit. Itaque fieri nequit quin volatu transcendat omnia, seseque det in conspectum Dei. Audiet ille vocem innocentissimi & sibi obsequentissimi Iacob: non se continebunt paterna viscera, quin te sinu suo confotum amicè amplexetur, paternaque benedictione ditatum, & primogeniti iure donatum, auctumque dimittat. Gen. 27. 22.

Omnino respiciet in faciem & in orationem Christi sui, qui modò ad dexteram maiestatis sedet in excelsis, quando illũ in diebus carnis suæ preces, supplicationésque ad Deum, qui poterat saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerentem, exaudiuit pro sua reuerentia. Hanc eandem cum Tertulliano rationem grauissimis hisce verbis inculcat Sanctus Cyprianus. Oremus fratres dilectissimi sicut magister Deus docuit. Amica & familiaris oratio est Deum de suo rogare, ad aures eius ascendere Christi orationẽ. Agnoscat pater Filij sui verba cùm precem facimus: qui habitat intus in pectore, ipse sit & in voce. Et cũ ipsum habeamus apud patrem aduocatũ pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, aduocati nostri verba promamus. Nam Psal. 83. 10. Hebr. 1. 3. Hebr. 5. 7. 1. de oratione. 1. Ioan. 16.

cùm dicat, quia quodcumque petierimus à patre in nomine eius dabit nobis, quanto efficaciùs impetramus quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione?]

Homilia 21. His accedat Sanctus Cęsarius idipsum cõfirmans, qui & suadet omni orationi pręmittendam orationem dominicam: quia sine dubio (inquit) libenter eam orationem exaudit, qui ipse pro ineffabili sua benignitate instituit. Nec videtur omittendum quod à S. Thoma reliquoq; Theologorum cœtu traditur, dominicæ orationis recitatione venialia dimitti, quod quanti sit, satis per se constat.

CAPVT VII.

Frequentanda his precatiunculis memoria peccatorum.

SVADENT vitæ spiritualis duces ac magistri vt numquã ponat homo memoriam peccatorum, sed ea semper oculis, atque animo subijciat, vt iugi eorum recordatione sese animus demittat, atque humiliet sub potenti manu Dei; idque sub orationis tempus præstandum maximè. Neque verò obscurum est in ea re Dauidis factum, qui quãquam dubitare nõ posset veniam sibi indultam, neque se adulterij amplius reum teneri, quan-

quandoquidem id prophetico oraculo dicerat, audieratque à Nathan Dei vices agente, Dominum transtuliſſe peccatũ ſuum: non abiecit tamen ob id omnem recordationem ſui criminis, cuius rei teſtis eſt vel hæc eius oratio: *Quoniam iniquitatem meam* (inquit) *ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper*, hoc eſt, coram me: quaſi dicat non nocte, non die intermitto memorari ſcelera mea, continenterq; clamo: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*. Nec clamore contentus, magnã item exteriùs profero ſignificationem doloris: lauo per ſingulas noctes lectum meum, & lachrymis meis ſtratum meum irrigo. Pſal. 50. 3. Pſal. 6. 7

Præclarè ſanè deſcribit Sapiens, quale ſibi vir iuſtus proponat orandi argumentum. *Sapiens* (inquit) *cor ſuum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu altiſſimi deprecabitur. Aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis deprecabitur.* At ſi ſunt deleta? nihil intereſt. Pro delictis ſuis deprecabitur vt perfectiùs adhuc deleantur: neque enim neſcius eſt nequaquam ſimplici & qualicumque ad Deum conuerſione conſequi peccatorem perfectam ſuorũ criminum remiſſionem & curationem. Nouit item, ijs etiam dimiſſis nonnullas adhuc purgandas, curandáſque reliquias ſupereſſe; ideo pro delictis ſuis deprecabitur, eò maximè quòd Eccleſ. 39. 6.

ignoret adhuc ne ijs ipſis teneatur irretitus, quamquam ea ſæpius ſacra exemologeſi & ſacramentali cõfeſſione ſit conatus expiare.

Eccleſ. 9.1. Quis enim ſcire poteſt odiòne an amore dignus ſit? An non omnia in futurũ ſeruantur incerta? An non ſunt iuſti & ſapientes, quorum opera in manu Dei? Ibi abdita, occultaq́; & illi ſoli cognita: Ibi omnibus ignota etiam illi à quo profecta ſunt? An non poteſt meritò quilibet quantumuis ſanctus, queri cum Iobo. *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ.* Quocirca quantumlibet iuſtus, ſapientem tamen is audiet, in oratione pro delictis ſuis deprecabitur.

6.9.21.

Neque enim tã eſt rudis ſacrarum litterarũ & ignarus, vt id neſciat quod ab illo ipſo ſapiente monemur. De propitiato (inquit) peccato noli eſſe ſine metu: aut vt habet alia lectio, de propitiatu peccatorum. Metue, inquam, periculum relapſus; & ne ſint tua nouiſſima peiora prioribus. Metue etiam atque etiam ne tibi contingat illud veri prouerbij. Canis reuerſus ad vomitum, & ſus lota in volutabro luti: Metue quòd ne priſtinam gratiam reddità, nec peccatum cõdonatum eſſe, certum tibi ſit, & exploratum. Metue denique (ſi non iſta ſufficiunt) quoniam etiam remiſſione impetrata, digna pœnitentiæ opera ſunt, cum timore & tremore peragenda,

Eccli. 5. 5.

Matth. 12.45.

2. Petri 2.22.

da, quò temporalia ſupplicia, debitamque vindictam relaxatis etiam peccatorum vinculis effugias.

Num tibi fortè metus cauſæ deſunt? An non meritiſſimò potius ob hæc, & ſi quæ ſunt generis eiuſdem, iuſtus in oratione pro delictis ſuis deprecabitur? Mitto quod quãtauis ſit iuſtitia præditus, poteſt ſeſe Deo ſiſtere, tamquam etiamnum configuratum prioribus ignorantiæ ſuæ deſiderijs tãquam immundum, menſtruatumque. Ex ſe enim certè eſt talis, idemque permanſiſſet in omnẽ æternitatem, niſi ſingulari Dei bonitate ablutus eſſet, ſanctificatus eſſet, iuſtificatus eſſet in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. Ipſe, ipſe eſt qui delet iniquitates noſtras propter ſe, & peccatorum noſtrorum non recordatur, quæ nec nos ipſi neq; creata vis vlla conatu quantumlibet magno obliterare poſſit; perditio tua Iſrael (ſic Deus ad Hebræos) tantummodo in me auxilium tuum. Fouea profunda non tãtùm os alienæ, id eſt adulterium (vt ait Sapiens) ſed omne peccatum: in quàm qui ſit prolapſus, niſi Deo manum dante & adiuuante liberatur nemo. Iniquitates ſuæ (teſte eodem) capiunt impium & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur itaque implicatur vt ab iis ſe expedire niſi diuina gratia nullo modo poſſit. Peccata quidem Nodus ſunt Gordius atque

1. Petri 1. 14.

1 Cor. 6. 11.

Iſa. 43. 25.

Oſee 13. 9.

Prou. 5. 22.

atque adeò Herculeus, id est à quolibet præterquàm à Deo indissolubilis.

Ex his intelligitur quàm meritò commendarit Sapiens viro iusto, vt in oratione pro delictis suis deprecetur. Neque verò afferas te olim accuratam instituisse superioris vitæ vniuersæ generalem confessionem, & aliquot egisse dies in fletu, planctu & lachrymis: adesseque modò respirandi tempus, neque gemendum semper sub onere grauique sarcina peccatorum: ac sacrificium
Psal. 50. 19. spiritus contribulati, cordisque contriti & humiliati, commutandum tandem in sacrificium laudis & gratiarum actionis, cantandum deinceps canticum nouum, ob equum
Exodi 15. & ascensorem proiectos in mare, ob peccatum & dæmonem superatos. Horridam rigentemque transisse iam hiemem, imbremque abiisse & recessisse peccatorum; flores
Cant. 2. 11. gratiæ apparuisse in terra tua, vineásque omni virtutum genere florentes dedisse odorem. Quocirca surgendum è puluere, detergendas lacrymas, pœnitentiæ opera, laborem & squallorem procul abijcienda, ad oscula properandum & amplexus sponsi.

Sed audi quisquis es tu, quem tædet lugere diutiùs, cuique molestum est tãto tempore iacere ad pedes, animumque distinere
Serm. 3. in Cant. recordatione peccatorum, audi inquam quid super ea re D. Bernardus. Minimè sibi

(in-

(inquit) arroget mihi similis anima onerata peccatis, suæque adhuc carnis obnoxia passionibus, quæ suauitatem spiritus necdũ senserit, internorum ignara, atque inexperta penitus gaudiorum, non audeat talis anima dicere cum sponsa. Osculetur me osculo oris sui. ostendo tamen ei, quæ huiusmodi est, locum in salutari sibi congruentem. Non temere assurgat ad os sereniſſimi sponsi, sed ad pedes seueriſſimi Domini mecum pauida iaceat, & cum publicano terram tremens, non cælum aspiciat, ne confusa in luminaribus cæli, facies assueta tenebris opprimatur à gloria, atque insolitis reuerberata splendoribus maiestatis, densioris rursum cæcitate caliginis obuoluatur.] Cant. 1.7.

Hæc quidem suadet D. Bernardus diuino si quis alius afflatus spiritu, quæ vt persuadeat, pergit proponere quo fructu & emolumento ea fiant. Non tibi (inquit) ille locus, ô quæcumque es talis anima, non tibi ille locus vilis aut despicabilis videatur, vbi sancta peccatrix peccata deposuit, induit sanctitatẽ. Ibi Æthiopissa mutauit pellem, & in nouum restituta candorem, iam tunc fiducialiter, veracitérque, respondebat exprobrantibus sibi verbum. Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem.] Cant. 1. 5.

Paulò post impudentem vocat animam illam, quæ Christi relictis pedibus (quibus ac-

accidere debet misera, vt desinat esse misera, quos amplecti, quos placare osculis, quos rigare debet lacrymis) audet tamen ad oris osculum præposteró sanè ordine conuolare. Longus (inquit) saltus & arduus est de pede ad os, sed nec accessus conueniens. Quid enim? Recenti adhuc respersus puluere ora sacra continges? Heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præsentaris?]

I nunc & præpropero præposteróque volatu festina ad os sponsi, da te exercendis actionibus excellentioribus, & sublimioribus diuini amoris. Faceſſant lacrymæ indices doloris, nil tibi sit ampliùs cum ieiunio, fletu & planctu. Apage memoria vitæ prioris turpis, fædæ & flagitiosæ; sponsi pedes deserere, quos certè quidem D. Bernardus vult te amplecti, nec antea suffusum pudore & mærore vultum sustollere, quàm & ipse audias cum beata Magdalena. Dimittuntur tibi peccata tua: quàm audias, Cõsurge, consurge captiua filia Sion, consurge excutere de puluere. Quæ si vera sunt, vt sunt verissima, non alium profectò esse oportet terminum recordationis peccatorum & vitę, quãdoquidem nemo dum viuit (rarissima paucorum excipe priuilegia) certus sit de obtenta venia. Quotus quisque est, enim, cui audire datum sit illã Seruatoris orationem, dulciorem vtique super mel & fauum. Fili dimit-

Luc. 7.

Isa. 52.

dimittuntur tibi peccata tua? Paranda est itaque magna supellex aspirationum earum ad Deum, (vt varietate ipsa pellatur tędium) quibus mens lugendis peccatis exerceatur in omni vita, donec nostri misertus Deus manu porrecta nos subleuet ad sublimiorem orandi gradum, dicatque Amice, ascende superius. Et quoniam maioris est sanè momenti hæc doctrina quàm externa ipsa specie appareat eam sanctorum Patrum auctoritate & testimonio confirmare visum est. Lucæ 14.10.

CAPVT VIII.

Quid à sanctis patribus traditum de superioris capitis doctrinâ.

PLÆRIQVE reperti sunt superioribus temporibus, Ioannis Gersonis æuo maximè (contra quos ipse neruosè iuxta ac prudenter) qui cùm minori ijs curæ esset spirituales esse quàm videri, ambulabant in magnis & in mirabilibus super se, obliuionemque accipientes purgationis veterum suorum delictorum, ita eorũ memoriam obliterarãt atque si ijs numquam se commaculassent. Nulla amplius apud eos vigebant exercitia viæ purgatiuæ: non recogitatio annorum in amaritudine animæ suæ, non pœnitentia Ioan. 1. epist. ad quemdã Fr. Carthus. Psalm. 130. 2.

tentia in cilicio & cinere, non planctus ve-
Micheæ 1.8. lut draconum & luctus quasi struthionum, non contritio, non dolor de peccatis. Hæc tamquam se indigna & prima rudimenta relinquebant Tyronibus. Se autem B. Paulo adiungebant, & cum illo in tertium cælum conscendere nitebantur. Aliud quidem nihil crepabant ipsi quàm Anagogias, deificationes, transformationes, metamorphoses in Deum, raptus, ecstases, coniunctiones cum summo bono absque medij vllius interuentu. Subuersiones (ita enim loquebantur) in abyssali profundo, amores annihilantes & similia. Subdam paucula ex patribus, à quibus discat Asceta, quantum ipsi momenti in assidua ponant recordatione suorum cuiusque peccatorum, ad beatam vitam, virtutisque perfectionem consequendam.

l. 2. de compũctione cordis ad calcem.

Tantum boni (inquit Chrysostomus) confert meminisse frequentiùs hominem peccati sui, vt etiam Paulum Apostolum videamus, ea quæ iam abolita fuerant & deleta, adducere tamen in medium, & cùm culpam de præsentibus non haberet; tamẽ quoniam recordationes peccatorum, & luctum, gemitumque sciebat animæ prodesse, etiam illa commemorat, quæ per ignorãtiam commissa, gratia baptismi & confessio fidei aboleuerat. Oportet ergo recordari nos priora delicta,

licta, etiam ea pro quibus veniam consecuti sumus, vt intuentes quod ingentem modum debiti nobis remisit Deus, & ampliùs eum diligere possimus, & verecundiam, pudoremque concipere, atque ex his corde compungi: considerantes quòd nisi miseratio illius nobis subuenisset, tantum illud peccatorum pondus sine dubio in imis nos inferni pœnis supplicij pressisset.]

Quid his potest euidentiùs adferri, imò quid validiùs ad ea confirmanda quæ superiùs disseruimus, cùm velit Chrysostom. etiam peccata deleta frequenter in memoriam reduci, eiusque recordationis tam eximios fructus proferat? His planè consentanea Sanctus Augustinus in hæc verba. Si Apostolus etiam peccata per baptismum dimissa assiduè plorat, nobis etiam super fundamẽtum Apostolorum positicijs quid præter plorare restat? Quid nisi semper dolere in vita? Vbi enim dolor finitur, quid relinquitur de venia? Tamdiu gaudeat & speret de venia, quandiu sustentatur à pœnitentia. Dixit enim Dominus, Vade & iam ampliùs noli peccare; non dixit ne pecces, sed nec voluntas peccãdi in te oriatur: quod quomodo seruabitur, nisi dolor continuus in pœnitentia custodiatur? Hinc semper doleat, & de dolore gaudeat, & de doloris pœ-

l. de vera, & falsa pœnitẽtia c. 13.

Ioan. 8.

nitentia si contigerit semper doleat, & non satis quod doleat, sed ex fide doleat, & non semper doluisse doleat.

Noli, obsecro te, oscitanter præterire hæc & his similia, assiduè, semper continuus dolor, &c. Quibus eundem sanè præfigit limitem pœnitentiæ, & vitæ. Neque verò id minùs re & actione quàm verbis & scripto docuit. Refert enim Possidius Episcopus Calamensis eius familiaris, illum vltima quâ defunctus est ægritudine, sibi psalmos Dauidicos iussisse scribi, ipsosque quaterniones iacentem in lecto contra parietem positos legisse, & inter legẽdum iugiter atque vbertim fleuisse. Et ne à quoquam interpellaretur, antè dies fermè decem quàm exiret è corpore, iussisse, ne quis ad eum ingrederetur, nisi ijs tantùm horis quibus medici, vel cùm ei ferretur refectio.]

In vita August. c. 31.

Quis non miretur virum tantum, post 40. annos in Episcopali munere sanctissimè exactos, post tot labores pro Dei ecclesia contra schismata, hæreses, idololatriam, ea debellando, expugnandoque monstra cõstantissimè exantlatos, eundémque amplissimorum meritorum gloriâ ornatum, heroicarum virtutum laude percelebrem, nec dum tamen deposuisse iuuenilium errorum memoriam, quos iampridem & tot annorum pœnitentia, & vita irreprehensibili expunctos

ctos esse oportebat. Verùm illos sub mortem etiam amaris lacrymis vindicasse & expiasse?

An non tibi satis erant Augustine confessionum libri tredecim, à te iam Episcopo conscripti, quibus delicta iuuentutis tuæ sigillatim & ignorantias tuas non persequeris modò, omnibusque tamquam in amplissimo quodam theatro spectandas proponis, sed etiam lamentis & lacrymis prosequeris? cur morte impendēte, & quādo morbi vi & acerbitatibus plus satis prostratus animus est in spem meliorum erigendus etiam tum lacrymis habenas laxas, quas adducere potiùs & contrahere oportebat? facis nimirum ipse quod cæteros docueras prior: neque laudatos Christianos, neque verò sacerdotes, etiam post perceptum Baptismum (quo tamen omnes eluuntur maculæ) absque digna & competenti pœnitentia exire debere de corpore. Insistis feliciter S. Petri vestigijs de quo graues tradūt scriptores oculos quasi sanguine respersos habuisse, quòd Christi negationem, quæ tanto ante cōtigerat, quæque iam millies erat condonata, assiduo fletu continenter in se vindicaret.

Possidius suprà.

Citātur à Baronio ad an. Christi 69.

Eandem porrò eamque assiduam criminum suorum recordationem multis cōmendat etiam Ambrosius. Quidquid personuerit (inquit) quidquid increpuerit sapienti cul-

Apologia Dauid c. 9.

culpa propria ſemper occurrit, quidquid fuerit dictum aut lectum, in ſe dictum putat: quidquid intenderit, ſe nutu, ſe oculis ſignari putat. Si epuletur, ſi cogitet, ſi oret ac deprecetur, ante oculos eius ſemper eſt error proprius, & momentis omnibus culpa pulſat conſcientiam, nec quieſcere nec obliuiſci ſinit, velut grauis cenſor exagitat ſe terrore perpetuo.]

Quid ad hæc ij, qui cùm vix pedem extulerint è cœno peccatorum & è limo profundi, in quo non eſt ſubſtantia, vixque à limine ſalutarint virtutis domicilium; proijciunt tamen ipſi poſt tergum ſuum peccata ſua, omníque ſoluti metu & ſecuri inire volunt viã, vitámque perfectorum, atque Rachelis amplexibus frui. Quanto ſaniore conſilio acciderent ad pedes Chriſti, ibique nocte & die deducerent oculi eorum exitus aquarum, quia non cuſtodierunt legem Domini? Quanto ſatiùs percuterent cum publicano pectus dolore oppreſſum, frequentibúſque & flebilibus vocibus iterarẽt illud eiuſdem: Deus propitius eſto mihi peccatori? ſublimiora verò illa relinquerent, Diui Bernardi imitatione, Apoſtolis, Apoſtóliciſque viris, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali.]

Pſalm. 68. 2.

Iſa. 38. 17.

Iſa. 1. 15.

Pſalm. 118. 136.

Lucæ 18. 15.

Serm. 46. in Cant.

Magna etenim opus eſt diſcretione, & diuina quadam ſollertia ad iudicandum quę

Hebr. 5. 14.

mo-

motiones, delectationes, inspirationes à Deo proficiscantur, quæ item à dæmone. Ipse enim Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum lucis, vt sic incautis hominibus per superbiam & vanam sui opinionem imponat & illudat: longè sanè est securius, assiduè iacere ad pedes Christi. Verè enim regius Propheta cecinit. Montes excelsi ceruis, petra refugium herinaceis, conscendantur montes contemplationis ijs, qui instar ceruorum velocissimè feruntur ad perfectionem; mihi hericio, peccatorum spinis & aculeis horrido & aculeato, tutum petra erit perfugium, Christus, inquam, vera & angularis petra: Ibi abscondar à facie furoris Domini. Ingrediar foramina huius petræ, sanguinisque riuis inde manantibus me aspergam, & mundabor: ijs lauabo me & super niuem dealbabor.

2.Cor. 11.14.

Psalm. 103. 18.

Planè sapis si id præstas, desipit omnis, quamquam sibi admodum sapere videatur, qui contrà facit. Petra sit refugium herinaceis. Ibi geme & frequentia ex imo cordis duc suspiria, ibi lacrymę testes doloris cieantur. Ibi deduc quasi torrentem lacrymas per diem & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui; quoniam cõtritione magna contritus es, plaga pessima vehementer. Ibi clama in fortitudine vocis & dic. O me insensatum? quis? quis me fa-

Thren. 2.18.

Hier.14. 17.

ſcinauit non obedire veritati, ante cuius oculos Ieſus Chriſtus proſcriptus eſt, & in
Gal.3.1. me crucifixus? Itanè debui citò immemor eſſe talis, tantiſque beneficij? dic aliâs. Væ mihi mater mea, quare genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ in vniuerſa terra? Ir-
Hier.15. 10. ritaui enim ô Domine vniuerſas creaturas in me, quas honoris tui zelo æſtuantes, ſentio meritò armari contra me inſenſatum.
Ioel. 2. 25. Aliàs Quis mihi reddat annos quos comedit locuſta: bruchus & rubigo & eruca & omnis generis monſtra vitiorum? Quis mihi præteritos referat dies! ô quam eos aliter
Ephe.5. 9. exigerem in omni bonitate & iuſtitia & veritate. O quis mihi tribuat vt ſim iuxta men-
Iob 29. 8. ſes priſtinos? ſecundùm dies quibus Deus cuſtodiebat me? Quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum & ad lumen eius ambulabam in tenebris? ſicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quando ſecretò Deus
verſ.14. erat in tabernaculo meo? Quando erat omnipotens mecum? Quando indutus eram & veſtitus ſicut veſtimento & diademate iuſtitia mea? Eheu vbi nũc es ô iuſtitia, ô amici-
Ad Titum 3.6. tia & gratia Dei mei? Vbi illa quæ mihi collata in lauacro renouationis & regenerationis Spiritus ſancti, qui effuſus eſt in me abũdè per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum quando renatus ſum ex aqua & Spiritu ſan-
Ioan. 3. cto? At vbi illa quæ mihi, toties & tam in-

dul-

dulgenter, pœnitentiæ ſacramento operanti reſtituta eſt? Candidior tunc eram niue, nitidior lacte, rubicundior ebore antiquo, Sapphiro pulchrior: At eheu denigrata eſt modò ſuper carbones facies mea, quomodo? quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſint lapides ſanctuarij in capite omnium platearum? In me omnia ſquallida, deformia, confracta, diſſipata, horroris pleniſſima, Vbi? Vbi priſtina illa ſpecies & venuſtas, quâ cæleſtem ſponſum amore vulnerabam in vno oculorum meorum, & in vno crine colli mei, quãdo me amicam, formoſam columbam, ſororem, ſponſam compellabat? Quando ad ſuos amplexus blandiſſimis verbis inuitabat? Eheu quomodo egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius?

Thren. 4.7.

verſu 1.

Aliàs perpende & deſle quòd tantum decorem, tam infinitum bonum, quale eſt Deus, eiuſdemque gratia, & amicitia, tam vili mercede tibi eripi paſſus ſis. Dic: ſiccine demens propter pugillum hordei & fragmẽ panis, nihili exiſtimaui amicitiam Dei mei? Siccine rem infinitæ dignitatis commutaui pretio ſcorti, quod vix eſt vnius panis? ô quoties abſtuli membra Chriſti vt facerem membra meretricis? ô quoties corruptibilibus auro & argento viliorem & poſteriorem duxi pretioſum ſanguinem Agni immaculati,

Thren. 1.6.

Ezech. 13.19.

1.Cor. 6.13.

1.Petri 1.18. lati, & incontaminati Christi? ô quam me facti piget! ô quàm me pudet insaniæ meæ: ô vtinam non essent peccata quibus iram merui; ô vtinam me mors è viuis abstulisset eo momento, quo tot & tanta flagitia tanta temeritate perpetraui: quo tot voluptatum libidinibus me per summam obscœnitatem, fœdaui.

Rom.6. 21. Quem fructum habes modò ô anima mea in illis in quibus erubescis? procùl à me deinceps ista Deus meus: facessant hinc abeant in malam crucem, renuntio illis repudium sempiternum, transeant vetera, noua sint

Ps.118. omnia. Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me:

Rom.6. 19. discedite autem à me omnes vos qui operamini iniquitatem, quoniam stat animo sicut exhibui membra mea seruire immũditiæ & iniquitati ad iniquitatem, sic ea in posterum exhibere seruire iustitiæ in sanctificationem. Nil me deinceps separabit à charitate tua ô Christe: non tribulatio, non angustia, non fames, non nuditas non periculum, non persecutio, non gladius, non mors, non vita, non angeli, non principatus, non Virtutes, non instantia, non futura, non fortitudo, non altitudo, non profundum, non alia creatura poterit me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Viuet anima

Rom.8. 35.

mea,

mea, & laudabit te deinceps ô Deus meus misericordia mea, viuet tibi; Mihi viuere Christus erit, & mori lucrum: viuam ego, sed non ego, viuet verò in me Christus. His & eiusmodi mentis aspirationibus, si insistas, affirmare possum te incredibiles idque paucis annis in omni genere virtutum progressus facturum. Et quod caput est, non patet hæc orandi ratio dolis & fraudibus dæmonum, qui animi submissionem, non ferunt, adeóque magis quàm capitali odio auersantur, nec se facilè insinuant vbi eius vel tenuem speciem & vel summa vestigia deprehendunt.

CAPVT IX.

Quo fructu frequententur hæ aspirationes circa peccata.

TOT tamque eximij existunt fructus crebrioris huiusce recordationis peccatorum, vt si singulos persequar, fines transiliam propositæ mihi breuitatis; reuocabo autem omnes ad duos: quorum alter est humilitas, virtutum omnium princeps; alter cautio & prouisio futuri. De priore quidem Bernardus (postquam attulisset illud Apostoli, fidelis sermo & omni acce- Serm. 3. in solēnitate Apost.

1.Tim.1 ptione dignus, quoniam Dominus Ieſus venit peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.) Hoc ergo (ſubdit) apud beatum Paulum fiduciæ & conſolationis accipite fratres, vt ad Dominum iam conuerſos non nimis cruciet præteritorum conſcientia delictorum, ſed tantùm humiliet vos ſicut & ipſum. Ego ſum (inquit) minimus apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei: ita & nos humiliemus ſub potenti manu Dei & fiduciam habeamus, quia & nos miſericordiam conſecuti ſumus: abluti ſumus, ſanctificati ſumus, & hoc quidem omnibus nobis, quia omnes peccauimus & egemus gloria Dei.]

Atque hæc de priore, de poſteriore ſic habeto, nullum omnino exiſtere potentius amuletum ad peccati peſtem auertendam, quàm frequentem eius memoriam. Quî enim fieri poteſt, vt qui immortali illud odio, inexpiabiliq́ue proſequitur: vt is quem ſummè pœnitet dereliquiſſe ſe aquæ viuæ fontem, fodiſſeq́ue ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas: vt is qui præferret omni potius tormentorũ, ſuppliciorumq́ue genere cruciatus, necatúſque perire, atque extrema quæque perpeti, quàm vel tenui labecula mentem ſuam Deo ſacram, Deiq́ue domicilium & templum

comma-

commaculare; Quî fieri inquam potest vt huic vel minima peccandi subrepat cogitatio? vt ita affectus redeat ad vomitum? rursus vt approbet quæ improbauit? resumat quæ abiecit? omnino id impossibile est quocumque etiam metu proposito.

Si mortem intentes, vsurpabit illud Susannæ, *Melius est mihi absque opere incidere in manus hominum, quàm peccare in conspectu Domini.* Dan.13. 23.

Imitabitur atque exprimet fortissimum illud & omni laude præstantius, Eleazari senis facinus, nec admittet illicita propter vitæ amorem, & glorioſissimam mortem magis quàm odibilem vitam complectens voluntariè, eius exemplo præibit ad supplicium, exclamans præmitti se velle in infernum, quàm grauissimas ac sanctissimas Dei sui leges violare. Quid plura? succendantur licet sartagines, & ollæ æneæ, omnisque generis torméta adhibeantur ad eum molliendum, nihilo magis his mouebitur, quàm rupes aut scopulus aliquis, respondebitque cum Machabæis, nihilo illis virtute inferior, paratum se mori magis quàm patrias Dei leges præuaricari. Ad summam nihil ei potest in omni vita adeò triste, adeoque calamitosum accidere, quo eius constantia, animique magnitudo labefactari possit; Obduruit scilicet & percalluit ad omnia acerba & aspera, adeoque forti nexu, arctisque amicitiæ vinculis 2.Mach. 6.23. c.7.3.

Deo

Deo cohæret, vt nulla possit ab eo siue vi siue industriâ, diuelli: nempe nodi sunt aheni, vincula adamantina, quæ nulla humana vi reuelluntur: & licet fractus illabatur orbis, non eum loco suo mouebit, sed immotum & vt priùs Deo colligatum ferient ruinæ.

Quid hoc statu quæso, & animi fortitudine vel iucundius ad vitam, vel clarius ad gloriam, fingi vel excogitari potest? Is est, ni fallor, præclarus fructus & quasi fœtus & partus frequentioris huiusce recordationis peccatorum. Contra verò qui eorum memoriam procul abijcit, nec ei curæ est ea iterum atque iterum noua pœnitudine delere, continuisq; lacrymis in dies eluere, magnoperè profectò est verendum in eadem ne recidat, & fiant posteriora illius peiora prioribus. Præclarè id Chrysostomus quidem vt cetera omnia: Consuetudine (inquit) contemnendi dum de præteritis nullus dolor est, faciliùs superuenientibus malis locum damus, quod si omnis ex anima stimulus auferatur & cuncta ei securitatis fræna laxentur, quis eam post hæc tenebit? aut quis eam de præcipitijs reuocabit?]

1. de cõpunct. cordis ad finẽ.

Nempe est assidua ista peccatorum cogitatio frænum, quod sibi ipsi mens sponte injicit, vt eo coercita, nequeat vagari quocumque eam rapit impetus, sed contineat ipsa

sese

ſeſe intra terminos honeſtatis, motus animi turbatos cohibeat, appetitionéſque obedientes efficiat rationi, cui tamquam rectori & moderatori ſubſit, à quo etiam in omnibus compeſcatur, ne fines virtuti pręſtitutos, præfixóſq; vel latum vnguem trãſiliat. Atque vtinã multorum retro ſæculorum experientia non feciſſet fidem, quàm ſit id veriſſimũ: non mœreremus modò tot tamque triſtes plurimorum caſus, exitúſque verè lugendos, qui dum hoc ſalutare frænum recordationis peccatorum mordere detrectauerunt, neque ſe eo infrænari paſſi ſunt: effuſiſſimis inter hæc habenis ſeſe in vitiorum barathrum præcipitauerunt, eoque extitêre flagitioſiores quò deterius eſt obtenta venia peccatorum: rurſus illum ipſum exacerbare à quo tam amicè & indulgenter gratiam impetraris.

Sed ferenda eſſet hæc tanta calamitas, ſi triuiales quoſque tantùm, & de grege homines inuaſiſſet; ſed heu videre erat (quod luget Ioannes Gerſon) etiam duces gregis, lumina mundi, viros ab omni virtutum genere inſtructos, & orandi ſpiritu ſaltem in ſpeciem excellentes huic tanto malo ſuccubuiſſe: dum enim eò curam omnem ſuam, cogitationem operámque potiſſimùm conferebant, vt potiùs alta & ſubtilia, quàm vtilia & ſuo ſtatui commenſurata meditarentur

tur, & animo reuoluerent inter orandum, nihilque aliud ijs ſacris exercitationibus, quàm vel oblectatiunculas vanáque ſpiritus ſolatiola, vel quod deterius eſt, auram etiam popularem ementitis reuelationibus, futurorúmque prænotionibus conſectarentur, ſuipſorum intereà cognitione memoriáque peccatorum (qua mens intra terminos humilitatis & diuini timoris continetur,) valere iuſſa: ſubrepſit paulatim ſecuritas, nimiáque ſui fiducia, atque abiêre timor & formido iudiciorum Dei, qua tamquam fræno dum amplius non coercentur, ſenſim ſui obliti, miſerè ſe illaquearunt ijs ipſis vinculis, à quibus ante tam feliciter erãt expediti. Itaque hîc mihi liceat cum Auguſtino, exclamare. Vidimus (inquit) multos ô Domine ex patribus noſtris, quod vtique ſine magno timore non recolo, ſine multo tremore nõ confiteor aſcendiſſe primitus quodammodo vſque ad cælos, & inter ſydera nidum ſuum collocaſſe; poſtmodum autem cecidiſſe vſque ad abyſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe. Vidimus ſtellas de cælo cecidiſſe ab impetu ferientis caudæ draconis, vidimus viuos morientes, & eos qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quaſi lutum ad nihilum defluxiſſe.]

In ſoliloquiis c. 9.

Sed veſtrûm erat, ô infœlices! humilita-

tem

tem amplecti, timorem Domini tenere, nimiam fidentiam, sæcuritatemque abijcere. Vestrûm anteactæ vitæ errores assidua mentis cogitatione reuoluere. Ipsa est quæ fugat superbiam, arcet arrogantiam, prohibet vanam de seexistimationem, quâ prolapsi estis (vt & quotquot ferè lapsi sunt dum suæ sanctitati & virtuti plus æquo innituntur) & præcipitati non in illicita modò, sed in obscena, & homine indigna, dictuque turpia. O si humilitatem tenuissetis (& quæ eius perpetua comes est) memoriam peccatorum; adhuc staretis eo gradu honoris & dignitatis, quo vos gaudens vidit aliquando mundus: adhuc staret, nec loco motum esset candelabrum vestrum; inde tamquam lucernæ ardentes in caliginoso loco, se diffunderet, ad omnes lumen vestrum. Inde emicarent virtutum vestrarum radij, haberentque mortales quod intuerentur vitæ probatorumque morum exemplar: nec modò vestra clades nobis, acerbusque casus lacrymas testes doloris exprimeret, nec lugeremus nobis eos ademptos, quibuscum eiusdem fidei professione, eorumdémque sacrorum communitate plusquam fraterna societate eramus colligati.

O rem lugubrem! ô casum luctuosum, sanguineisque lacrymis deflendum! sed quid frustra his lamentis immoror. Insanabilis fra- Iere. 30. 12. 15.

fractura & dolor eorum, peſſima & deſperata eſt plaga eorum. Non eſt ijs reſina in Galaad, fruſtra medicamina, ſanitas non erit eis, neque herba, neque malagma ſanabit eos. Plaga inimici percuſſi ſunt, caſtigatione crudeli, dolor eorum perpetuus & plaga eorum deſperabilis renuit curari. Rudentibus etenim inferni detractos in tartarum tradidit omnipotens cruciandos, vnde nulla redemptio. Frater non redimit, redimet homo? non dabunt Deo placationem ſuam & pretium redemptionis animæ ſuæ, laborabunt in æternum & viuent adhuc in finem, & poſt millia millium, & decies millies centena millia annorum eheu miſeri adhuc viſitabuntur, id eſt, punientur.

Micheæ 1.9. Ierem. 46.11. Sapien. 16.12. Ierem. 30.14. Ierem. 15.18. 1.Petri 2.9. Pſal.48. Iſa. 24. 22.

Ah cur non ſapimus nos tam triſti horum infœlicium, terque miſerorum calamitate & plaga? cur non prouidemus in futurum ne idem nobis accidat? accidet autem ſi noſtræ conditionis obliti, & quantuli ſimus quamque abiectæ ſortis, quantis quamque grauibus obnoxij peccatis, quàm indigni diuina miſeratione, quàm inquam indigni ipſius cæli conſpectu, aëris inſpiratione & expiratione, terræ frugibus & fructibus multiplicique tot animantium obſequio, varióque cæterarum rerum vſu ad vitam tum tenendam, tum tuendam: ſi quam digni vt terra dehiſcens ſe nobis ſubtrahat, & in infernum

tranſ-

transmittat in perpetuum cruciandos, Dei nimirum causam vindicans, pro qua pugnaturus est orbis terrarum contra nos insensatos: si quàm digni qui ligatis manibus & pedibus tradamur tortoribus, proijciamurque viui in tenebras exteriores, vbi nihil nisi fletus & stridor dentium, & in stagnum ardens igne & sulphure, quod est mors secunda; si horum inquam omnium obliuione capti, nec ea magis memorantes, quàm si nos non spectarent, tradamus nos totos sublimioribus cõmentationibus, quę magis oblectant, quàm prosunt, omnesq; cogitationes & studia nostra eò dirigamus, vt alta potiùs & inania quàm salutaria, quæque imperitæ multitudinis plausum excitant, quàm solidum fructum pariant, consectemur. Sap. 5. 18.

Quotidie itaq; exercebit sese animus noster, imò in singula penè momenta recordatione peccatorũ, non sigillatim quidẽ (maximè si memoriã rei turpis inuehant, aut quæ sit æqualis periculi, ne se iterũ pristinæ voluptatis cœno cõmaculet) sed vniuersè. Quisq; agnoscat ingenuè, nec diffiteatur se nefariũ, sceleſtũ & omni turpitudine inquinatissimũ. Miretur diuitias bonitatis, patientiæ & longanimitatis Dei aduersus seipsum, quem, quamquã esset vas iræ, aptum in interitum, sustinuit, tamen in multa patientia, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ. Obstupescat vehe- Rom. 2. 4. Rom. 9. 22.

menter quomodo cùm toties templum Dei violarit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, non disperdiderit illum Deus. Iterum atque iterum cogitet apud se, quàm sint acerbi fructus, quamque tristes & lugendi exitus peccati: dicatque dolore saucius maximè cum sensu dolotis: Verè mendaciũ possedi, vanitatem, quæ mihi non profuit. Expectatio Israel Domine, omnes qui te derelinquunt confundentur, recedentes à te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. Sed tu ô Domine sana me & sanabor, saluum me fac & saluus ero, quoniam laus mea tu es.

Ierc.16. 19.

Iere. 17. 13.

Et quoniam ad iustitiam consequendam firmum vitæ deinceps meliùs degendæ propositum omnino est necessarium; neque sufficit auersio à peccato, nisi adsit etiam vera totóque animo ad Deum conuersio, vsurpet & verbo & re illud Prophetæ: Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia benè mihi erat tunc magis quàm nunc. Amodò ô Deus meus vocabo te, pater meus, dux virginitatis meæ tu es.

Oseæ 2. 7.

Iere.3.4

Denuò repeto rem nullis vmquam verbis satis commendatam, & in qua vis est maxima ad vitæ perfectionem consequendam: nullo vmquam tempore nos peccatorum capiat obliuio, nulla vetustate patiamur eorum memoriã obliterari. Exaremus ea stylo ferreo

ferreo vel plumbi laminâ, & celte sculpamus in silice cordis nostri: dicatur de nobis, licet dispari longè sensu, peccatum eorum scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino & exaratũ super latitudinem cordis eorum, videlicet vt ea semper habeamus ob oculos, nec eorum memoriã deponamus vmquam, sed in ijs cogitandis toti simus, quoad auditui nostro det Deus gaudium & lætitiam, dicátque; fili remittuntur tibi peccata tua: Vade in pace, & ampliùs noli peccare. Iob 19. 24. Iere. 17. 1.

CAPVT X.

Admodum Deo gratas esse has aspirationes circa peccata, probatur exemplo.

THAIDEM Alexandrinam Paphnutij abbatis operâ & cohortatione ad Deum cõuersam, accepimus, ea omnia quæ meretricio sibi quæstu parasset in foro congesta, frequẽtissimâ spectãte & stupente multitudine combussisse, eiusdémque Abbatis consilio feminarum monasterium ingressam, cellâ se inclusisse, ibique continenter & sine intermissione anteactæ vitæ sordes lacrymis eluisse, solóque pane & aqua vitam sustentante corpus inediâ macerasse. Cúmque ab In vitis PP.

ea digrederetur sanctus Abbas, quęsiuisse ex eo vt traderet sibi orandi certam aliquam rationem, quam teneret deinceps. cui Paphnutius. Caue ausis impurâ linguâ, oréque obscœno tuo, atque tot turpitudinum fœditate inquinatissimo, vsurpare Sanctum Dei nomen. Hæc autem tibi erit postquam prociderís in genua orientem versus, oratio. *Qui plasmasti me, miserere mei*, huiúsque orationis assidua repetitione diem noctemque consumes. Accuratè illa quidem obsecuta est Sancto Abbati, neque ausa toto triennio sacrosanctum Dei nomen proferre: nimirum vna erat ei cura & cogitatio delendorum peccatorum, in idque toto pectore incumbés supplicibus votis Dei efflagitabat opem, à cuius etiam nomine præ reuerentia abstinebat, aliud interea nihil animo, nihil ore agitans, quàm quòd sibi præscriptum erat. *Qui plasmasti me miserere mei*: tali autem labore & prece exacto triennio visum est Paphnutio magnum Antonium consulere, an sua essent huic pœnitenti condonata crimina: Itaque magno Antonius religiosorum cœtu in vnũ coacto, iubet eos noctem insomnem ducere, orationique vigilantes instare, vt cuius rei sciscitandæ, cognoscendæq; causa venerat Paphnutius eam diuina bonitas patefacere dignaretur. Dum fit vt iussum erat, ecce tibi Paulum, sancti Antonij discipulorum omnium

omnium facilè principem, qui cælum suspiciens, erectum ibi cubile auro gemmisque præfulgens miratur, erat id cùm magnitudine nobile, tum artis varietate distinctum, ad cuius custodiam quasi excubabant quatuor augustâ specie & miri decoris puellæ virgines. Interea dum oculos tam iucundo tamque insolito pascit aspectu, venit ei in mentem cogitare, nulli alteri instructum illud regium cubile, quàm magistro suo Antonio, quo quidem aut virtute præstantiorem, aut meritis superiorem sciebat neminem. Inter hæc, voce de cælo delapsa monetur, non Antonio hanc gloriam, at Thaidi meretrici pię paratam. Quintodecimo itaque die post, cùm vitâ decessit sancta peccatrix, ad cælestes amplexus & nuptias Agni, euocata cælestis huiusce thalami facta est consors.

O quàm tibi grata accidit summe Deus animi demissio! ô quantum placet peccatorum assidua recordatio! Verè de te pronuntiauit Iudith. superbi ab initio non placuerunt tibi, sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Verè psalmographus: Tu populum humilem saluum facies & oculos superborum humiliabis. Respicis in orationem humilium, & non spernis preces eorum. Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra? Verè de te cecinit

c. 9. 16.

Psal. 17. 28.

Psalm. 101. 18.

c.5.11. Iobus. qui ponit humiles in ſublime & mœrentes erigit ſoſpitate. Quæ autem maior humilitas, aut quódnam illius illuſtrius argumentum, quàm toto vitæ tempore perpetuò figere obtutus in miſeriam ſuam, ſuáque facinora? quàm numquam ſuperſedere laborioſa hac & moleſta ſanè cogitatione? quàm continenter Dei miſericordiam, ſuppreſſo prę reuerentia eius nomine, implorare? Se ream, ſe omni ſupplicio digniſſimam, nocte dieque inclamare? Iacere in puluere? ſqualloréque & ſitu marcere, & carcere cõcluſam, vitam aqua & pane egrè tenere?

Sed non abiêre hæc omnia ſine ampliſſima mercede. Quàm breuem triennij laborem, quàm longum quietis tempus eſt conſecutum! quid per breue triennium ad æternitatem quæ finem neſcit? quæ nullo circumſcribitur aut clauditur termino? Quàm momentaneum & leue tribulationis ipſius, quàm ęternum gloriæ pondus operatum eſt. Et quæ Dei nomen vſurpare præ humilitate & reuerentia erubuit, tenet modo calculum

Apoc.2. 17. candidum & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit niſi qui accipit. Ha-

Apoc. 14.1. bet, inquam, nomen Agni & nomen patris eius fronti ſuæ inſcriptum, vt ab omnibus agnoſcatur eſſe non alterius quàm Dei.

O quàm diſpar temporum conditio & ſtatus! Vetatur in hac mortali vita Deum nomi-

nominare. In illa immortali; aliud nihil habet in ore, aliud nihil in pectore: assiduè eius laudes prædicat: aliàs quidem cum beatis spiritibus identidem clamat, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius: aliàs verò cum quatuor & viginti senioribus. Benedictio & claritas & Sapientia & gratiarũ actio, honor, virtus & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Sic mutantur vices: sed eas mutat pœnitentia, humilitas, iugisque peccatorum recordatio, longèque à vero absumus, si nos alia re acceptiores Deo fore arbitramur. Et licet magna sit humilitas, etiam à Dei nomine præ reuerentia se abstinere, non est tamen immoderata: iusta ea est & summa cum æquitate coniuncta. Enimverò multis est nominibus indignissimus peccator, qui lingua sua tot fœdata impuritatibus, tot inquinata spurcitijs, tot libidinibus deturpata, purissimum illud, sanctissimum omnique honore prosequendum Dei optimi maximi nomen proferat. In quam sententiam adduci potest illud regij vatis, quo improbis interdicitur, tum præcepta & iustificationes altissimi memorare, tum pactum cum prioris testamenti patribus initum insolenter iactare. Quare (inquit) tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Si enim improbus Psal. 49. 16.

Dei leges institutaque enarrare, multo magis ipsum eorum auctorē nominare vetabitur. Quæ quidem non sic volo accipi, quasi peccatori quantumuis impuro, impio & sceleroso nefas sit sacrosanctum Dei nomen proferre: quo id enim iure quáve ratione prohibitum? hoc tantùm contendo, licitè id nec sine merito & ingenti diuinæ beneuolentiæ accessione fieri: nemo enim diffiteri potest insigne illud esse demissi animi, Deoq; subiecti argumentum, nec non illustre quâ illum prosequitur & colit obseruantiæ pignus & monumentum.

Atque vt concludam quidquid huc spectat: equidem existimo nihil habendum antiquius, nihil crebrius vsurpandum frequenti recordatione peccatorum, & hoc affirmare possùm, vt quisque huic exercitio insistat maximè, ita maximè spiritualis viri perfectionem, laudemque consequetur. Atque vt tandem plurimorum occurram querelæ (iustæne an iniustæ, modò non disputo) qui nec se orare posse, & continenter distrahi, nec suppetere quod cogitent inter orandum assiduè queruntur, hoc vnum addo. Imitentur hi, quam supra dixi sanctam peccatricem, neque mentem altis & subtilibus pascere cogitationibus, in quibus plerumque multa latet vanitas, eis fit curæ, distineantur Dei ope imploranda: humilient sese sub potenti ma-

nu

nu Altissimi; agnoscant ob multitudinem & grauitatem peccatorum suorum omni se bono vitáque ipsa indignos.

Et quamquam sexcenties & amplius vsurparint illud, de quo paulo antè. Qui plasmasti me, miserere mei. Iterum atque iterum eadem repetant, intelligantque non capi Deum artificio orationis aptè & eleganter contextæ, neque verborum ornatu diuinam maiestatem deliniri. A page ista, capitur autem, deuincitur, & tamquam irretitur humilitatis actionibus, animóque contrito & humiliato, qui quoties se eius sistit obtutibus, quamlibet easdem ingeminet preces, easque sermone horrido, inculto, agresti & incondito, qualis erat sanctæ illius peccatricis, nouerit tamen nihil se illi auditu iucundius exhibere posse. Verùm de eiusdem inter orandum repetitione sermonis, haud ita multo pòst agendum.

CAPVT XI.

Quæ ex iaculatorijs extrà dictas vſurpandæ crebriùs.

HACTENVS dictum aſpirationibus iis, quæ tum ab oratione dominica, tum à ſuorum cuiuſque peccatorum recordatione petuntur, frequentiore vſu exercitioq; conſuescendum. Quod idem ſpiritualis diſciplinæ periti intelligi volunt de aſpiratione illa, qua profitemur nos omnibus in rebus Dei gloriam honoremque, non noſtra commoda aut voluptatem ſequi. Quæ eadem eſt D. Pauli ſententia: *ſiue manducatis* (inquit) *ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quærit autē D. Baſilius in breuioribus regulis, quomodo quis manducat & bibit ad gloriam Dei? Reſpondet, ſi hæc ad laudem Dei referat, nihil ſollicitus de cibi voluptate, ſed eam ipſam quam percipit ad Dei gloriā & obſequium ordinet. Alio quodam loco non explanat ſolùm, quomodo huic ſeu præcepto ſeu conſilio Apoſtolico, in his duobus naturæ officijs cibo & potione faciamus ſatis, ſed idipſum tradit de qualibet ferè alia vitæ actione. Accumbens (ſic enim loquitur) menſæ, ora: eſitans panem, largitori gratiam rependito: bibis vinū, memento

1. Cor. 10. 31.

Regula 196.

Homilia in Iulitam martyrem.

mento eius, qui tibi illud dedit ad lætitiam, & infirmitatum ſolamen: tunicam indueris, gratias agito benigno datori: ſuſpicis in cælum & in ſyderum pulchritudinem, procide Deo & cole eum, qui cuncta hęc in ſapientia condidit. Pari modo oriente ſole & occidente, in ſomno & vigilia, Deo gratias age, qui hæc omnia ad tuum commodum creauit, & ordinauit vt creatorem agnoſcas, ames & laudes.

Hactenus Baſilius. Qui quidem Apoſtolicum pręceptum contineri vult duobus hiſce capitibus, vel gratiarum actione, vel omnium quæ à nobis naſcuntur relatione ad diuinam gloriam. Atque aſpiratio à poſteriore capitete ducta, ſi nihil melius occurrat, ſic formari poſſit.

Te vnum ô Deus meus maioremq; tuam gloriam ſpecto in hoc opere, in hoc ſermone, hoc in negotio. Illud aggredior vt tibi placeã, vt tibi gratificer, quòd probè intelligam eo te capi & oblectari. Ad illud me accingo, quia ita vis à me fieri. Idem mihi tecum in omnibus velle eſt & nolle, eadẽ ſtat ſententia, eadem oblectatio, quod tibi voluptati eſt, & mihi; viuo ſi tibi viuam, ſi tibi obſequi poſſum: perij ſi mihi aufertur occaſio tibi ad nutum ſeruiendi.

Et vt ad ea ſigillatim naturæ officia, de quibus Apoſtolus, pariter veniamus, Aſpirationum

tionum quidem, quæ ab eis ducuntur, hoc ſtatuo qualecumque paradigma. Vtinam mihi liceret, mi Domine, vitam hanc tranſigere abſque omni cibo & potu: O quando de hiſce neceſſitatibus erues me? Quãdo dabitur edere de ligno vitę quod eſt in paradiſo Dei mei? Quando dabitur guſtare manna abſconditum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit? Sed dum hæ cæleſtes epulæ differuntur, vis & iubes vt hiſce terrenis corpus foueam, vitamque ſuſtentem: Id pariter volo, quia idem tu vis: & voluntas tua mihi melle omni & fauo dulcior. Volo autem non ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, edere & bibere: ſed Chriſtiano more: cibumque ſumere in animo eſt, tamquam pharmacum; neceſſitatis gratia non voluptatis: Quis mihi huius dabit nullum habere ſenſum, nõ magis quàm ſi eſſem aut truncus aut rupes? Sed quoniam hunc qualiſcumque ſenſum voluptatis hiſce naturæ officijs inditum voluiſti, vt ab ea homo tamquam illecebra ſtimularetur ad cibum; perplacet mihi tua ſanctiſſima voluntas, prudentiſſimumque conſilium. Aliàs multò mallem omni hîc carere voluptate (cùm eius percipiendæ tempus nondum aduenerit beatæ vitæ reſeruatum) volo tamen ea ipſa moueri & affici, quia ita vis, & quoniam ita tibi viſum eſt: omnia ad tui nominis gloriam, laudem, honoremque refe-

Apoc. 2. 7.

referendo, cui vni omnia mea seruire & famulari vnicè exopto.

Et quoniam B. Apostolus præscribit vt quæcumque à nobis proficiscuntur opera, Dei Opt. Max. gloriam spectent, & cogitationes animíque motus omnes sint quædam etiam mentis opera: non abs re fuerit suggere quemadmodum etiam in his Dei honorem, non ipsi nos, nostráque commoda consectemur. Res est eo subtilioris difficiliorísque considerationis quàm superior, quo magis latent abditæ, minúsque sese produnt actiones mentis quàm corporis; Surrepunt frequentissimè minus assuetis inuigilare animi sui motionibus, occulta quædam & inania gaudia de rebus bene impræsentiarum gestis, de fauore & laude hominum, de honore, de re familiari ampla & copiosa, de sanitate, de viribus corporis, de ingenij acumine & præstantia, de bona indole, de oblectatione spirituali, cælesti lumine, aut simili quopiam Dei munere, de virtutis actione, de victoria contra dæmonem aut carnis stimulos partâ, & de sexcentis eiusdem rationis.

O quàm sæpe vsu venit vt eiusmodi gaudijs mens plus æquo distenta, ijsque inani quadam complacentiâ adhęresens, & cæca quadam φιλωπία in hisce delinitionibus conquiescens, impetu quodam sese abripi sinat, totumque se effundat ad ijs perfruendum

dum. His autem vir pius, cuique cordi est ne minima quidem maculâ mentem inficere, duplici occurret ratione. Altera est vt breui iaculatoria oratione illas ipsas motiones gaudij, ad earum auctorem reuocet, dirigat, cõtesteturque se eas nisi ad Dei gloriam admittere nolle. Altera vt eas etiam repellat, & à se, si fieri potest, procul abijciat, & ad tristitiam sese componat.

Non est hoc tempus (ita secum ipse loquatur) oblectationis, sed tristitiæ, quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Vbi tristtiia, ibi sapientia. Extrema gaudij luctus occupat. Quæ materia gaudij, vbi omnia periculorum miseriarúmque plenissima? vbi nulla salutis securitas? vbi incerta omnia, nutantia omnia? Placet esse me desolatum, tota die mœrore confectum. Bonum mihi repleri dolore, bibere calicem mœroris & tristitiæ, & epotare illum vsque ad fæces. Didici iampridem beatos qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Scio vertendam tristitiã in gaudium, & gaudium quod nemo tollet à nobis: Et quamquam in præsenti molesta videatur & acerba tristitia secundum Deum, postea tamen fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.

2.Cor. 7.10.
Eccl.5.5
Prou. 14.13.
Thren. 1.13.
Ezech. 33.33.
Heb.12. 11.

Aliâs ita cum Deo sermocinetur. Tibi ô rex sæculorũ immortali & inuisibili honor, gloria & imperium, tibi quies & oblectatio

in

in sæcula sæculorum, Amen. Dignus es ô Domine Iesu omni gaudio & exultatione, qui proposito tibi gaudio sustinuisti crucem confusione contempta. Bonum mihi tuis insistere vestigijs. Bonum mihi cruce tua configi, non est equidem seruus maior Domino suo, neque discipulus supra magistrum; satis est seruo si sit sicut Dominus eius, & discipulo sicut magister eius. An non dedecet sub capite spinoso membrum esse delicatum? An non iniquum gaudere famulum dum amaritudine repletur Dominus, & tristis est anima ipsius vsque ad mortem? Quocirca vertatur in luctum cithara mea, & organa mea in vocem flentium. Heb. 12. 2. S. Bernardus. Matth. 26. Iob. 30. 31.

Atque hęc de motionibus gaudij: sed quia non infrequentiores sunt tristitiæ affectus, ob varias calamitates, aduersosque casus quibus subiecta est hominum vita, si quando mens his affectibus vexabitur, etiam in ijs B. Paulum audiat, eamque ipsam quæ in tristitia ineſt molestiam, æquo animo & lubente ad Dei laudem perferat. Volo, mi Domine (ita ad Deum aspiret) hæc quantumcumque tristia, grauia & acerba, propter te perpeti; offero me insuper paratissimũ ad grauiora, si ita ferat maior diuinæ tuæ maiestatis gloria, obsequiũ, cultus, cui si per me vel minima accessio fieri potest, nihil detrecto, nihil reformido, nihil auersor quamlibet durum, imma-

immane, intolerabile videri possit. Ad hæc paratum cor meum Deus, paratū cor meum, non modò in hoc tempus quod certo eoque breui annorum numero circumscribitur, sed in omnem æternitatem, quæ tibi coæua, ter-
Act. 20. minum nescit: non facio animam meam pre-
24. tiosiorem quàm me. Animam meam pro te
Lucæ ponam. Tecum paratus sum & in carcerem
22.33. & in mortem ire. Atque vt se ipse soletur spe
Isa. 61.3 futuri, dicat. Veniet scio, veniet tempus illud, quando lugentibus Sion dabitur corona pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Quando ad vbera portabimur, & super genua blandientur no-
Isa. 66. bis. Quando gaudebit cor nostrum, & ossa
12. nostra quasi herba germinabunt.

Si quem tristitiâ affectum delectat magis cogitare se meritò ea affligi atque adeò contabescere ob Dei leges toties à se, & tanta cum proteruia violatas: dicat cum quodam
Micheæ propheta. Iram Domini portabo, quia pec-
7.9. caui ei. Præclarè sanè mecum agitur quòd adhuc spirem, nec me repentina mors æternis supplicijs tradidit cruciandum. Vbi essem modò si summo iure mecum voluisset agere
Ps. 10.6. omnipotens Deus? An non essent ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis
Apoc. mei? An non portio mea, stagnum ardens
19.20. igne & sulphure, quod est mors secũda? mors vitalis, mors immortalis, quæ cùm hominem

mori

mori non ſinat, eum miſera immortalitate donatũ, perpetuis ſubijcit ærumnis? Quantula harum miſeriarum pars eſt, ea quam patior triſtitiâ? Quid dico pars, quando nec vmbra earum eſt, non imago, nec vlla ratione cum ijs conferẽda? Patere igitur hæc qualiacumque ô anima mea, perfer & obdura quandoquidem longè promerita es grauiora & acerbiora. Atque hæc de frequentandis aſpirationibus, quibus ad Dei gloriam omnia noſtra reuocamus, & earum occaſione quemadmodum triſtitia vel gaudio affectos ad Deũ aſpirare oporteat, paucis dicta ſint.

CAPVT XII.

De laude Dei & gratiarum actione per orationes iaculatorias frequentandis.

LAVDE & gratiarũ actione, Deo nihil gratius poſſe accidere traditũ à Sãctis Patribus. Ac Chryſoſt. quidem ita ratiocinatur. Propheta Iudæos alloquens non dicit; Tollite armenta boum aut ſimilæ menſuras, ſed tollite vobiſcum verba; quoniã maximũ & pretioſiſſimum ſacrificium ſunt verba & laudes Dei, idque probat ex pſalmo 68. vbi cùm Deo bonorũ omnium largitori gratias ageret Dauid pro victoria: Laudabo, ait, nomen

Homil. cũ preſbyter eſſet deſignatus tom. 5.

Oſeæ 14. 3.

Dei cum cantico, & magnificabo eũ in laude. Et placebit Deo ſuper vitulum nouellũ, cornua producentem & vngulas. Bernardus verò poſtquam fusè eſt proſecutus laudes vnguenti contritionis (ſic enim appellat) lõgè eidem præfert vnguentum deuotionis, quo gratiarum actio, quam modò commemoraui, continetur. Sed præſtat ipſummet audire: cuius eloquium ita dulce, vt mel & lac ab eius ore fluere videantur. Secundi huius, inquit, vnguenti aromata terra noſtra nequaquam profert, ſed procul & de vltimis finibus ea nobis conquirimus, nempe omne datum optimum, & omne donũ perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Fit enim vnguentum iſtud de diuinis collatis humano generi beneficijs. Fœlix qui ipſa ſibi ſtudiosè colligere, & ante mentis ſuæ oculos digna cum gratiarum actione reducere curat. Profectò cùm fuerint in vaſculo pectoris piſtillo crebræ meditationis contuſa atque contrita, deinde igne Sancti deſiderij ſimul decocta omnia, & demum impinguata oleo lætitiæ, erit vnctio longè precioſior, excellentiorque priore. Sufficit ad id probandum eius teſtimonium qui ait: Sacrificium laudis honorificabit me. Nec dubium quin excitet ad laudandum beneficiorum recordatio. Porrò cùm ſcriptura hoc ſolùm teſtetur de priore vnguento, quia nequaquam

Sermone 10. in Cant.

Iacob 1.

Pſal. 49.

quam despicitur, liquet amplius esse cõmendatum quod & honorificat. Denique illud pedibus apponitur, hoc capiti. Si enim in Christo caput ad diuinitatem referendũ est, dicente Paulo; Caput Christi Deus: procul dubio, caput vngit, qui gratias agit, quoniam Deum tangit, non hominem. Itaque illud pedibus, hoc capite exhibetur. En quale vnguentum proposui vobis, quo se nimirum tangi caput illud tremendum principatibus non ducit indignum, imò & honoris insigne iudicat, dicens: Sacrificium laudis honorificabit me.] 1. Cor. 11.

Pergit idem differere quemadmodũ non sit cuiuslibet, tanti pretij vnguentum hoc cõficere, aut ora soluere in Dei laudes, magnis ad id opus esse facultatibus, opibúsque, nec à tenuioribus exhiberi posse. Quamobrem (inquit) non est pauperis & inopis, seu pusilli cordis animæ, conficere istiusmodi vnctionem, nempe cuius aromata & species sola confidentia possidet, quę tamen de libertate spiritus & cordis puritate descendit. Quæ enim pusillanimis est & modicæ fidei mens, rei suæ familiaris tenuitate cõstringitur, nec valet præ inopia ociari ad vacandum diuinis laudibus, seu his quæ laudes pariunt, intuendis beneficijs. Et si quando certè conatur assurgere, confestim domesticarum necessitatum curis vrgentibus, reuocatur ad sua, &

in se comprimi propria egestate compellitur, non est ergo pauperum hoc vnguentum.]

Et quoniam ita Deo accepta, & imprimis cara est hæc vnctio, ea vehementer optat fratres suos abundè perfusos & delibutos: ostendit item ad quos vsus apta est, & quem fructum pariat. Ea est huius viri suauitas atque elegantia in dicendo, vt numquam tædio sit, numquam fastidio: Vtinam (ita exclamat) vos omnes videam alacres in laudibus Dei, spirituali hac pinguedine abundantius redundantes: nec iterare piget, cupio vos omnes fieri sacræ huius vnctionis participes, illius videlicet in qua Dei beneficia cũ lætitia & gratiarum actione recolit sancta deuotio. Hoc enim bonum est tum propter releuandos vitæ præsentis labores, qui vtique tolerabiliores nobis fiunt exultantibus in laude Dei: tum quia nihil ita propriè quemdam terris repræsentat cælestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum: scriptura dicente, Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.]

Serm. 11.

Psal. 83.

Hæc Bernardus: Et sanè laus Dei, idioma est paradisi, iugisque beatorum illorum spirituum materiæ expertium occupatio. *Gaudium & lætitia inuenientur in ea* (cælesti scilicet Hierusalem) *gratiarum actio & vox laudis, per vicos eius, Alleluia cantabitur. Post hæc* (ait Chri-

Isa. 51. 3.

sti

sti dilectus discipulus) *audiui quasi vocem tubarum multarum in cælo dicentium, Alleluia, laus & gloria, & virtus Deo nostro est. Iterum audiui sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocē tonitruorum magnorum dicentium, Alleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens.* Quod itaque nos æternum facturos speramus, cur hîc non inchoemus? Cur non repleatur os nostrum laude, vt cantemus gloriam altissimi, & tota die magnitudinem eius? An fortè deest materia laudum eius? At considera, (ait mellifluus Bernardus) quanta tibi largitus est ad sustentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ad correptionem, quanta etiam ad delectationem.

Tobiæ 13.22.

Apoc. 19.1.6.

Ps.70.8.

In psal. Qui habitat. serm.14

Vnde hæc innumerabilia (quærit Seneca) oculos, aures, & animum mulcentia? Vnde illa luxuriam quoque instruens copia? neque enim necessitatibus tantùm nostris prouisum est, vsque in delicias amamur. Sed vnde tibi istum quem trahis spiritum? Vnde istam quā per actus vitæ tuæ disponis atque ordinas lucem? Vnde sanguinem cuius cursu vitalis continetur calor? Vnde ista palatum tuum saporibus exquisitis vltra satietatem lacessentia? Vnde hæc irritamenta iam lassæ voluptatis? Vnde ista quies in qua putrescis ac marces? nonne si gratus es dices? Deus nobis hæc otia fecit.] Hæc Seneca.

lib.4 de benef.c. 5. & 6.

Quidni igitur pro his (vt post Oseam loquitur

quitur Apostolus) offeres hostiam laudis semper Deo, id est, fructum vel vitulos labiorum confitentium nomini eius? qua quidem
cap. 14. oratione, vel ipso Hieronymo teste, aliud nihil significatum voluere quàm laudes Dei & gratiarum actionem. Quæ eò etiam magis sunt adhibenda, quòd vt scribit Chrysostomus, quamquam nos Deus innumeris prosequatur beneficijs, nihil aliud à nobis exigit præter gratiã, non quòd eius sit egens, sed vt eâ ipsâ eius munificentiam, largitatemque ad ampliora etiam in dies danda prouocemus.]

In Genesim ad c. 18.

Sed videndus ne Bernardus nobis imprudentibus excidat. Is enim varias quodam sermone suggerit rationes & dona ob quæ negat nos vmquam ab actione gratiarum cessare debere. In quotidianis (ita fratres suos compellat) exercitijs & bellis quæ nulla hora, piè in Christo viuentibus desunt, à carne, à mundo, à diabolo, sicut militiã esse vitam hominis super terram incessanter experimini in vobismetipsis, quotidiana necesse est cantica pro assecutis victoriis innouari. Quoties tentatio superatur, aut vitium subiugatur, aut imminens periculum declinatur, aut laqueus insidiantis deprehenditur, aut annosa & inueterata quæcumque animæ passio semel perfecteque sanatur, aut multum diuque cupita & sæpiùs petita, virtus,

Serm. 1. in Cant.

tus, tandem aliquando Dei munere obtinetur, quid nisi toties iuxta prophetam, personat gratiarum actio & vox laudis, & ad singula quæque beneficia benedicitur Deus in donis suis? Alioquin ingratus reputabitur cũ discussio venerit, qui non poterit dicere Deo, Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Arbitror vos in vobisipsis illa iam recognoscere, quæ in psalterio nõ cantica canticorũ, sed Cantica graduum appellantur, eò quòd ad singulos profectus nostros, iuxta ascensiones quas quisque in corde suo disposuit, singula sint cantica depromẽda ad laudem & gloriam promouentis. Quonam modo impleatur aliter versiculus ille non video: Vox exultationis & salutis & in tabernaculis iustorum. Aut certè Apostoli illa pulcherrima salubertimáque exhortatio: in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.] Hactenus Bernardus.] Psal. 118 Ps. 83. 6. Ps. 117. Coloss. 3 Ephes. 5

Ex quibus fit amplissimam vtique esse diuinarum laudum segetem si ad singula eius beneficia (vt merito præcipit Bernardus) gratiarum actio sit vsurpanda. Quod idem alio quodam loco planiùs etiã explicat hisce verbis. Disce in referendo gratiam non esse tardus aut segnis, disce ad singula dona gratias agere. Diligenter (inquit Sapiens) consi- Serm. 51. in Cant.

sidera quæ tibi apponuntur, vt nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non
Ioan. 6. pusilla. Denique iubemur colligere fragmenta ne pereant, id est, nec minima beneficia obliuisci.]

Quod quidem à P. Petro Fabro vno è decem Beati Ignatij socijs egregiè præstitum didicimus, hic enim in commentarios suos seu Ephemerides referebat singula Dei in se beneficia, etiam minutissima, etiã omnium communia, perinde ac sibi vni collata. Deplorabatque suam atque aliorum in ijs retractandis incuriam, eamq; sacrificijs expiabat. Idcirco cùm villarum amœnitatem, agrorũ fœcunditatem, nemorum oblectationem atque vtilitatem oculis peregrinando lustrabat, etiam possessorum nomine grates agebat Deo, & illis ipsis petebat veniam, si fortè velut abiectæ ad pabula pecudes, vnde bona illa acciperent, non sentirent.

lib. 12. Inst. c. 17 Sed meritò oscitãtiæ arguerer si præclara Cassiani in hãc rem monita prætermitterẽ: postquã enim varijs scripturę testimonijs cõfirmauit gratiæ necessitateẽ ad singulas quæ supra naturam sunt actiones, ita concludit. Postremò vniuersa beneficia eius cum gratiarum actione mente sollicita perlustrãtes, super his omnibus quòd vel pugnauimus, vel illuminationem scientiæ, vel disciplinam

discre-

discretionis ab eo cõsecuti sumus, vel quòd suis nos armis instruxit, & virtutis cingulo communiuit, vel quod inimicorum nostrorum nobis præbuit dorsum, & tribuit virtutem comminuendi eos vt puluerem ante faciem venti, intimo cordis affectu clamemus ad Deum: Diligam te Domine virtus mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus. Deus meus, adiutor meus & sperabo in eum. Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus. Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.] Atque hæc Cassianus. Ps.17.1.

Cuius vt & Diui Bernardi, cæterorumque summorum virorum si præceptiones sunt seruandæ, quænam quæso vitæ nostræ pars gratiarum actione vacabit? Imò verò quomodo ei sufficiet omnis vita nostra, quamquam omnes curas, operam, tempus, cogitationes vigiliásq; nostras ad id potissimùm conferamus? An fluit temporis momentum, quo nobis non benignè faciat Deus? quo non profundat in nos infinita omnis generis beneficia? An non in singula momenta infinitas conseruat, continétque creaturas, quæ nostri causa & sunt, & verè laborant: vtputa cælum & elementa, astra, sydera, solem, & lunam?

Atque vt præclarè monet Seneca, tot ar-

busta non vno modo frugifera, tot herbas salutares, tot varietates ciborum per totum annum digestas, vt inerti quoque, fortuita terræ alimenta præberent? Iam animalia omnis generis, alia in sicco solidóque, alia in humido innascentia, alia per sublime dimissa, vt omnis rerum naturæ pars tributum aliquod nobis conferret. Flumina hæc amœnissimis flexibus campos cingentia: illa præbitura commercijs viam vasto & nauigabili cursu vadentia: ex quibus quędam statis diebus mirabile incrementum trahunt, vt anhela & feruenti loca subiecta cælo subita vis æstiui torrentis irriget. Quid medicatorum torrentium venas? quid in ipsis littoribus aquarum calentium exundationes? Quid tot metalla defossa; tot sola aurum vehentia, tam immane argenti, æris, ferri pondus omnibus locis obrutum, cuius inuestigandi tibi facultatem dedit, ac latentium diuitiarum in summa terra signa disposuit.]

Et non ita multo post, Ille (Deus scilicet) tot artes, tot vocum varietates, tot sonos, alios spiritu nostro, alios externo, cantus edituros commentus est. Neque enim nostra ista, quæ inuenimus, dixeris, non magis quàm quòd crescimus, quàm quòd ad constitutum tempus sua corpori officia respondent.] Hæc Seneca.

Quæ quidem eò attuli libentiùs quòd ab ido-

idololatra nec Christianis sacris initiato proficiscuntur: ex quibus liquet gratiam seu gratitudinem, eiusque principem partem, gratiarum actionem, hominum generi ab ipso ortu esse innatam, vt prę clarè etiam observat Chrysostomus.

Homil. 27. in Gen.

Ad superius autem recensita beneficia, addendum hominum obsequium qui quaquauersum per orbem dispersi, alius in aliud incumbit, vnde ad singulos aliquid emolumenti dimanat: Vt omittam Angelorum obsequia & quasi famulatũ, diuorũm intercessiones & suffragia: & totum cælestis curiæ patrocinium & prę sidium, quod mortalibus deesse patitur numquam propensa eorum in nos beneuolentia; verùm singula volentẽ percurrere tempus deficit, mentisque hebescit acies. Quod enim sufficiat tempus spiritualibus recensendis beneficiis? diuina amicitia & gratia, quâ diuinæ consortes efficimur naturæ? virtutibus, donis & fructibus, & quasi sacris fœtibus Sancti Spiritus? ope Dei ad singulas actiones, & imprimis ad eas quæ naturæ facultatem excedunt, præsentanea semper, & in promptu?

Quid commemorem diuinam prædestinationem, vocationem, iustificationẽ? Quid Ecclesiæ Sacramenta, Sacrosanctum Missæ sacrificium, quo Christus ipse continetur & offertur? Quid filij Dei laboriosissimam vitam,

vitam, crudeliſſimamq; mortẽ in cruce pro nobis obitam? Quid cæleſtem gloriã, eiuſq; ſpem, certumq; pignus nobis tot promiſſis, tot Sacramẽtis, tot largitionibus confirmatum? Quid infinita alia quibus ſupputandis calculi nulli, Arithmetica nulla poſſit par inueniri? Et quidẽ his in ſingula momenta fruimur. Vnde conſequitur diuinam munificentiam quodlibet vitæ noſtræ punctum infinitis, imò infinitè infinitis proſequi donis & largitionibus: Quibus ſi vicem quodammodo rependere volumus, quis non videt nos infinitis partibus longè ab ijs ſuperari? nec ſingulorum hominum aut ætates aut vires, in vnum licet coaleſcerent aut conflarentur, poſſe vllo vmquam tempore tam immenſæ largitati, benignitatiq́ue pares inueniri?

Et ſanè eam ob cauſam credo toties & tam enixè commendatam ab Apoſtolo hanc gratiarum actionem. *Ambulate in Chriſto* (ita
c.2.7. ſuis Coloſſenſibus) *abundantes in ipſo in gratiarum actione. Sine intermiſſione orate*, (ita allo-
1. Epiſt. quitur Theſſalonicenſes) *in omnibus gratias*
c.5.17. *agite. Implemini Spiritu Sancto* (ita ſibi chariſſi-
c.5.20. mos Epheſios) *gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deo & Patri.*

An non idem, rudi licet, & inculto Iu-
c.6:.6. dæo inculcat Iſaias grauiſſimis hiſce verbis?

Qui

Qui reminiſcimini Domini ne taceatis, & ne detis ſilentium ei, donec ſtabiliat, & donec ponat Ieruſalem laudem in terra. Vetat eos Propheta, Dei laudes ſilere & reticere, neque nos patitur ab iis vllo vmquam tempore feriari: Si igitur eos nos eſſe volumus, qui debemus, & nos ipſi Deo probare, maioráque in dies promereri beneficia, erimus toti in gratiarum actione, prima, media, poſtrema, omniſque noſtra cogitatio in id vnum ſummo conatu feretur: nulla quantumuis exigua vitæ noſtræ portio ab hac tam pia tamque neceſſaria exercitatione erit immunis. Semper (monet grauiter Auguſtinus) magnificetur Dominus. Peccator es, magnificetur vt vocet. Confiteris, magnificetur vt ignoſcat. Iam iuſtè viuis, magnificetur vt regat. Perſeueras vſque in finem, magnificetur vt glorificet. Magno itaque nos ſcelere exiſtimabimus obſtrictos, ſi vel vnum nobis temporis abeat momentum Deo illaudato, ſi vel punctũ effluat, quo nos eius cœperit obliuio. Illud, *Deo gratias* tam familiare Beatæ Virgini Dei genitrici, in omni ſermone noſtro vſurpabimus, de qua ſcribit Sanctus Bonauentura poſt D. Hieronymum in hæc verba. Sine intermiſſione benedicebat Deũ, & ne fortè in ſalutatione ſua à Dei laudibus tolleretur, ſi quis eam ſalutabat, illa pro ſalutatione ſua, *Deo gratias* reſpondebat. Denique primum ex ipſa

In pſ. 69

In meditat. vitæ Chriſti c. 3.

ipsa exiit, vt dum salutantur homines, sancti, *Deo gratias* dicant.] Hæc Sanctus Bonauent.

Scimus quidem laudábilem hanc eandem consuetudinem iam inde à primo suo ortu, à familia quadam religiosa vsu receptam, & in hodiernam vsque diem fœliciter propagatam, siue enim alium appellent, siue appellentur ab alio, seu salutem impertiant seu reddant, & in omni sermone adhibent præmittuntque hoc quasi præludium, *Deo gratias*: tum vt Sancta quadam æmulatione Dei matrẽ imitentur, tum vt hac ratione absque vlla parentheſi & interruptione Dei laudibus cui se omnia debere profitentur, cuiusque beneficentia in singula momenta perfruuntur, insistant. At vtinam quemadmodum hoc patrũ suorum institutum Sanctè inchoatum hactenus viguit floruitque: ita ad posteros integrum, illibatúmque perpetuóque vsu magis quàm litteris consignatum, confirmatúmque transmittatur.

Atque vt eò vnde egressa est referat se oratio. Benedicemus Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore nostro. Neque verò eo contenti: Inuitabimus item alios hâc Propheticâ voce ad idem præstandum. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.* Et, *laudem dicite Deo nostro omnes serui eius: & qui timetis eũ, pusilli & magni:*

Apoc. 19.5.

Gau-

Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei. Eccles. *Glorificate eum quantumcumque potueritis, superabit adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis; maior enim est omni laude. Exaltantes illum replemini virtute, ne laboretis, non enim comprehendetis.* 43.32. Quod si quos inuitabimus, minus sequentur, tardioresque se exhibebunt, agamus nos ipsi personam eorum, æmulemurque Patrem Fabrum, cui tanti erat hæc gratiarum actio, vt non modò se ingratum esse nollet, sed ne cæteros quidem: quocirca etiam aliorũ nomine diuinæ maiestati identidem gratias agebat.

Et quoniam se tanto huic muneri longè imparem existimabat, inuocabat (ait historia Societatis Iesu) inter peregrinandum Sanctos cuiusque loci patronos ac tutelares, quẽ in vsum longâ peregrinatione quamplurimorum nomina collegerat, vt pro habitatoribus suis aut gratias agerent, aut veniam à Deo peterent, partesque illas officij, atque gratiarum, quas ipsi incolæ vel negligerent, vel ignorarent, ipsi vltrò susciperent atque peragerent. Eisdémque egentes auxilio & solatio, & singula nominatim calamitosorum nomina commendabat.] l. 3.

O fœlicem illum cui omnis vitæ momenta sic decurrunt! Cui viuere, est conditorem suum laudibus indesinenter celebrare! cui mors

mors est omni tristior morte, vel minimum de Deo silere. Quid enim beatius (quærit Basilius) quàm Angelorum concentum in terra imitari? quàm statim oriente die in preces excitari? quàm in hymnis & canticis venerari creatorem?]

Epist. de vita solit. ad Gregor. Nazian.

Sed ô fœlicem; imò verò mortalium omnium fortunatissimum, si mors illum his pietatis in Deum actionibus incumbentem occupet. Nequaquam mors dicenda talis vitæ exitus: aut si mors dicenda, equidem eam mortem longè omni vitæ, quantumlibet beatè omniumq; bonorum copiis affluenti anteponendam censeo. Plerique spero, pedibus ibunt in eam sententiam.

CAPVT XIII.

De nonnullis aspirationibus cælitùs inspiratis frequentandis.

ADMODVM Reuerendus Dominus Blosius vir eximiæ pietatis & eruditionis pias aliquot iuxta atque vtiles rationes ad Deum aspirandi suggerit, quas nonnullos Christi familiares asserit diuina reuelatione didicisse. Earum præcipuas paucis cõplectar.

Inst. Spirit. c. 9.

Prima est, quâ quæcumque à nobis emanant, siue actiones sint exteriores, siue sermones, siue interiores animi motiones, cuiuſ-

cuiuscumque generis, amoris, spei, desiderij, gaudij, tristitiæ &c. nõ referimus tantùm ad Dei honorem, quemadmodum superiùs monuimus, sed etiam eadẽ sociamus actionibus, sermonibus, animique motionibus Christi seruatoris. Idipsum scribit vt fiat in rebus aduersis, quas quidem vult coniungi cum vniuersis doloribus & laboriosissima vita eiusdem.

Hîc mihi dicat quispiam quo id fructu præstet? Huic respondet Blosius, non pœnitendo sanè, opera enim & labores aduersaque omnia, aliàs per se vilia, obscura atque imperfecta tali coniunctione nobilissima, clarissima, ipsique Deo multo fore acceptissima. Et quemadmodum aquæ momentum in vas generoso vino plenum si infunditur, illico à vino absorbetur, desinit esse aqua, & eximio vini colore, viribus, saporeq; receptis in eius naturam vertitur. Sic & illa infinitam quandam dignitatem ex Christi meritis, quibuscum copulantur & quasi vinciuntur; consequi necesse est. Harum aspirationum vsum his aut consimilibus verbis docet contineri.

Pater Sancte (inquit) offero tibi has meas actiones, hæc exercitia, hæc verba mea per vnicum Filium tuum in virtute Spiritus Sancti ad æternam laudem nominis tui, omniumque hominum salutem. Offero

tibi preces meas sociatas orationibus Domini mei Iesu Christi. Ieiunia mea copulata eius ieiunijs: refectionem meam, somnum meum, coniuncta inæstimabili illi charitati, quâ ipse Christus pro nobis factus homo, cibo & somno instar hominis voluit refici. Offero verba mea, tamquam vnum sint & idem cum sacratissimis verbis Christi. Item lacrymas meas offero immersas infinito pelago lacrymarum, quas toties, tantoque cum pietatis affectu immensoque merito profudit.

Secunda ratio aspirandi est, quâ calamitates, afflictionesque nostras omnes, qualescumque demum sint, seu graues, seu leues; siue interiores, siue exteriores, Deo offerimus in hunc ferè modum. Dulcissime Domine Iesu Christe, ego tibi hanc tribulationem, hunc mœrorem, hanc tentationem, hos dolores, & quidquid vnquam acerbi & aduersi sum perpessus, offero coniuncta acerbissimæ, atrocissimæque passioni & morti tuæ: totiusque sacratissimæ vitæ tuæ doloribus & molestijs. Offero inquam illud omne ad æternam laudem nominis tui, totiusque Ecclesiæ salutem.

Tertia ratio ea est, quando in omnimodam expiationem peccatorum, & cumulatam solutionem debitorum, quibus diuinæ maiestati homo est obstrictus: Item pro salu-

te

te vniuersorum, tam viuentium quàm vitâ functorum, offert deo Patri merita infinita Christi saluatoris. Vel eidem offert tremenda, & omni obseruantia cultuque dignissima mysteria eius Incarnationis, Natiuitatis, conuersationis, passionis, mortis, Resurrectionis, glorioseque ascensionis in cælum. Quo reduci potest, quando pro superbia sua, offert eius humilitatem, pro iracundia mansuetudinem, pro incontinentia continentiam, pro malitia sua, eiusdem innocentiam.

Poterit item Christum dominum sic compellare. Eia mi Domine Iesu vim patior, Isa. 38. responde pro me, exsolue debita mea, fideiube pro me apud Patrem, offer illi inexhausta humanitatis tuæ merita, quibus placatus omne mihi debitum condonet. Poterit etiam dum missæ sacrificio interest eius sacratissimam hostiam, id est corpus, sanguinem, animam, & diuinitatem filij Dei (ita loquitur Concilium Oecumenicum) quæ à sacerdote æterno Patri immolantur, etiam ipse eidem offerre in holocaustum, idque pro suis totiusque vniuersi delendis peccatis. Vide Trident. sess. 13. can. 1.

Addit Blosius hanc eandem immaculatam, infinitique pretij hostiam, posse diuinæ maiestati offerri ad augmentum gaudij ac gloriæ (intellige accidentarię) eorum qui Diuis ascripti sunt. Sic etiam (inquit vir verè pius) dulcissimum cor Iesu (quod à sacra ho-

stia nõ abeſt, cùm ſit eius corporis pars princeps) tamquã totius beatitudinis gazophylacium poterit in augmentũ gloriæ Sanctorũ offerri Sanctis ipſis. Poſtremò quia cuilibet noſtræ actioni, etiam illis quæ ad Dei gloriã obeũtur, variæ ſeſe ingerũt imperfectiones, conſultum erit Chriſtũ enixè rogare, vt has vniuerſas ſuppleat, & de ſuo benignè largiatur, quod in noſtris deſideratur operibus.

Ieſu bone (ita Bloſius) ego nimis imperfectè tibi ſeruio, laudo, diligo: nimis longè adhuc abſum à vera mei abnegatione atque mortificatione, à vera humilitate, manſuetudine, patientia, charitate, continentia. Rogo ergo, vt quod minus eſt in me, tu digneris ſupplere, offerens Patri diuinum cor tuum. Aliàs ſequentem adhibeat formulam: Ego laudum tuarum penſum perſolui, ac tepidum diſtractumque ſeruitium meum commendo diuino & mellifluo cordi tuo bone Ieſu (quod diuinitatis cordi inſeparabiliter vnitũ eſt, & vnde omne bonũ promanat) emendandum atq; perficiẽdum, ipſumq; tibi offero ad gloriam nominis tui, totiúſque Eccleſiæ ſalutẽ, iunctum dilectioni illi, quâ tu Patrem oraſti & laudaſti in terris, & te rogo, vt teipſum perfectiſſimè laudes in me. Hæc ferè Bloſius.

Qui quidem tanti has aſpirationes facit vt aſſerat Chriſtum Dominum certò ſuppleꝛe

re quod homini deest. Credamus (inquit) hoc & procul dubio ita fiet. Necesse enim est, vt obtineamus à Deo quælibet vtilia, si humili & certa fiducia speramus nos ea obtenturos. Is qui rogat Christum, vt suo nomine satisfaciat, pro se suppleat, seque suis exornet & ditet meritis; si dubius, nimiumque meticulosus permanet, similis est ei, qui vilibus sordidisque vestimentis exutus, repenteque regijs indutus, non nouit decenter & compositè pro ratione regiarum vestium incedere, sed pro rusticitate cui assuetus est, ineptè, & incompositè graditur. Speret ergo & sentiat de Domino in bonitate: sperer, inquam, se facilè impetraturum quæcumque salutaria postulauerit per merita & in nomine Iesu Christi; fieri enim nequit, vt non sit ea petitio aut oblatio Deo Patri acceptissima: quemadmodum necessariò apparet aureum vel purpureum quidquid per lucidam gemmam, siue per vitrum aurei, purpureiue coloris conspicitur, neque enim vel in cælo vel in terra quidquam habet carius Pater vnico filio suo. Vnde & Sancta Ecclesia omnes suas petitiones ita concludit. Per Christum Dominum nostrum.

Sanctus Bernardus multò ante, hæc eadem & docuit, & reipsa præstitit. Explanans namque illud Canticorum, Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera Serm. 43. in Cant. c. 1.

mea commorabitur: Ego (inquit) fratres ab ineunte mea conuersione pro aceruo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus domini mei. Primum videlicet infantilium illarum necessitatum, deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in ieiunando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo: postremò periculorum in falsis fratribus, conuitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis sylua Euangelica copiosissimè noscitur protulisse. Hunc fasciculum nemo tollet à me, inter vbera mea commorabitur. Hæc meditari dixi sapientiam, in his iustitiæ mihi, perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his diuitias salutis, in his copias meritorum.

Quod autem se iam inde ab ineunte ætate dicit per omnem deinde vitam præstitisse, maximè id quidem præstitit in graui morbo, ex quo etiam ferè abreptus est è viuis. De quo auctor vitæ ipsius, qui ei ægroranti inter cæteros aderat, ita narrat. Infirmabatur aliquando homo Dei phlegmate incessanter

Lib 1. vitæ c. 12.

ab

ab eius ore fluente. Cumque extremum iam trahere spiritum videretur, in excessu mentis suæ ante tribunal domini sibi visus est præsentari. Affuit autem & sathan ex aduerso, improbis eum accusationibus pulsans. Vbi verò ille omnia fuerat prosecutus, & viro Dei pro sua fuit parte dicendum, ille territus aut turbatus ait: Fateor non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cælorum: cæterùm duplici iure illud obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet Patris & merito passionis: altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cuius dono, iure illud mihi vendicans non confundor. In hoc verbo confusus inimicus, conuentus ille solutus, & homo Dei in se reuersus est.]

Et sanè meritò gloriatur Bernardus sibi à Christo communicata suæ passionis merita: si enim Apostolo credimus: *Christus factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*; quia vt visum Chrysostomo, Ambrosio, Theophilacto, Anselmo, & S. Thomæ, fuit nobis auctor & causa veræ sapientiæ, redemptionis, sanctitatis, & iustitiæ, idque non vno modo sed variis, quos prosequi non est nostri instituti. Præcipuus, & quò maximè spectat Apostolus fuit is, quo Christus vniuersi generis humani debita iustissimo sanguinis sui pretio exoluit & exhausit, vt loquitur idem Apostolus, nobisque me- 1. Cor. 1.

ruit iustitiam, sapientiam, & sanctitatẽ: adeóque ita factus est nobis iustitia, vt iustitia, id est satisfactio Christi & merita, nostra sint perinde, ac si nos ipsi Deo satisfeciſſemus, & eius gratiam, peccatorumque condonationem promeriti eſſemus. Hinc communi Theologorum sensu, in iustificatione per Sacramenta, quasi prius natura Christi satisfactio, passio, mors, vniuersaque eius merita nobis applicantur, vt deinde posterius natura, propter eadem ipsa remittantur peccata & gratia infundatur.

O quantum in hac re probis pariter & improbis vitæ solatium! Cùm defecerit virtus mea (ait Bernardus) non conturbor, nõ diffido, scio quid faciam: confugiam ad Christi merita, quæ nunquã nõ Pater exaudit. Quomodo non accepti simus æterno Patri, quos Christi dilectiſſimi filij meritis viderit locupletatos? Qui fieri potest vt nos non recipiat in gratiã, cõdonétq; ea debita, quibus dissoluẽdis tantũ persoluit Christus pretiũ! Illudq; ipsum eo voluit haberi loco tamquã si ipsi de thesauro nostro prolatũ repræsentaſſemus, tanquã ipsi immaniter flagris cõsciſi, spineâ coronâ redimiti, clauis per summã crudelitatẽ cõfixi, mortui denique morte cruciseſſemus.

Vnde noua etiã exsurgit ratio aspirandi ad Deũ, eiq; exhibẽdi filij sui merita, nõ modò vt nobis aliena, & ipsius tãtùm Christi propria

(quam

(quam rationẽ ſupra attigit Bloſius) ſed etiã vt noſtra, noſtríq; quaſi iuris & dominij. Itaque nihil vetat nos hoc modo Deum cõpellare. Largire mihi, Pater æterne, humilitatẽ, patientiam, charitatem, cõcede abſtinentiã, continentiam, contemptionẽ terrenorum, fac me pauperẽ ſpiritu, verè obedientẽ, &c. Neq; gratis ea peto, habeo quod numerem pretiũ: En tibi viciſſim reddo merita Chriſti, non modò vt Chriſti, ſed vt mea ſunt, nam verè titulo gratuitæ donationis mea ſunt. Ipſe enim, ô Pater æterne, factus eſt nobis à te ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio. Ne me igitur repellas à te, fac me voti cõpotem. Si attendas datum & repenſum, ampliora cõperies me reddere, quàm abs te accipere. Quamquã & idẽ ipſum quod reddo, tuũ eſt. Quid enim nõ tuũ? tuæ diuitię, & tua eſt gloria, tu dominaris omniũ: cũcta quę in cęlo ſunt & in terra, omnia tua ſunt, & quę de manu tua & benedicti filij tui accepi, reddo tibi. Cũ huiuſmodi precatio iaculatoria nõ nitatur ſolũ Dei clemẽtiâ & bonitate, verùm etiam æquitate & iuſtitiâ; fieri nequit vt repulſam patiatur ab illo, qui æqui & recti amantiſſimus, non tãtùm noſtra merita æquabit, ſed liberaliſſimus & munificentiſſimus cùm ſit, menſuram bonam & confertam & coagitatam, & ſupereffluentem, & ſupra omne meritum inferet in ſinum noſtrum.

1. Paral. 29. 14.

Lucæ 6. 38.

CAPVT XIV.

De frequentanda aspiratione, quæ fit oblatione sacratissimæ hostiæ.

BLOSIVS superiori capite nobis exhibuit salutarem admodum mētis exercitationem, quâ sacerdote rem diuinam faciente, & nos ipsi pariter cum eo sacris operamur, eandemque immaculatam hostiam corporis & sanguinis pretiosissimi, quam ipse æterno Patri litat, vnà cum ipso immolamus. Equidem arbitror genus hoc iaculatoriæ orationis inter omnes omnino principem locum tenere, nec quidquam gratius accidere Deo posse, nihilque iucundius eum intueri, quàm vnici filij sui, summè à se dilecti oblationem & sacrificium. Verùm vt huius tam salutaris praxis sese latiùs diffundat vtilitas, moneo non esse necesse eam oblationem vel loco sacro tantùm, vel dum sacerdos sacris operatur peragi perficique. Quidni possit quouis loco etiam prophano, & omni tempore, horaque tum diei tum noctis extra missæ sacrificium fieri?

Et vt res tanti momenti vsu ipso doceatur; de ea sic habeto. Quisquis sancta hac exercitatione volet assuescere, is stata sibi præstituat eius obeundæ tempora, (exempli causa,

sa, minimum singulas horas tum diei, tum noctis si quando euigilabit) mentemque conuertat ad sacratissimæ Eucharistiæ sedem ac domicilium, atque ad sacram pyxidem quæ ibidem condita, augustissimum Christi corpus continet, hocque aut simili modo aspiret. Offero tibi ô beatissima Trinitas quidquid sacratissima illa hostia consecrata continetur, corpus scilicet, sanguinem, animam, diuinitatem; vniuersaque merita filij Dei, (vel filij tui si Patri solùm expressè sacrificare velit) offero inquam ad hoc vt sanctificetur nomen tuum, vt adueniat regnum tuum, vt fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra: Similiter pergat ad cæteras, si ita ei visum erit.

Vel offerat sacratissimam hostiam in gratiarum actionem pro infinitis beneficiis sibi ab æterno adhuc collatis, & quæ in æternum posthac conferentur: in suorum remissionem & expiationem criminum totiusque mundi, in subsidium eorum omnium qui (vbi vbi existant) doloribus, calamitatibus, ærumnis pressi, diuinæ opis egentes sunt. In adiumentum animarum, quæ purgatorio igne cruciantur. Ad incrementum & accessionem gloriæ beatorum. Ad improborum, eorumque maximè quos longa peccandi consuetudo irretitos tenet, conuersionem. Ad proborum constans in virtute studium, ne

ne vllis aut fecundis rebus aut aduerſis ab honeſto deflectant. Offerat pro ſibi infeſtis, ſi quos patitur, ijſque à quibus vel eſt vel fuit animo alieniore: difficile eſt eloqui, quàm capiatur Deus hoc inſigni Chriſtianæ dilectionis officio.

Item pro vniuerſis catholici nominis, & fideihoſtibus, pro hęreſum radicitùs extirpatione, Ethnicorum conuerſione, Sãctiſſimæ noſtræ fidei propagatione: Eccleſiæ pace & tranquillitate, Apoſtolicæ ſedis auctoritate, Principum, Optimatumque Chriſtianorum mutua beneuolentia & coniunctione. Sexcenta alia ſuggererem, niſi res eſſet in promtu. Poteſt enim eadem hoſtia Sacratiſſima & merita, offerri pro ſacris religioſorũ familijs, vniuerſóq; ordine eccleſiaſtico, deſcendendo etiam ſigillatim ad ſingula eius corporis membra, ijs inhærẽdo, potiſſimũ quos Apoſtolus ipſe commendat, qui laborãt in verbo & doctrina, & incõfuſibiles operarios ſe exhibẽt in patiẽtia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, cæteriſque virtutum ornamentis, quæ Apoſtolus fusè proſequitur.

1 Tim. 5.17. 2.Tim. 2.15. 2.Cor. 6.6.

Neque verò memoriâ excidant publicæ omniúmque cõmunes calamitates, peſtilentiæ,

tiæ, famis, bellorum, vt vel ea Deus auertat, si absint, vel ab eis liberet, si adsint. Ad extremum si animo & cogitatione percurrere volet vniuersum orbem, atque se in illam Beati Cypriani speculam transferre, quomodo ei deesse possit, cui applicet huius fructū oblationis? Inde mundum omnē prospiciens, varia eaq; peruersa mortalium studia, curas, cogitationes, negotia, sermones, cursitationes, labores, nundinationes, & facta omnia improba, eminus cōtemplabitur. Ibi se obijciet tanta vanitas omnium inanitatū, tanta etiam fœditas omnis generis impuritatum, tāta obscœnitas & turpitudo flagitiorum, tantum malorum diluuiū (quo enim id alio nomine appellē?) super vniuersam terræ superficiem exundantium; vt tot tātorúmque malorum commiseratione, & ob tam tetrum, tamque miserabilem ac funestum mundi statum dolore affectus, facere non possit, quin eius saluti hostiam salutarem voueat, diuinamque meritò accensam iram, restinguere & placare eximiâ hac oblatione pro virili contendat. l. 2. epistol. 2.

Et quoniam suimet immemorē existere, ordinata charitas non patitur, atque vt est in sacro prouerbio, qui sibi nequam cui bonus? nullus ei dies abeat, imò ne hora quidem (quoad eius fieri poterit) quâ infinitum illum thesaurum, sacrâ contentum hostiâ, Eccles. 14.5.

pro

pro se non offerat; per eamque Deum obtestetur, vt quas sibi deesse sentit virtutes affluenter benigneque concedat. Exempli causa vt se humilitate, patientiâ, charitate erga Deum & proximum, castimoniâ, cæterisque dignis christiano nomine ornamentis locupletet. Illud tamen admonendum censeo: licet qualibet huiusmodi aspiratione & oblatione possit ferri animus in superiora omnia sigillatim, sicque paulò esse diuturnior, id tamen vt ita fiat non est opus omnino: potest enim quiuis vnum, aut alterum sibi ex superiùs dictis deligere, cui suam oblationem applicet, subiiciendo generatim optare se vehementer illam vniuersis atque adeò singulis esse fructuosam.

Et quoniam plurimorum frequens est querimonia, non posse se cum Deo sermocinari, neque ita mentem supernarum rerum atque cælestium contemplatione exercere, quin statim ab irruentibus rerum externarum imaginibus & phantasmatibus auocentur aliò, quasique facta vi rapiantur, neque posse animum attendere ad vnam aliquam rem, vnde magnum eis rerum diuinarum atque orationis innascatur tædium: Equidem arbitror huiusmodi tædio cęterisque incommodis vitandis, posse illos nonnihil opis consequi, si materia quę in manibus est commutata animum transferant ad hanc oblationem

tionem paulò diuturniore aſpiratione perficiendam, inhærendo videlicet aliquantiſper rebus ſingulis, pro quibus eam Deo immolatam volunt. Quas quidem deeſſe non poſſe quis non videt, quandoquidem orbem vniuerſum poſſit, eiuſque prouincias ſingulas menti ſuæ obiicere?

Quot enim nationes fidei lumine deſtitutæ, quot populi hæreſum peſte & contagione infecti; quot regiones ſchiſmate ſciſſæ, & à ſanctæ ſedis Apoſtolicæ obedientia & communicatione diuulſæ: Sed quot mortales fœdiſſimorum peccatorum cœno ſordidi. O ſi poſſis (inquit Cyprianus) oculos tuos inſerere ſecretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conſcientiam luminum, penetralia occulta reſerare, aſpicias ab impudicis geri, quod nec poſſit aſpicere frons pudica. Videas, quod crimen ſit & videre. Videas quod vitiorum furore dementes geſſiſſe ſe negant, & gerere feſtinant, quorum quò ſecretior culpa, maior eſt audacia]

Ferreus ſit quiſquis hæc videt, nec miſeretur. Quiſquis hæc videt neque gemit & dolet ſuper cunctis hiſce abominationibus. Impius ſit quiſquis gemit, nec ei curæ eſt iis pro virili occurrere. Ezech. 9.4.

Tu igitur cui meditatio, & cum Deo ſermocinatio faſtidium parit, cogitationem conuerte ad infinita, quibus mundus (heu nimis)

nimis) exuberat, crimina. Vide mihi quomodo maledictum & mendacium, adulterium,
Oseæ 4. 2. furtum & homicidium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Quomodo non est misericordia neque veritas, neque scientia Dei in terra. Vide quemadmodum omnes adulterantes quasi clibanus succensus à co-
Ierem. 5. 1. quente; Heu mihi quia circuiui vias Hierusalem, & aspexi, & consideraui & quæsiui in
Mat. 25. 1. plateis eius, nec inueni virum qui faciat iudicium, & quærat fidem; Omnes, omnes, declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est
Isa. 1. 23. qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Principes infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Populus grauis iniquitate, semen nequam, filij
Isa. 1. 6. scelerati: sicut populus, sic & sacerdos, omne caput languidum & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas.

Quis tot malorum eluuionem, tam profligatum mundi statum, tam labefactatam Christi disciplinam, siccis possit oculis præterire? neque tu mihi crede, nisi sis adamante
Isa. 1. 22. durior lacrymas continebis. Vertetur tibi orandi fastidium in oblectationem, scoria tua in argentum, aqua teporis in vinum accense in Deum charitatis; quâ inflammatus, ô quàm illa citò tibi fluet hora, quæ antea annum durare visa est: breuior erit illa voto tuo,

eam-

eamque reuocare contendes, vt vacanter & liberiore otio hac Sacrosancta hostia Deo repræsentata, singulorúmque ordinum corruptis deprauatisque moribus deploratis, tot tantisque malis si non omnino, ex parte vtique medeare.

Neque verò existimo vllũ aliud orãdi genus existere quod cũ isto vel facilitate, veliucũditate, vel fructu certare possit. Quæ enim oratio minore mentis contentione, nisuque perficiatur, quàm hæc oratio? Quid autem eâ iucundius ob rerum personarúmque varietatem, quarum sibi salutẽ proponit? Quid ea deniq; fructuosius ad immensum propè quæstum ex spirituali cum Deo colloquio, consuetudinéq; colligendum? cùm summarum hîc nobilissimarúmq; virtutũ actiones obeantur, vt paulò pòst disseremus. Neque verò cuiquam videatur exoticum & peregrinum quod modò sum dicturus: posse nõ incongruè hanc ipsam oblationem ad eadem ipsa exoranda, quæ supra à me sunt commemorata, fieri Virgini Deiparæ. Scio equidem vni Deo in signum & testificationem supremi, quem in creaturas omnes exercet dominatus, imperiique, sacrificari; nihil tamen vetat, quin huius sacrificij diuinissima hostia offeratur (nullo intuitu Sacrificij) & repræsentetur illi vt genitrici, à qua humanitatem sese habere Christus Dominus

non semel est testificatus; nimirum vt per immensa ipsius merita, perque ipsius corpus, sanguinem, animam, & diuinitatem, quæ omnia non sine matris beneficio possidet (neque enim absque illa esset hæc persona, quæ Deus homo, vel homo Deus dicitur) ea largiatur, quæ vel nobis vel alijs postulamus. Equidem reor tam fore efficacem huiusmodi oblationem ad quælibet etiam maximè ardua impetranda, quàm est vehemens amor, & ardens charitas, quâ mater prosequitur filium, atque adeò talem filium.

Ad fructus quod attinet huiusce oblationis, tam sunt innumerabiles, vt nullâ possint oratione comprehendi: & quoniam ea res non habet difficultatem, satis erit verbo attingere. Omissa autem impetratione, quæ per se patet, non exigui sanè colligũtur hinc fructus meritorum à nobilissimarum virtutum exercitio: quod superiùs disserere cœperam: ac primùm fidei (cui quidem tamquam firmæ basi cæteræ innituntur actiones) dum certo certiùs primæ veritati assentimur, quâ à Christi dilecta sponsa, quæ est columna & firmamẽtum veritatis, docemur ipsum eundem Christum Dominum, ipsiúsque corpus, sanguinem, animam, & diuinitatem verè & reipsa, Sacratissima Eucharistia contineri.

1. Ad Tim. 3. 15.

Magni est profectò meriti hæc fides, quâ homo

homo captiuat intellectum in obsequium Christi, omnique ratione & humanæ sapientiæ argutijs compressis, posthabitisque, subijcit sese Dei verbo, paratus dicere Anathema euangelizanti quidquam præterquam quod in hanc diem euangelizatum est. Fidem porrò sequitur actio religionis, summæ ac principis virtutis inter morales, ad quam spectat huiusce sacrificij oblatio. Deinceps gratitudo si eam referat ad gratiarum actionem. Hanc excipit contritio si ad criminum condonationem; tum zelus animarū quando eius fructum hæreticis, schismaticis, ethnicis, vniuersisque ijs, qui qualibet ratione Deo sunt inuisi, vult applicatum. Denique tot charitatis aduersus Deum & proximum actiones, quot sunt personæ quibus hac salutari oblatione bene precatur. Gal. 1. 8.

Quis igitur non videt quàm exiguo labore, quàm nullo ferè tempore, quàm incredibili facilitate, quantum meritorum cumulum, vel otiosè domi residens vir pius, vel in medijs occupationum molestijs, atque in turba positus, & hominum frequentia hac sibi oblatione colligat & coaceruet? Neque enim attinet ad singulas vices ad templum itare, ibique Sacratissimam hostiam venerari coram: Quomodo enim id præstiterit, qui in singulas horas vel frequentiùs (quod faciet si me quidē consulet ob incredibiles huiusce

exercitij commoditates, quas niſi expertus vix credat) genus hoc aſpirationis vſurpare in animum induxerit?

In eius vita.

Accepimus quidē pleroſq; ſanctiſſimos viros vix vmquam è loco ſacro pedē extuliſſe: atq; inter cæteros B. Dominicum, cui ipſum templum erat cella, ad quā ab annorum cultura, ſpirituáliq; meſſe ſeſe recipiens, ibi lectioni, orationi, contemplationiq; rerū diuinarū habenas laxabat. Cuius veſtigijs dū inſiſtūt pleriq; alij veræ pietatis cultores, quādo id quidē per alias occupationes ſit integrū ad ædem ſacram tamquā ad Domini ſui thalamum magno animi ardore cōfugiunt, vt ibidē illum coram venerentur & adorent, ſeq; Angelicis miſceant choris, quorum infinita multitudo in Sacratiſſima etiā hoſtia exiſtēti & millia millium, miniſtrare decieſque millies centena millia aſſiſtere non ſemel viſa.

Daniel 7.10.

Chryſ.

Ribad. in eius vita.

Franciſcum ſanè Borgiā priùs Gandienſem Ducem, poſtmodum generalē Soc. Ieſu prępoſitum tertiū, tradunt ſepties quotidie ſeſe corā Venerabili Euchariſtia, grauiſſimis etiā poſthabitis negotijs ſtitiſſe, atque ad ſingulas vices vnum è ſeptem Spiritus Sancti donis, adiuncta ei vna quapiam virtute, magno animi ardore poſtulaſſe, prępmiſſa ad idipſum oratione Dominica, & Salutatione Angelica, adhibitáq; vehementi obſecratione per ſeptem vices quibus pretioſus Chriſti Domi-

P. Paz de vita religiosè inſtituenda ſect. 2. cap. 7.

ni

ni Seruatoris cruor nobis abundantissimè profluxit. De Beato vero Aloysio Gonzaga altero Soc. Iesu lumine, hæc auctor vitæ. Antequã gymnasij intrandi signũ daretur atque item indidem domũ reuersus, cũ ante, tũ post meridiem, ædẽ Sacram celebrabat quotidie, sanctissimæ Eucharistiæ adorãdæ. Aliàs cùm ob cõtinentem capitis dolorẽ, orandi genus omne illi sui moderatores interdixissent: eius loco (ait auctor) creberrimè in templi odeũ ascendere Sanctissimæ Eucharistiæ adorãdæ. Ibi simul acciderat in genua, confestim surgere, ac ne qua cogitatione à sensibus abriperetur in Deum distineretúrve, inde se obediendi amore curriculò proripere.] P. Cæsarius l. 2. c. 5. c. 8.

Sed quibus intra domestica septa nõ asseruatur Sacrosancta Synaxis (quo quidẽ gaudẽt priuilegio religiosi ferè ordines) iisnè necessarius erit ad singulas hasce oblationes egressus, vt sese reipsa Christo Domino in Sacra Eucharistia verè cõmoranti præsentes sistant. Non arbitror equidẽ: iis enim satis supérq; sit, si in singulos dies, dũ Missæ Sacrificio intererunt, idẽ ipsi Sacrificium Deo immolent, & vnà cum Sacerdote item sacrificent. Atque si per occupationes licebit, & iter ita feret dum negotiorum causa egredientur, pedem, me quidẽ auctore, inferẽt in Sacram ædẽ (si quæ fortè occurreret) ibíque paucis Christo adorato ipsum æterno Patri

offerent, eâ formulâ de qua superius pluribus.

Illud tamen monendum: religiosis viris quibuscum Christus Dominus eodem vtitur quasi hospitio & tecto, per diem sæpius adeundum tam bonum hospitem, atque adeò contubernalem: Quod factu quidem erit facillimum, si ad id stata designent tempora, exempli causa, quibus eis opus est ob varia quæ occurrunt cùm obedientiæ, tum charitatis officia, cellâ exire: quò numquam pedem referant Christo in Sacratissima Eucharistia insalutato.

Et quoniam est cauendum diligenter, ne nobis interdiu labilis & fluxa memoria, multoties huiusce tam Salutaris oblationis sutripiat fructum, ne id accidat, monitore opus est. Qui meo quidem sensu, imò verò ex patrum vsu (vt inferiùs cùm de harum frequẽtia aspirationum ex professo disseremus) erit horæ sonus seu integræ seu dimidiatæ. Matutino verò tempore vbi moris est ad singula Sacrificia cùm ad extrema ferè, verbi causa ad Agnus Dei ventum est, ære campano multitudinem conuocare ad subsequens Sacrum, suaderem vehementer vt tunc fieret hæc oblatio: tum quòd recens consecrata hostia, quæque rationem habet non modò Sacramenti, verùm etiam Sacrificij nondum peracti omnino (quando sumptio paulò post

pòst consecutura, pars eius est non exigua neque ignobilis) magnopere mouet afficitque animum: tum quòd simul cum oblatione non leuis sese dat occasio spiritualis communionis, quæ ritè obita non exiguam facit huic oblationi meritorum accessionem: tum denique quia quisquis hoc temporis articulo ita ad Deum aspirat, suam potest Deo repræsentare oblationem copulatam & connexam huic Christi oblationi (cum missæ sacrificium Christi sit Sacrificium, quod à sacerdote tamquam ministro peragitur) quâ quidem coniunctione nouam eamque incredibilem sortitur & dignitatem, & pretium.

Iis autem in locis vbi vel ante consecrationem, aut ea ac Sacrificij sumptione peracta cogitur populus ad sacra mysteria: offeratur modo superiùs explicato idipsum, quod eo sacrificio vel oblaturus est, vel obtulit Sacerdos. Neque verò interdiu tãtùm, sed etiam post diei labores dum decumbet, huic oblationi incumbentem somnus opprimat, deinceps noctu dum expergiscetur, prima sit de ea cogitatio, in eaque quieti se tradat, in ea è strato surgat; Ipsa labia eius tum mentis tum oris aperiat, In eâ sit totus, Hæc sit ei α & ω, atque adeò omnium actionum, principium, medium, extremum, & vt præclarè Tertullianus, quãquam aliò quopiam spe-

Psal. 50.

De corona militis c. 3.

ſpectans: ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad mẽſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcumque nos conuerſatio exercet, eam adhibeamus.

Hæc habui quæ de vniuerſo hoc aſpirandi genere differerẽ. Faxit Deus optimus, maximus, vt par eius ſit vſus ſummæ quæ eã cõſequitur vtilitati, & vt quẽadmodum experiẽtia conſtat, vix quidquam eſſe accõmodatius menti Deo coniungendæ nobiliſſimarúmq; virtutum actionibus exercẽdis & ingẽti meritorum meſſi colligendæ: ita quotidiana cõſuetudine, & in ſingula penè momenta, ab omni hominum genere & ordine vſurpetur.

CAPVT XV.

Pauculas aliquot de ſupradictis aſpirationibus cuilibet deligendas, neque earum varietate gaudendum.

QVAMQVAM ſuperioribus capitibus indicata à nobis ſunt vniuerſa quędã earum aſpirationũ capita, & ſedes, quæ cæteras lõgè antecedunt tum dignitate tũ fructu, quas ob id diximus etiã crebriùs frequẽtandas, id tamen admonendũ eſt: non laborandũ Aſcetę vt iis omnibus ſeſe exerceat, & in vniuerſum, ne earũ varietate delectetur, (niſi fortè vitãdi tædij cauſa) quin potiùs vni præcipuè inſiſtat,

ſtat, atque in ea colenda conſtanter perſeueret. Tradit enim B. Thomas orationē & deſiderium eò ſanctius exiſtere & efficacius quò magis ad vnū reducitur: affertq; illud pſalmi. Vnam petij à Domino, hanc requirā, vt inhabitē in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Vnum inquā, bonū petij, quia vnicū illud me beare poteſt: humana quidē bona deſpicio, quoniā nō ſatiant, cæterarūmq; rerum omnium iacturā flocci pendo, modò rem vnam habere promerear. Ideo hanc vnā petij, de hac vna ſum ſollicitus, hanc aſſiduè ab eo requiram, poſcam, atq; adeò flagitabo tādiu, dum voti cōpos fiam: nihil enim extra illam petendum iudico: Ea denique eſt, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. In hac enim mortali & ærumnoſa vita quamquam (quod quidē ſpero) Deo carus, non habito tamen, verùm adhuc ambulo, & iter facio, neque verò domi, ſed in tentorio caſtrorum more requieſco; Atque hoc ipſum vnū peto, non ad tempus, ſed omnibus diebus vitæ meæ, quamdiu ſtabit Deus ipſe, quamdiu ſe cælitibus fruendum dabit; id eſt in omne æuum, neque enim alia eſt animæ immortalis menſura, quæ cum Deo æquans ſeſe, æternùm durabit. 2.2. qu. 83.a.14. 26.4.

En tibi ſanctū Prophetam, en virum ſecundū cor Dei, qui in omni vita ſua vnū petit, & in vnum vota omnia ſua colligit. Et quidē ſi Actor. 12.13.

Luc. 10. 42. vnum est necessarium (vt ipsa affirmat veritas) non est magnoperè curandum mentem in diuersas partes multitudine ac varietate petitionum distrahi ac dissipari. Quemadmodum enim, cui propositum est artis aut scientiæ qualiscumque ea sit perfectionem consequi, non aggreditur modò ad hanc, modò ad illam, sed in vnâ pedem figit, eique totum se addicit: donec vel in ea excellat, vel eam notitiam sit adeptus, quam sibi initio proposuerat: ita cui animus est aspirando, cælestia à Deo auferendi dona, non ei per varias postulationes vagandum, nec aliàs hæc, aliàs ista vsurpanda: verùm vna aut altera de omnibus seligenda cui inhæreat, quâ prosequatur, quam intermittat numquam: cui indormiat, quæ in ipsa etiam quiete recurrat, cum qua euigilet, quamque Deo omni tempore, omni loco, omni occasione repræsentet.

Neque verò cuiquam insolens videatur idem toties ingerere, cùm eius rei sanctum Dauidem habeat auctorem, qui diuinis illis & numquam satis laudatis poëmatibus eadem iterum atque iterum inculcat. Argumento sit psalmus quintus decimus suprà centesimum quo septies & vicies hæc iterat verba. (*Quoniam in æternum misericordia eius,*) adeò vehementi diuinæ bonitatis prædicandæ atque illustrandæ tenebatur desiderio.

derio. Psalmo verò centesimo quinquagesimo, vndecies nos intra pauculos versus ad Dei laudes inuitat. Quid? quod Christus ipse prodendi exempli causa idem factitauit? numquid in horto Gethsemani appetente morte tertiò orauit in hæc eadem verba, Pater si possibile est transeat à me calix iste, verumtamen non mea sed tua voluntas fiat? Matth. 26.44.

Sed & Sanctissimi quique viri eius imitatione idem vsurparunt: è quorum numero vt reliquos sileam, Beatum Franciscum accepimus noctes ipsas quatuor verbulorum horum commentatione (*Deus meus & omnia*) & creberrima repetitione non semel summa cum animi sui voluptate transegisse. Laudanda itaque, crebroque tenenda vsu exercitatio hæc, easdem mentis aspirationes repetendi identidem: cùm tantos tamq; præstantes viros auctores habeat. Imò verò vnius omnino de omnibus in omni vita repetitio, satis supérque fuerit illi, qui ab ea se adiutum, & virtutum perfectionisq; studio prouectum senserit. Vt quid enim varietas & multitudo medicaminum adhibeatur ei, cui vel vnicum salutem præstet. Itaque si vel te cum Paulo delectat iugiter exclamare. *Domine quid me vis facere?* Aut cum regio Propheta. *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* aut cum Christo Domino: *Pater non mea sed tua voluntas fiat.* Aut cum sponsa. Actor. 9.6. Psal. 72. 25.

Dilectus

Cant. 4. 6. Cant. 7. 10. *Dilectus meus mihi & ego illi, donec aspiret dies & inclinentur vmbræ. Ego dilecto meo, & ad me cõuersio eius.* Si de his, inquam, aut eiusdem generis aspirationibus, vel vnica solùm cælesti replet adipe & pinguedine animam tuã, optatumque tibi præbet fructum tum deuotionis, tum cæterarum virtutum; nihil est quod de alia cogites. Illi immorare, in ea totus esto eam iterum atque iterum animo versa, si constat quidem operæ pretium, & si modò fructus adest, abestque fastidium.

Sed quę tandem de tot aspirationibus, tãque disparibus vsurpanda crebriùs? Arbitror eam quæ postulationem continet, eiúsq; rei maximè cuius sumus egentissimi: verbi causa humilitatis, patientiæ, cõtemptionis sui, humanarúmq; rerum despicientiæ, charitatis, aut alicuius cęterarũ virtutum, cuius quidem absentia sit tanquam radix, vnde plurimi vitiorum perturbationumq; infructuosi surculi pullulent, quâ excisâ oppositæ virtutes germinent, atque efflorescant. Itaque ea virtute quâ maximè destituimur partâ, princeps quod nobis dominatur vitium cum comitatu satellitioque suo vniuerso, varijsque animi perturbationibus principatu suo cedet, locumque concedet fortiori.

7.2. qu. 65. ar. 1. Atque si vera est (vt est quidem verissima) quæ traditur à S. Thoma doctrina, virtutes nempe omnes, quæ quidem ad mores pertinent

nent, sibi inuicem cõnexas, & necessitudinis quodã vinculo inter se aptas colligatásque, vt qui vnam perfectè consequatur, vniuersas sit consecuturus: nemo non videt quanto vtatur compendio, qui virtuti illi à qua maximè inops est, petendæ insistit; quandoquidem illâ habitâ cæteras consequi necesse est. Ex quo fit vt qui frequenti aspiratione humilitatem à Deo exorabit, non à superbiæ modo tumore, & tyrannide sit futurus immunis, verùm ea ipsa humilitas reliquorum quoque vitiorum profligatis tenebris, cognatarum etiam sibi virtutum splendore, ornatu, atque lumine animum mirificè decorabit.

Fac itaque te esse humilem (quod idem de cęteris virtutibus dictum accipe) eris item obsequens superiorum iussis, eris eximiæ charitatis in Deum & proximum, iniuriarum, dolorum, ærumnarum, variarumq; calamitatum, quibus diuina prouidentia variè hominum vitam exercet, patientissimus. Si humilitatem tenes, in vtraque fortuna tum prospera tum aduersa moderatè te habebis, neque illâ effereris aut insolesces, neque hac animo cades, aut despondebis; temerè iudicabis neminem propriæ conscius infirmitatis & miseriæ: potiores omnibus deferes partes, tanquã is, qui se omnium mortalium deterrimum existimabit. Quid plura? nulla

nulla existet virtus, cuius officiis actionibusque non incumbes, vitium nullum, à cuius turpitudine non eris alienus, quodque non oderis cane peius & angue. Quæcumq; igitur te deficit virtus, eam ipsam continentibus orationibus iaculatoriis à Deo enixè auferre contende, neque prius à iaculando desistas, quàm præfixum tibi scopum attingas.

lib. 1. de orando Deo. Præclarè sanè Chrysostomus confert orationem aquæ illi, qua hortus aliquis varijs plantis arboribusque consitus irrigatur: hac inquit aqua (orationis nimirum) nos mentem oportet rigare assiduè. Siquidem hac omnes homines nō minus opus habemus quàm arbores aquarum humore: neque enim valent illæ fructus producere nisi bibant humorem radicibus, neque nos pretiosis pietatis fructibus poterimus esse grauidi nisi precibus irrigemur.

Iam verò quemadmodum in hortis non sunt arbores, flores, plantæ omnes, æqualis existimationis, nec æquè omnes caræ Dominis suis, aliæ alias superant & pretio & curâ & operâ, aliæ aliis operosiùs & frequentiùs irrigantur; & licet his desit aqua, aut temporis opportunitas, illis deest numquam: ita in colendo quasi mentis horto, licet orationis aquam ad eum vniuersum, eiusq; plantas singulas dimanare necesse sit, ad virtutes omnes in suo decore & venustate tuendas; singulari

tamen

tamen curâ est prouidendum ne orationis præsidium ei subtrahatur virtuti, quâ maximè destituimur: cęteris quidem vt desit tempus, huic numquam: aliarum cultura intermittatur aliquando, huius numquam: eius cogitatio totos nos abripiat & distineat, alijs ad tempus valere iussis.

Claudat hoc caput S. Ephrem qui tum auctoritatis suæ pondere (quæ quidem grauissima est) superiùs à nobis disputata confirmabit, præclaroque exemplo, eorum omnium vsum praximque declarabit. Postquam enim multis cõmendauit attentionem inter orandum, peregrinarumque fugam cogitationũ, hanc subdit cohortationem. Quapropter, mi frater, quod vrget magis, quęq; in omni tempore tibi magis necessaria sunt, ea à Deo postula. Considera enim duos illos cæcos ad eũ accedentes atque clamantes. Miserere nostri fili Dauid. Et quid ad illos Dominus? Quid vultis (inquit) vt vobis faciam? At illi secundum dolorem & affectũ cordis sui petierunt vt sibi aperirentur oculi. Numquid petierũt sibi donari aliquid, etiam earum rerum, quibus reuera indigebant? Numquid dixerunt: da nobis vestimentum quoniam pauperes sumus? Minimè verò, sed illud postularunt potiùs quod magis vrgebat.]

De panoplia spirituali tom. 2.

Matth. 9

Idipsum pluribus probat facto Chananeæ & hemorroissæ, cæterorumque, qui sanitatis

Matth. 15.

cau-

Matth.9 causâ ad Christum adierũt. Ex quo satis constat, quòd quæ de eius rei supra cæteras assidua postulatione, cuius inopia premimur maximè, dicta sunt hactenus, non ea ex sensu nostro, verùm ex Sanctorum Patrum scriptis hausta depromptaque ad communem omnium vtilitatem suggessisse.

CAPVT XVI.

Quibus oporteat concipere verbis hasce aspirationes commendaturq; frequens vsus versiculi: Deus in adiutorium meum intende.

MEMINI me multos abhinc annos audire quemdam quærentem ex altero, quo idiomate vteretur inter meditandum, latinóne an vernaculo: cui alter huiuscemodi quæstione attonitus, ego verò, inquit, nullum peculiare idioma adhibeo commentationi rerum cælestiũ, quæ quidem sola mentis agitatione perficitur, nullaque eget verborum prolatione. Sed longè is fallebatur: neque enim homini licet aliquid mente versare, quin idipsum illi certa verborum forma coarctatum contem, túmque obijciatur: nec interior locutio (vt quilibet in se ipse experitur) aliter perficitur, neque verò perfici potest

test, nisi mens voces ipsas concipiat (hos conceptus vocant dialectici non vltimatos) nemo enim aliter intra se loquitur, quàm mente exprimẽdo verba eo idiomate, cuius est peritus: tam est ipso vsu hæc res explorata, vt eam inficiari possit nemo. Hîc igitur quærimus quibusnam potissimùm verbis nobis vtendum aspirando ad Deum: (seu id voce fiat, seu mente tantùm) à nobísve profectis, an aliunde, & vnde quæsitis.

Communis quidem peritorum omnium sensus est, sacrarũ litterarum verba accõmodatissima esse ad hoc orandi genus, neq; eorũ modò est sensus, verùm vsus etiã & quotidiana praxis longâ consuetudine firmata. Nimirum cõtinent in se latentem quandam vim & energiam sanctissima scripturæ verba ad hominum percellendos, permouendosq; animos: *viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingẽs vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoq; ac medullarũ & discretor cogitationũ & intentionum cordis.* Heb. 4. 12. Nostri autẽ sermones cũ diuinis collati, paleæ sunt leues & inanes. *Quid paleis ad triticum dicit Dominus? nũquid non verba mea sunt quasi ignis dicit Dominus, & quasi malleus cõterens petras?* Hier. 23. 29. Sermo noster vt plurimum infructuosus est & sterilis: diuinus ferax est, vberrimũque fructum profert. *Quomodo enim* (ait cæleste oraculum) *descendit imber & nix de cælo,* Isa. 54. 10.

& illuc vltrà non reuertitur, ſed inebriat terram & infundit, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud. Sed quæ ad ſacrarum litterarum commendationem faciunt, longiorem requirunt diſputationem quàm hic permittat locus: nobis modò ſit ſatis maiores noſtros, eoſdémq; viros Sanctiſſimos (cuius quidem rei quæ hic paſſim inſeruntur exempla faciunt fidē) ſuas ad Deum aſpirationes tũ à Sacra ſcriptura mutuatos eſſe, tũ eas ipſiſſimis eius verbis integras cõtexuiſſe.

Et ſanè multò ſuauius & iucundius animum afficit aſpiratio verbi cauſa gratiarum actionis, pro liberatione à ſupplicijs inferni, ſi ea hiſce ſcripturę verbis concipiatur, quàm
Pſ 85 11 ſi cuiuſque priuatis. *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum: quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* Vel ad varietatem hiſce eiuſdem Dauidis. *Niſi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea.* Item longè aliter ſapit animo veniæ petitio, ſi hâc ſacrâ verborum formâ concipiatur, quàm ſi quibuſlibet verbis cuiq́ue temerè fortuitóque occurren-
Pſ.24.11 tibus; *propter nomen tuum Domine propitiaberis*
Pſ.78.9. *peccato meo, multum eſt enim. Adiuua nos Deus ſalutaris*

lutaris noſter, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Conſtabit quidem operæ fructus ſi ex ſenſu tuo aſpires ad cæleſtem patriam, at multo vberiorem cùm fructum tum oblectationem inde conſequeris, ſi præeuntem Dauidem ſecutus in hæc verba prorumpas. *Educ de cuſtodia Deus animam meam ad confitendum nomini tuo, me expectant iuſti donec retribuas mihi. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea. Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum?* Idem de reliquo aſpirationum genere tradi poteſt, quibus longè maior eſt vis, ſapórque iucundior, ſi ſacrarum litterarum verbis conſtent & quaſi condiantur.

Pf.141. 8. Pſ.119.5 Pſal.72. 26.

Portò inter omnes quę à ſacra pagina petuntur aſpirationum formulas principem locum (Caſſiani quidem ſenſu non infimæ notæ ſcriptoris) tenere videtur ea, quam ſuggerit pſalmus 69. de qua tam admiranda (vera tamen) prædicat, vt pio lectori, nec vlla animi perturbatione præpedito facilè perſuadeat, ſubijciam aurea eius verba quamquam paulò longiora. Ad perpetuam Dei memoriam poſſidendam hęc inſeparabiliter ſit vobis propoſita formula pietatis, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuãdum*

Collat. 10.c.10.

me festina, hic namque versiculus non immeritò de toto scripturarũ excerptus est instrumento, recipit enim omnes affectus quicunque inferri humanæ possunt naturæ, & ad omnem statũ atque vniuersos incursus propriè satis & competéter aptatur: habet siquidem aduersus vniuersa discrimina, inuocationem Dei, habet humilitatem piæ confessionis, habet sollicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam, habet consideratione fragilitatis suæ, exauditionis fiduciam, cõfidentiam præsentis sempérque astantis præsidij, qui enim iugiter suum inuocat protectorem, certus est eum semper esse præsentem, habet amoris & charitatis ardorem, habet insidiarũ contemplationem, inimicorúmq; formidinem, quibus perspiciens semeripsum noctu diuq; vallatum, confitetur se non posse sine sui defensoris auxilio liberari; Hic versiculus omnibus infestatione dæmonum laborantibus, inexpugnabilis murus est, & impenetrabilis lorica ac munitissimus clypeus; Iste in acedia & anxietate animi collocatos, seu tristitiâ vel cogitationibus quibuscumque depressos, salutis remedia desperare non patitur, ostendens illum quem inuocat inspicere iugiter nostra certamina, atque à suis supplicibus non abesse. Iste nos in spiritualibus successibus cordisque lætitia constitutos admonet extolli penitus non debere, nec inflari

flari de prospero statu, quem sine protectore Deo retineri non posse testatur, dum non solùm eum semper, sed etiam velociter vt sibi auxilietur implorat. Iste inquam versiculus vnicuique nostrum in qualibet qualitate degenti necessarius & vtilis inuenitur. Nam qui se semper & in omnibus desiderat adiuuari, manifestat quòd non tãtùm in rebus duris ac tristibus, sed etiam in secundis ac lætis pari modo Deo egeat adiutore, vt quemadmodum ex illis erui, ita in istis faciat immorari, in neutro sciens humanam fragilitatẽ sine illius opitulatione subsistere.]

Quid grauius quæso quídve fortius efficaciúve afferri potest ad huiusce versiculi laudem & commendationem? Sed hæc leuiora sunt collata cum ijs quæ consequuntur: Tantaq; eorum est vtilitas & præstantia, vt ea prætermittere nefas videatur, sic itaque pergit, gastrimargiæ passione præstringor, cibos quos eremus ignorat, inquiro: dicendum mihi, *Deus in adiutorium meum intende*: Volente me ob stabilitatem cordis insistere lectioni, interpellari capitis prohibet dolor, horaque tertia faciem meam, ad sacram paginam somnus allidit, ac deputatum quieti tempus vel transgredi vel præuenire cõpellor: ipsum denique canonicum Synaxeos Psalmorum modum intercidere me grauissima somni cogit impressio: Similiter proclaman-

clamandum est mihi, *Deus in adiutorium meum intende*. Adhuc me in colluctatione vitiorum positum, titillatio carnis repentè compungit, & ad consensum pertrahere dormientem blanda oblectatione conatur, ne ignis alienus exæstuans vrat suaueolẽtes flosculos castitatis, clamandum mihi est; *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*. Extincta sentio libidinis incentiua, & genitalem in membris meis intepuisse feruorem, vt parta hæc virtus, imo gratia Dei, in me diutiùs vel perpetuò perseuerer, intentè dicendũ est mihi, *Deus in adiutorium meũ intende*, Iræ, Philargyriæ, tristitiæ stimulis inquietor, cogorque propositam atque amicam mihi interrumpere lenitatẽ, ne in amaritudinem fellis perturbatione furoris abducar, cum summo mihi gemitu proclamãdum est *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*. Acediæ, cenodoxiæ, superbiæ elatione pertentor, ac de aliorum negligentia vel tepore quiddam sibi mens subtili cogitatione blanditur, ne in me præualeat hæc inimici pernicioſi suggestio, cum omni contritione cordis orandum est mihi, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*. Humilitatis & simplicitatis gratiam superbiæ tumore. Depositio, iugi compunctione Spiritus, acquisiui, ne rursum veniat mihi pes superbiæ & manus peccatoris

catoris moueat me, grauiusque de victoriæ meæ elatione confodiar, totis mihi proclamandum est viribus, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*: Euagationibus animæ innumeris ac diuersis, & instabilitate cordis exæstuo, nec cogitationũ dispersionem valeo coërcere; ipsamq; orationem meam fundere absque interpellatione atque phantasmate inanium figurarũ sermonumque & actuum retractatione non possum, tãtaque me sentio sterilitatis huius ariditate constrictum, vt nullas omnino spiritualium sensuum generationes parturire me sentiam, vt de hoc animi squallore merear liberari. Vnde me gemitibus multis atque suspirijs expedire non possum, necessariò proclamabo: *Deus in adiutorium meum intende; Domine ad adiuuandum me festina.* Directionem rursus animæ stabilitatemque cogitationum, alacritatem cordis, cum ineffabili gaudio & mentis excessu, & visitatione Spiritus Sancti me sentio consecutum, vt in his merear diutiùs immorari, sollicitè mihi est frequenterque clamandum: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.*]

Patere Christiane lector me quæ supersunt paucula subijcere, non te, (spondeo,) temporis aut operæ malè collocatæ pigebit, nolo te eorum quæ reliqua sunt, (quæ quidem

dem ijs quæ ſuperiùs diſſeruit nullâ ex parte cædunt) vrgeri deſiderio. Sic itaque concludit diuinus Caſſianus.

Huius igitur verſiculi oratio in aduerſis, vt eruamur in proſperis, vt ſeruemur ne extollamur, inceſſabili iugitate fundenda eſt: huius inquam verſiculi meditatio in tuo pectore indirrupta voluatur. Hunc in opere quolibet ſeu miniſterio, vel in itinere conſtitutus decantare non deſinas, Hunc & dormiens, & reficiens, & in vltimis naturæ neceſſitatibus meditare; Hæc volutatio cordis velut formula tibi ſalutaris effecta, non ſolùm illæſum ab omni dæmonum incurſione cuſtodiet, ſed etiam cunctis te vitijs terrenæ cogitationis expurgatum, ad illas inuiſibiles harmonias cæleſteſque perducet, atque ad illum ineffabilem & perpaucis expertum prouehet orationis ardorem; hũc verſiculum meditanti tibi ſomnus irrepat, donec inceſſabili eius exercitatione formatus, etiam per ſoporem eum decantare conſueſcas. Hic tibi expergefacto primus occurrat, & te euigilante cogitationes anticipet vniuerſas. Iſte te de tuo ſurgentem cubili curuationi genuum tradat, atque illinc deinceps ad omne opus actuſque deducat. Hic te omni tempore proſequatur, hunc meditaberis, ſecundum præcepta legiſlatoris ſedens in domo, & ambulans in itinere,

nere, dormiens atque consurgens; hunc scribes in limine & ianuis oris tui; hunc in parietibus domus tuæ ac penetralibus tui pectoris collocabis, ita vt hæc ad orationem procumbenti sit tibi accliuis decantatio, & exinde consurgenti atque ad omnes vsus vitæ necessarios incedenti fiat erecta & iugis oratio. Atque post aliquot versus, verè inopem & pauperem spiritu eum esse probat, qui indesinenter hanc orandi formulam tenet. Et reuera (inquit) quæ maior aut sanctior potest esse paupertas, quàm illius, qui nihil se præsidij nihil virium habere cognoscens, de alienâ largitate quotidianum poscit auxilium & vitam suam atque substantiam singulis quibuslibet momentis diuina ope intelligens sustentari. Verùm se mendicum Domini non immeritò profitetur, suppliciter ad eum quotidie clamans: Ego autem mendicus & pauper sum, Deus adiuua me.] Hæc Cassianus.

Cuius quidem præceptionem doctrinámque cum Sanctissimi quique amplexi sunt, tum imprimis D. Catharina Senensis, de qua B. Raymundus in hæc verba; solebat autem vulgari idiomate crebrò repetere illum versiculum, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.*]

Quid? quod sancta Ecclesia Dei edocta spiritu, ad canonicas quasque horas ipso sta-

tim earum initio, hunc eundem adhibet versiculum? singulare nimirum aduersus dæmonem (qui quidem orantibus maximè est infestus) futurum & præsidium & adiumentum. Atque vt ad Cassianum redeamus, nec quidquam omittam, quo se sinat induci lector ad huius versiculi memoriam frequentandam: Scribit hanc orandi formulam à paucis qui antiquissimorum Patrum, residui erant, sui ævi monachis traditam, quàm nõnisi cum rarissimis, ac Deum verè sitientibus communicarent, qui plura desiderat ipsum consulat auctorem, potissimùm initio capitis 10. & toto capite 11.

CAPVT XVII.

Statas cuilibet suas esse oportere orationes iaculatorias: & quando ijs supersedendum alijs adhibitis: item quàm varijs modis Deus mentem ad se trahat.

QVAMQVAM varia à nobis hactenus sint proposita aspirationum genera, nõ tamen temerè aliàs hæc, aliàs illa viurpanda, ne dum in incertum tendimus, vagemur instabiles, atque huc & illuc errando fluctuemus. Meminisse enim oportet cur iaculatoriæ nuncupentur: atque vt sagittandi peritus,

tus, cui cordi est primo quolibet ictu scopum attingere, certas sibi deligit sagittas, nec primò obuias eiaculatur imprudens : ita Asceta, cui non scopum è cespitibus coagmentatum attingere, sed Dei coniaculis suis quasi configere propositum est, ea multo ante parata selectáque adhibeat, neque illis quæ aut casus aliquis, aut leuis quælibet occasio obijcit me quidem auctore vtatur.

Prudens autem harum inspirationum delectus peti debet ex fine atque ex fructu, quem sibi quisque præfigit, diuinâ inspirante gratiâ consequendum. Si tibi præstituas dolorem peccatorum, aut Christi Domini imitationem, vel efficax propositum peculiaris alicuius virtutis adipiscendæ, vel coniunctionem cum Deo frequentatis actionibus amoris, vel quid simile, eas adhibe aspirationes, quæ huic fini aptiores sunt, & accómodatiores; iisque identidem repetitis, non temere patiaris te ab illis diuelli, neque aliis, (piis licet,) si præstituto fini minùs cõgruant, distineri: aliàs magna datur peregrinis cogitationibus ansa sese in animum insinuandi, paratur aditus distractionibus mentis, & quod caput est, exigua fit ad virtutem. Veramque pietatem progressio, dum vel à vitio quo premimur vehementiùs, eradicando, vel à virtute cuius egentissimi sumus postulanda desistimus.

Omni-

Omnino duæ sunt causæ ob quas se Asceta à statis inspirationibus consuetisq; abduci sinat: Neque enim illas ita obstinatè pertinaciterq; tenere debet, vt non se aliquando ab ijs distrahi patiatur. Altera Deum spectat, altera nos ipsos. Quàm accidit frequenter, vt nos Deus, cùm interiore motione tum insoliti cuiuspiam affectus infusione, nouique luminis irradiatione, etiam nihil minùs cogitantes longè aliò abducat, in diuersumque trahat à consuetis aspirationibus? Proteruus sanè sit & peruicax qui huiusmodi motionibus, vocantique Deo obsecundet, atque indignus cui se iterum communicet Deus, cuius consuetudini & amicitiæ tam obfirmatè resistit.

Verùm de tota hac re, S. Laurentium Iustinianũ vberrimè & copiosissimè differentem audiamus. Post quã enim pluribus planũ fecisset, quàti ad diuini amoris flammã concipiendã interesset, versari assiduè in Christi Seruatoris vita, factis, dictis, morteq; meditãda, hæc habet. In his vtique ardenter assiduèque incumbendum est, & singula diligenter pertractanda sunt, nisi fortè ex superuenienti nouo gratiæ lumine, aut ex abundantiori caritatis affectu, cor ad alia meditanda raperetur. Nam huiusmodi infusionibus numquam resistendum est. Quidquid enim tunc cogitatur vel cogitandũ proponitur boni, inter-

De disciplina, monast. cõuers. c. 18.

termittendum est, & ad tẽpus seponendum, ac sic tota spiritus alacritate cęlesti immissioni subdendum est cor, atque, prout gratia communicauerit, obedire non renuat. Repugnare autem & vocanti Deo nolle humiliter acquiescere, nihil est aliud quàm fluenta gratiæ desiccare, & ad sui præiudicium aditum internarum deuotionur obstruere, ac Dei iram contra se fortiter aduocare; Propterea Propheta dicebat, terribili & ei qui aufert Spiritum, & Paulus: spiritum nolite extinguere. Alibi quoque dicitur. Quum Spiritus potestatem hàbens irruerit super te, da ei locum : Hoc quippe beato tempore consueuit anima perfundi splendore nimio aut solito ardẽtiori spiritus caloreignescere.] Hæc & alia sanctissimus Pontifex, quæ ex ipsomet petat licet cui libebit. Psal. 75. 1. Thess. 5. Eccl. 10.

Quæ quidem à B. Francisco accuratè seruata, tum quæ mox subijciam, tum quæ Paulo post fusiùs dicentur ex S. Bonauentura fidem faciunt: Solitus erat (inquit) nullam visitationem spiritus cum negligentia præterire, siquidem cùm offerebatur, sequebatur eam, & quãdiu Dominus concedebat dulcedine perfruebatur oblata. Cùm autẽ intẽtus itineri, diuini spiritus aliquos sentiret afflatus, socijs præcedentibus gradũ figebat, nouamque inspirationem ad fruitionẽ conuertens, gratiam non recipiebat in vacuum.

Quàm

Quam porrò existant variæ occasiones quibus mens nostra repentè nobísque insciis nec aduertentibus quidem rapitur in Deum, atque vt loquitur Cassianus ad orationes puras & feruentissimas incitatur; præclarè ille ipse quidem quodam loco; Nonnũquam inquit Psalmi cuiuscumque versiculus occasionem orationis ignitæ decantatus nobis præbuit, interdum canora fraternæ vocis modulatio ad intentam supplicationem stupentium animos excitauit. Nouimus quoque distinctionem grauitatemque Psallentis etiam adstantibus plurimum contulisse feruoris: nec non exhortatio viri perfecti & collatio spiritualis frequenter ad vberrimas preces iacentium erexit affectum. Scimus etiam fratris seu cari cuiuslibet interitu, non minùs nos ad plenam compunctionem fuisse raptatos. Recordatio quoque teporis ac negligentiæ nostræ nonnumquam nobis salutarem spiritus inuexit ardorem. Atque in hunc modum nulli dubium est occasiones innumeras non deesse, quibus per Dei gratiam tepor ac somnolentia nostrarum mentium valeat excitari.] Hæc Cassianus.

Collat. 9. c. 26.

Qui quidẽ verè dixit innumeras: id enim exploratum est, Deum sese pro immensa sua bonitate in hisce motionibus & inspirationibus vt plurimùm attemperare se mortalium propensionibus, naturæque inclinationibus,

nibus, ac vnumquemque eâ re mouere, quæ cuique consentanea est maximè: cùm autem naturarum infinita propemodum sit varietas, consequens est eamdem esse rationum atque occasionum.

Narrat de seipso B. Augustinus vehementer se affici solitum cantu ecclesiastico: quã- lib. 9. confess. cap. 6.
tum (inquit) fleui in hymnis & canticis tuis, suauesonantis ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter: voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meũ, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis. Accepimus B. Ignatium de Loiola sepenumero orationis causa solitum ascendere in solarium, vnde liberè cælum posset suspicere, ibique aliquantisper corpore immotum fixis in cælum oculis stare, tum genuflexo Deum venerari; deinde capite aperto in humili scabello sedere ob summam corporis imbecillitatem, itáque sedentem & suspicientem, continuo solutum in lacrymas, idque suauiter moderatèque, absque vllo vel eiulatu singultúue aut strepitu vel corporis motu. Ribad. lib. 5. c. 1

Sed quid mirum si cæli corporis, omnium nobilissimi intuitu ita afficeretur, quando etiam ex tenuissimis rebus ad Deum, qui in minimis etiam maximus est, ascendebat? Vidimus illum frequenter (ait idem Ribadeynera)

nera) ex plantulæ, frondis, floris, fructus vnius aſpectu, ex vermiculi alicuius aut beſtiolæ conſideratione ſupra cælos attollenté ſe,& ad ea quæ à ſenſibus remota ſunt, penetrantem capientemque ex ſingulis vtiliſſima documenta ad totius reformationem vitæ. Atque hoc familiare noſtris optabat eſſe vt Deum in rebus omnibus præſentem cernerent: & mentes ſuas omni tempore, non inter orandum modò, ad cæleſtia attollerent.] Hæc Ribad.

Cuius votis monitiſque tamquam à Sanctiſſimo parente profectis, piè obſecutus Ioannes Maldonatus vir æterna dignus memoria, quippe qui non modò dum ſeſe orationi conſulto & cogitato dabat Deo fruebatur; ſed minimi etiam floſculi aſpectus ita ſublimes præſtanſtanteſque eius menti ſuppeditabat conceptiones, vt ijs ipſe non tantùm Dei amore incenderetur, ſed ſocios pariter, qui fortè tum aderant, eodem igne correptos inflammaret. Et vt ad anti-
c.1.vitę. quiora ſe referat ſermo, tradit S.Bonauentura B. Franciſcum vel nondum religioſæ vitæ initiatum, ad ſolam vocem diuini amoris ita ſolitum commoueri, vt non ſine cordis immutatione ab eo perciperetur. Ex quo illud erat, vt nullum à ſe non beneficè acceptum dimitteret inopem, qui quidem diuini amoris allato titulo à ſe ſtipem popo-

ſciſ-

sciſſet. Mirum hoc sanè in institore, & terrenis inhiante lucris, qualis erat B. Franciscus. Vt proinde non ita sit demirandum, si postquam seculum valere iussisset, dum psallenti atq; horarũ canonicarũ pensum persoluenti nomẽ Domini occurreret, tantâ Spiritus fuerit suauitate affectus, vt quasi eã gustatu perciperet, labia sua quodammodo lingere visus sit. Sacratissimum autem nomen Iesu ab eo aut pronuntiatum aut auditum tanto ipsius mentem complebat gaudio, vt id in corpus etiam redundaret, ipsumque ita afficeret ac si mellis saporem gustu, aut suauem aliquem concentum auditu percepisset.]

O nos miseros, lugendosque, quibuscum ipse Iesus licet commorans, atque intra cordis penetralia Sacrosanctæ Eucharistiæ perceptione receptus, nec minimũ quidẽ sapit, (atq; vtinam fastidio non sit multis, dicantq; cũ fastidiosis Hebræis: Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo,) quando huic cælesti viro vel sola nominis ipsius auditio aut vsurpatio, dulcior erat super mel & fauum. Num. 21.5.

Sed pergit Bonauentura recensere quibus aliàs modis sanctissima hæc anima in Deum à terrenis auocaretur; ita erat (inquit) passionis Christi Domini memoria visceribus cordis eius impressa, vt dũ eius crucifixionis recordaretur, vix sese posset à lacrymis gemitibusq; etiã externis continere: ex cõtinuò igi-

tur fletu, oculorum infirmitatẽ incurrit grauiſſimã: ita vt adhibitus medicus ei ſuaderet, vt ſi oculos ſaluos vellet, à lacrymis ſibi tẽperaret omnino: cui vir verè pius, Nõ eſt inquit frater medice ob amorem luminis, quod habemus commune cum muſcis, viſitatio lucis æterna vel modicùm repellenda: quia nõ ſpiritus propter carnem, ſed caro propter ſpiritum beneficium lucis accepit. Malo equidem corporei viſus lumen amittere, quàm lacrymas, quibus oculus mundatur interior, vt Deum videre valeam, repreſſa deuotione Spiritus impedire.]

Pręclarum ſanè, dignumq; tali viro reſpõſum & factum, quod vtinam ſibi proponãt, qui nimiâ valetudinis aut tuendæ aut recuperandæ curâ, cæleſtes viſitationes, motiones, inſpirationeſq; timidi nimiùm & incauti repudiant; quibus quidẽ obuijs (vt aiunt) vlnis occurrere, quáſque potente ſinu excipere oporteret. Pulſat fortè, ſuauiſſimâ dilectus tuus voce hac ianuam cordis tui: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenũ eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*; Et tu eum, neſcio quo inani valetudinis nomine, quàm vel minimùm offendere formidas, aditu prohibebis? Tam benignum, inquam, tuiq́ue amantiſſimum ſponſum reijcies repudiabiſq́ue, ne ſaluti tantillum incommodes, vſurpabiſq́ue im-

Cant. 5. 2.

imprudens illud inertis & improuidæ ſponſæ: *Expoliaui me tunica mea* (ô frigidam, ô inanem excuſationem!) *quomodo induar illa? Lauipedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Vide ne hac offenſus inhumanitate tua, eodem te cum ſponſa illa afficiat ſupplicio, cuius fores cùm fruſtra pulſaſſet, blandiſque vocibus compellaſſet vt ſibi aperiret. Surgit ipſa è ſtratu vt aperiret dilecto ſuo: ſeq; tanto hoſpiti recipiendo quantâ poteſt diligentiâ & impensâ aptat, (eius quippe manus ſtillabant myrrham, & digiti eius erant pleni myrrha probatiſſima) vt ſe hac odoris fragrantia ſponſo ſuo probaret; ſed ecce tibi dũ oſtij peſſulo remoto fores reſerat, atque in eius amplexus ruere apparat, iam multo antea declinauerat atque tranſierat. Cant. 5. 5.

Heu miſeram ſponſam, quietiſq; quondã nimis cupidam: erit, erit, erit tempus, cùm tu ipſa ſponſi impatiens, eiúſque nõ ferens deſiderium, auidiſſimè eum ſequeris, nec conſequeris tamen. Inclamabis cum ſponſa, *quæſiui illum, & non inueni; vocaui, & non reſpondit mihi. Inuenerunt me cuſtodes, qui cuſtodiunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerũt pallium meum mihi cuſtodes murorum: Adiuro vos filiæ Ieruſalem ſi inueneritis dilectũ meum vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Tanti eſt, cordis oſtium aperire Chriſto pulſanti, quaſque offert, admittere inſpirationes & oblectatio- Cant. 5. 6.

nes, vt postmodũ eo frui cùm velis, nõ possis. Iustum sanè supplicium, neque aptiùs potest hæc tua cæcitas imò repulsa coërceri, quàm vt ipsum vicissim aliquanto tempore operaris, sicq; & tu aliquamdiu instar gentis He-
Ose. 3. 4 brææ quodammodo sine rege, sine Principe, sine sacrificio, sine altari, sine Ephod, sine Theraphim id est, omni destitutus cælesti tũ præsidio tum oblectatione: Hęc quidem occasione B. Francisci, qui cælestes visitationes etiam salutis dispendio non admittebat modò; verùm arctè etiam complectebatur, paucis sint explicata.

Ad propositum reuertamur. Cùm aliquãdo (ita Bonauentura) idem B. Franciscus ex multarum infirmitatum concursu aggrauato corpore, ad iucunditatem Spiritus excitandam, alicuiùs audiendi soni harmoniaci desideriũ habuisset, nec id honestatis decentiâ per ministerium fieri pateretur humanũ, adfuit angelorum obsequium ad viri Sancti placitum implendũ. Nocte etenim quadam vigilante ipso ac meditante de Domino, repentè insonuit cithara quædam harmoniæ mirabilis, ac suauissimæ melodiæ: non videbatur aliquis, sed transitum & reditum citharædi ipsa hinc inde auditus volubilitas innuebat. Spiritu in Deum directo, tanta fuit in illo dulcissimo carmine suauitate perfruitus, vt aliud se putaret sæculum commutasse.

mutasse. Hoc & fratres sibi familiares nō latuit, qui per certa frequenter conspiciebant indicia eum tam excessiuis & crebris consolationibus à Domino visitari, vt nec ipsas omnino occultare valeret.]

O quàm verè cecinit is propheta qui secūdum cor Dei, desiderium pauperum exaudire Dominum, & præparationem cordis eorum audire aurem eius, nec qualecumque desiderium & votum, sed insolentis rei, atque supra naturæ vires positæ omnino. Psal. 10. 17.

Hoc extremum afferam de hoc Seraphico planéq; diuino viro; subitò (verba sunt Bonauenturæ) ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quasi plectro vocis extrinsecæ chorda cordis interior tangeretur, & quasi quidam carbo ignitus, diuini amoris flammâ videbatur absorptus. Atque vt ex omnibus rebus excitaretur ad amorem diuinum, exultabat in cunctis operibus manuū Domini: & per iucunditatis specula in viuificam consurgebat rationem & causam. Contuebatur in pulchris pulcherrimū, & per impressa rebus vestigia prosequebatur vbiq; dilectū de omnibus sibi scalā faciens, per quā conscenderet ad apprehendēdum eum qui est totus desiderabilis; inauditæ namque deuotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis singulis tanquam in riuulis deguſtabat, & quasi cælestem

concentum perciperet in consonantia virtutum & actuum eis datorum à Deo, ipsas ad laudem Domini more prophetæ Dauid dulciter hortabatur. Christus Iesus crucifixus intra suæ mentis vbera vt myrrhæ fasciculus iugiter morabatur, in quem optabat per excessiui amoris incendium totaliter transformari.]

Quis non miretur, quàm disparibus, quá multiplicibus modis diuina bonitas huncsibi imprimis carum Franciscum à terrenis ad cælestia cogitatione euocabat. Verùm existimandum non est, abbreuiatam esse manum Domini, nec illum modò minùs quàm tum, aut posse, aut velle: æquè est semper potens, æquè semper benignus, æquè munificus Dominus: delitiæ eius quouis tempore esse cum filiis hominum: stat ad eorum ostium, & pulsat, si quis audierit vocem eius & aperuerit ianuam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo, & ipse secum. Quantos enim vel in hac morum corruptela, diuinarúmque legum contemptione reperias, qui diuini Spiritus impulsu (quamquam in terra commorantes) ima deserunt, atque minimarum etiam rerum occursu occasionéque superiora conscendunt?

Prou. 8. 31.
Apoc. 3. 20.

Sed quot existunt, qui solo cæli intuitu cómouentur toti, nec se à lacrymis abstinent, prorumpúntq; in has Prophetę voces; Quid mihi

mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Quando, quando, quando veniã & apparebo ante faciem Domini? Hæc tibi patria ô anima mea; terra autem exilium, peregrinationisque locus, nisi carcerem malis tenebricosum ergastulúmq; vocare. Ad hæc, alios quidem ad se trahit Deus flosculi obiectu, atque à pereunte venustate ad permanentem numquamque desituram transfert. Psal. 72. 25. Ps. 41. 3.

Ecce tu pulcher es (inquiunt hi) dilecte mi & decorus, tu flos campi, tu lilium conuallium, tu candidus & rubicundus, tu electus ex millibus. Genæ tuæ sicut aureolæ aromatum consitæ à pigmentariis, labia tua lilia distillãtia myrrhã primam; species tua vt Libani, electus es vt Cedri. His verò è palmite dependens vua in memoriã reuocat illud è Cãticis: Botrus cypri in vineis Engaddi dilectus meus mihi. Istis deniq; pomiferæ arboris conspectus recordationẽ ingerit sponsi, qui & ipse à sacris litteris pomo comparatur, cogitant nimirum quãto hæc est præ illa tum fructu lætior, tum aspectu pulchrior, tũ vsu ipso vberior, tum specie ornatior, tum vmbra ipsa iucundior: vsurpantq; credo identidem illud Salomonis: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios, sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Perfectiores vero, & quibus corpus spiritui obsecundãs, carnis motiones omnes Cant. 1. 15. Cant. 5. 10. Cant. 7. 14. Cant. 2. 3.

compreſſit, eximia humanæ formæ venuſtate oriſque capti pulchritudine, ſeſe ad illam,
Pſ.91.5. quæ creatam omnem longè antecellit, ſuſpiciendam transferunt: delectantur & ipſi
Sap. 13. 3. cum propheta in factura eius, & in operibus manuum eius gloriantur: Si tam eſt eximia & illecebroſa ſpecies (inquiunt) rerum creatarum, quanto tu his, qui earum dominaris, ſpecioſior es: ſi tanti vitrum, quanti margaritum? Itàne mentem afficiunt pictura & vmbra? quid igitur res ipſa? quid veritas? ſi riuuli tam copiosâ manant aquâ, quid Oceanus ipſe?

Infinitus ſim ſi ſingulos quoſque modos perſequar, quibus ſuos Deus à creaturis & per creaturas ad ſui contemplationem amoremque auocat. Omnem certè indagat rationem piiſſimus noſtrique amantiſſimus parens, vt qualibet occaſione, quacumque re viſa vel auditâ, vel ſenſu aliquo perceptâ mentem noſtram à terrenis & caducis ad æterna cæleſtiaque referat. Ipſa etiam arte facta, quæque humana induſtria & opera conſtituta ſunt, ad id adhibet. Quantos enim videre eſt quotidie qui lugubri campanarum ſono, qui pro vita functis eccleſiaſtica lege inſtitutus, Deo interim alio quopiam ſtrepitu eorum aures circumſonante, ex graui, quo premuntur peccatorum lætargo ad ſeſe redeunt, omnique excuſſa oſci-

oscitantia vitæ meliori se reddunt? nimirum & sibi cogitant breui de hac statione discedēdum: statutúmque esse omnibus hominibus semel mori & post hoc iudicium. Hebr. 9. 27. Inde acerbus dolor vitæ malè actæ: inde propositum in meliùs commutandæ, expiandique, supplicijs sponte assumptis, præteritos errores: inde suimet demissio cogitantibus non ita multo post in puluerem & cinerem conuertendos: inde caducarum rerum omnium contemptio, honorū, opum, voluptatúmque despicientia, vt quæ etiam abinuitis mors auferat: & quemadmodum nihil in hunc mundum intulimus, haud dubium quod necauferre quid possumus. 1. Tim. 6. 7. Inde pietatis exercitia atque eleemosynæ, vt sibi parent amicos de mammona iniquitatis à quibus recipiantur in æterna tabernacula, Lucæ 16. 9. Inde amor cælestium, odium terrenorum. Ibique figuntur deinceps corda, vbi vera sunt gaudia.

O quàm eximios fructus, ô quantum boni parit mortis memoria vel campanarū sono, vel aliorum visa auditáve morte excitata! Sed seipse quisque consulat, cordisque arcana scrutetur sui, obseruet accuratè animi motiones, perspiciétque nullum abire diem quo non sæpiùs à Deo visitetur, doceatur, instruatur, ab eóque impellatur, (captatâ occasione ex rebus quæ se offerunt, quásque

præ manibus habet) ad meliora sanioraq; cõsilia: atque adeò ea nonnumquã vi & efficacitate, vt ei sit difficile reluctari, & contra stimulũ calcitrare: Itaque quotiescumq; te diuina bonitas vehemẽtibus hisce motionibus ad se trahit, & quasi aurẽ vellicat, I, sequere, perge securus quò te vocat: I, sequere eius ductũ, tali quidẽ duce errare non poteris: sequere aurã diuini spiritus, numquã secũdiore vento nauigasti: explica, daque vela, quantúmq; vales laxa vento colligendo, & ne dubita institutum nauigationis cursum abrumpere, in diuersúmq; flectere, id est, solitis orãdi formulis prætermissis, eos affectus orationisque rationem adhibere, quas tibi Spiritus Sanctus suggerit, qui vbi & quãdo, & quem-
Ioan 3. admodum & cui vult spirat: atque vbi spirat, quomodocúmq; & quandocumque spirat, audienda est vox eius, omni aliâ neglectâ: etiam ipsiusmet Spiritus Sancti (cuiusmodi est ea, quam statotempore tibi audiendã statueras) neque enim nouum est in pietate exercitatis, Deum ipsum Dei causa deserendum. Ad extremum puta tibi, quando hac ratione à Deo visitaris, dictum illud Marthæ ad so-
Ioan. 11. 28. rorem: Magister adest, & vocat te; quæ quidem dicto citiùs & alacris perrexit ad eum. Idem tibi faciendum existima, quando à consueta orationis materia ad aliam te diuinitus vocari sentis.

Altera

Altera erat cauſa cur ſtatis orationibus iaculatoriis ſuperſedendũ, à nobis ipſis petita; quando ſcil. aliæ ſapiunt proſuntque magis quàm quas nobis pręfiximus. Aliàs enim nobis Deus ſapit vt Iudex & vindex peccatorũ, aliàs vt remunerator meritorũ; hodie vt Dominus, cras vt ſponſus: modò oblectat nos cum eo tamquam medico ſermocinari, eiq; vulnera morboſque mentis detegere: modò illi tamquã Regi potentiſſimo ſupplices accidere, vt inopiæ noſtræ miſertus, donis cęleſtibus locupletet. Tantáque eſt Dei aduerſus nos & beneficentia & amor, vt quãdo hãc in animis noſtris affectuũ varietatẽ (cuius ſine dubio ipſe eſt auctor) obſeruat, pro variis animæ deſideriis (verba ſunt melliflui Bernardi) diuinæ guſtum præſentiæ variat, & infuſo ſapore diuerſæ dulcedinis, diuerſa appetentis animi aliter atq; aliter oblectat palatum. Aduertiſti in hoc amatorio carmine (intelligit cantica canticorũ) quoties mutauerit vultũ, & in quanta multitudine dulcedinis ſuæ coram dilecta dignatus ſit trãsformari, & quomodo nunc quidem inſtar verecundi ſponſi Sanctæ animæ, ſecretos petat amplexus & oſculis delectetur: nunc verò in oleo & vnguentis medicũ exhibere appareat. nimirum propter teneras & infirmas animas iſtiuſmodi adhuc egentes fomentis & medicamẽtis. Nunc rurſum quaſi viator quiſpiam, itineranti-

Serm. 31. in Cant.

rantibus, sponsæ simul atque adolescentulis sese associans, iucundissimis confabulationibus suis, à labore viæ omnem releuat comitatum, ita vt eo discedente loquantur; Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Iesu dum loqueretur nobis in via? Item aliquando occurrens quasi prædiues aliquis Pater familias, qui in domo sua abundet panibus: Imò tamquam rex magnificus & potens, qui sponsæ pauperis videatur pusillanimitatem erigere, prouocare cupiditatem, demonstrans illi omnia desiderabilia gloriæ suæ, diuitias torcularium ac promptuariorũ: Hortorum & agrorũ copias, demum etiam introducens eam in ipsa secreta cubiculi. Nimirum cõfidit in ea cor viri sui, & non est ex omnibus quod ab illa existimet abscondendum, quam redemit inopem, probauit fidelem, amplexatur amabilem, atque ita nõ cessat siue hoc, siue illo modo, interno iugiter apparere conspectui quærentium se, vt sermo impleatur quem dixit: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Et in his omnibus suauis & mitis & multæ misericordiæ. Nam in osculis quidem affectuosum & blandum, in oleo autem & pigmẽtis atque vnguentis clementem & affluentem visceribus pietatis & compassionis: Porrò in via hilarem, affabilem, plenum gratiæ & solatij: in ostensione verò diuitia-

rum

rum ac possessionum munificum se ac largum, pro regia liberalitate remuneratorem demonstrat. Hæc D. Bernardus.

Si quis autem ex me quærat, vnde proficiscatur varietas illa gustus, & saporis & ex consequenti orationum iaculatoriarũ, quas ita affecti vsurpamus: Intelligat is eius rei originem tum à Deo esse, vt superiùs dictum est, tum à nobis, quod posterius. Malo hisce Cassiani verbis quàm meis exprimere. Aliter quisque supplicat (adde ad nostrum propositum, alitérq; Deus illi sapit) cùm alacer est, aliter cùm tristitiæ seu desperationis pondere prægrauatur: aliter cùm spiritualibus successibus viget: aliter cùm impugnationum mole deprimitur: aliter cũ veniã peccatorũ, aliter cùm acquisitionem gratiæ seu cuiuslibet virtutis exposcit, vel certè extinctionem cuiuslibet vitij deprecatur. Aliter cùm consideratione gehennæ ac futuri iudicij timore compungitur. Aliter cùm spe futurorum bonorum desiderióque inflammatur. Aliter cùm in necessitatibus ac periculis, aliter cùm in securitate & tranquillitate versatur: Aliter cùm sacramentorum cælestium reuelationibus illustratur: Aliter cùm sterilitate ac sensuum ariditate constringitur.] Collat. 9. c. 8.

Verùm si quispiam non tantùm vnde oriatur varietas illa affectuum, atque adspirationum ad Deum (atque vt Cassianus loqui-

loquitur, de intimis animę conclauibus proferatur) sed etiam quemadmodum oriatur perspicere volet, audiat illum ipsum Cassianum ea splendidissimè disserẽtem: frequenter (inquit) per ineffabile gaudium, & alacritatem spiritus, saluberrimæ compunctionis fructus emergit (idipsum aptabis cuilibet piæ in Deum motioni) ita vt etiam in clamores quosdam intolerabiles, gaudij immensitate prorumpat, & cellam vicini, iucunditas cordis, & exultationis penetret magnitudo. Nonnumquam verò tanto silentio mens intra secretum profundæ taciturnitatis absconditur, vt omnem penitus sonum vocis, stupor subitæ illuminationis includat, omnesq; sensus, attonitus spiritus vel contineat intrinsecus, vel admittat, ac desideria sua gemitibus inenarrabilibus effundat ad Deum, interdum vero tanta compunctionis abundantiâ ac dolore suppletur, vt aliàs eam digerere, nisi lacrymarum euaporatione non possit. Ita Cassianus. Qui quidem huic primæ parti, qua de aspirationum materia cęterisque eodem spectantibus dictum est, finem imponat, deinceps verò de causa earum efficiente, fauente Deo disserendum.

Collat. 9. c. 27.

LIBER

DE ORATIONIBVS IACVLATORIIS

LIBER. II.

CAPVT I.

Omnibus omnino conuenire hoc orandi genus, alias tamen orationes alijs conuenire?

VNIVERSORVM hominum alij quidem improbi Deoque inuisi, alij verò probi sunt, Deoque accepti: sitne his conueniens frequẽtes ad Deum orationes eiaculari, id quidem dubitari non potest; dubitationem aliquam fortè habere videtur illísne id sit vsurpandũ & cum Deo colloquendum, à quo alieniore sunt animo, cuique bellum sceleribus suis indixerunt, atque adeò gerunt perpetuum. Verùm qui rem penitiùs inspexerit, intelliget is nõ modò non subtrahendum impijs hoc orandi genus, vt potiùs ad id vehementiùs eos cohortari

hortari oporteat, cùm nihil eorum rationibus magis conducat, quàm vt ſtatis temporibus conſiderata tum periculi ſui magnitudine; miſerrimoque in quo verſantur ſtatu, tum diuinæ bonitatis immenſitate, ſupplices ſeſe Deo ſiſtant; ab eóque id exorent, quo adiuti emergant è tenebris, cœnóque vitiorum, cui iam pridem miſere immerſi iacuere,

2. Tim. 2.6. pœnitentiamque impetrent ad cognoſcendam veritatem & reſipiſcant à diaboli laqueis à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.

Exhort. ad baptiſm. Baſilius quidem grauiſſimis ſanè verbis peccatori ſuadet vt imitetur Chananæam, identidémque inclamet illud, *Miſerere mei fili Dauid.* At inquis filium malè à dæmone poſſeſſam non habeo: habes tamen animam immundo ſpiritu occupatam. Quid ait Chananæa? miſerere mei, filia mea male à dæmone torquetur: magnus enim dæmon peccatum: qui dæmonium patitur miſericordiam inuenit: qui autem peccat, odium ſibi contrahit, ille venia dignus, hic nequaquam excuſatur. Miſerere mei, breue admodum verbum: magnum verò Chriſti humanitatis pelagus. vbi miſericordia, non exigitur ratio: vbi inquam miſericordia, iudicium vacat, ſalus permiſſa, denique ſalutaria omnia. Itaque quamuis extra gratiam ſis, clama, dic Miſerere mei, non labra mouendo, ſed

mente

mente vocem emittens, nam & silentes audit Deus.]

Hæc Basilius ad peccatorem, quem eundem multis iterum hortatur, vt nullâ omnino loci qualis qualis sit habitâ ratione, vbíque orando se exerceat, Deíque opem efflagitet, cùm vt ait non locus, sed propositi initium requiratur. Sed hæc alias.

At frustra orauerit impius cùm peccatores non exaudiat Deus: illiúsque qui declinat aures suas ne audiat legem sit oratio execrabilis. Quamquam non exaudiat impium iure & merito suo, id facit tamen pro benignitate & clementia sua, cuius proprium est misereri semper & parcere: Etenim si peccatores non exaudiret Deus (inquit Augustinus) frustra diceret publicanus, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Quomodo constaret illud Christi Domini, *omnis qui petit accipit*; siue iustus siue sit iniustus ait Chrysostomus? Duo namque sunt (vt luculenter D. Thomas) consideranda in persona impij. Alterum est natura, quam Deus impensè diligit: Alterum impietas, cui vehementer aduersatur. Quando igitur quidpiam ab impio petitur quà est impius, quódque cum impietate connexum est, & ad eam refertur & adminiculatur, sic repulsam patitur nec audietur: quod quidem magno est ei, bono eximiéque erga eum beneuolentiæ argumentũ. Quam-

Ioan. 9.

Prou. 28

Tract. 44. in Ioannem.

Matth. 7. 8.

Homil. 18. in Matth.

quam etiam hæc petenti ſubinde Deus faciat ſatis, eumque grauioribus adhuc ſcelerib⁹ commaculari ſinat, quod genus eſt vindictæ acerbiſſimum. Nam vt rectè Auguſtinus, Deus quædam ſubinde negat propitius, quæ concedit iratus.

De verbis Domini Serm. 53.

Verùm quoniam non tantùm quâ impius eſt, ſed etiam quâ homo aut qua fide & ſpe Chriſtianis virtutibus inſignitus (ſola enim charitas lethali crimine exulat) multa à Deo poteſt depoſcere: In his ſimilibúſque pronas ei Deum aures exhibere non eſt dubitandum; non id quidem, vt ſuperiùs dictum, vllo ſuo merito, ſed pro mera Dei beneficentia & clementia, quæ licet immeritos, indignoſque munificentiâ ſuâ, doniſque continenter proſequitur. Præſcribit tamẽ D. Thomas huic eorum orationi quatuor conditiones, vna vt pro ſe ipſi, altera vt neceſſaria ſaluti, deinceps vt piè, ad extremum vt perſeueranter poſtulent.

At preces impiorum ab omni vacant merito; Quid tum? non ſpectat Deus quid commereantur, ſed quid exigat infinita ſua bonitas: neque verò idem ſunt & vnum mereri & impetrare, meritum namque iuſtitiâ, vis impetrandi gratiâ beneficentiâque innititur. Quæ autem orationum iaculatoriarum formula improbis ſit adhibenda, quamquam ſatis patet ex ſuperioribus, theſauri ad calcem

cem huius opuſculi lectione ampliùs adhuc patebit.

Ad bonos quod attinet (ſupereſt enim alterum è diuiſione membrum) quamquam dubitet nemo, quin eorum ſit proprium, frequentibus ad Deum aſpirationibus piè mentem exercere, idipſum tamen non ita facilem habet explicationem. Communi verò omnium calculo receptum, vt tripartitâ diuiſione contineantur iuſti omnes. Alteri quidem ſunt in primo quaſi limine probitatis, vocantúrque incipientes. Alteri autem paulo vlterius prouecti, proficientes dicũtur. Deinceps ſequũtur, qui vel metam currendo attigerũt, vel perparum vtique abſunt ab ea, eoſq; perfectos placuit nuncupare. Horum verò omnium inter ſe ipſos diſcrimẽ à diſparis gradibus charitatis petendũ. Alia eſt namque inchoantium; alia progredientium, alia denique perfectorũ charitas. quod quidem diſcrimen D. Thomæ non ſumitur ex intenſionis gradibus, ſed ex varijs ſtudijs actionibúſque hominis charitate præditi, ad perfectionem vſumq; eiuſdẽ charitatis ordinatis. 2.2.q. 24.ar.9.

Itaque inchoantiũ ſtatus initium ſumit ab ipſa iuſtificatione, impijq; ad meliorem frugem Deiq́ue amicitiam traductione: Durat autem is ſtatus donec animi perturbationes ita habeat compreſſas, & domitas, vt ſaltem in grauiora non erumpant ſcelera, nec quæ

maioris sunt momẽti legis præcepta violent. Vbi verò motus animi nimij esse desierunt, & ad auream mediocritatem redacti certum quemdam tenent modum, rectæque rationis regulâ continentur, ita vt facilè à grauioribus se abstineat, licet ad leuiora promior sit; quòd caducarum rerum affectum, inaniúmque voluptatum nondum posuerit omnino: quamquam studiosè interim virtutes sequatur, totúsque sit in earum adoptione: proficientibus accensensus est.

Perfectorum denique (quorum quidem perexiguus numerus) tum censetur in choari status, quando ita est mens ab omni re, quæ Deus non est aliena, vt extra ipsum cogitet nihil, sapiat nihil, tantáque fruitur pace & tranquillitate, vt non ira, non dolore, non cupiditate, non metu, vllo vnquam tempore crucietur, atque æquabilis semper vultus, eiusdémque oris in rebus aduersis iuxta ac bonis perseueret. Quando denique sibi ipsa sufficit, omniáq; sua in Deo posita arbitratur, nullius egens nisi Dei, neminẽ requirens, nisi Deum, cuius desiderium non fert amplius, cuius amore ardet, in quẽ frequentibus votis suspirat, & à quo vel momento temporis cogitatione diuelli, mortis instar existimat.

O præclarum illum statum! ô expetẽdum vitæ genus! quo mens terrenis rebus omnibus, tamquam hominis præstantiâ longè inferio-

ferioribus, magna animi celsitate spretis, vni Deo, perenni boni omnis fonti indiuulsè adhæresci! Iam verò à superiùs dictis tribus gradibus charitatis, eorúmq; discrimine, qui in ea disparem nacti sunt perfectionem, tres pariter existunt gradus triplexq́; orationum iaculatoriarum differẽtia. Quarum vna quidem propria est incipientium, dirigiturq́; ad mentis expurgationem: Altera autẽ spectat proficientes, refertúrque ad virtutum nitorem ornatúmque cõsectandum, priùs fœditate omni vitiorum profligata: Tertia demũ est perfectorum, quæ eò tendit in idque collimat, vt hominem supra hominẽ sublatum, cælestiúmque concilio insertum, Dei consortio consuetudiniq́ue adiungat.

Nititur autem hæc diuisio non modo auctoritate magni Dionysij Parisiorum Episcopi, ceterorúmque consensũ doctorum, qui quidem mysticam & reconditam tradunt Theologiam: verùm etiã ratione. Cùm enim oratio, cælestiúmque rerum commentatio omnibus veræ pietatis cultoribus sit apprimè necessaria, (quod quidem diffitetur nemo) ob eximias quas parit vtilitates omni sermone dicendiq́ue vi longè præstabiliores: cumq́ue non possint vniuersi eundem orãdi modum tenere, quia non sint eodem modo affecti, nec eâdem facultate præditi: vtique ex orantium varietate, varij etiam orandi

c.3 de cæleſt. hierarc. & de Eccleſ. c.3. & 5.

gradus rationésque constituendæ sunt. Rectè itaque ad hasce tres hominum conditiones, hæ item tres orationis differentiæ accommodantur. Quæ autem orationis species sigillatim tum ab incipientibus, tum à proficientibus, tum à perfectis sint vsurpandæ, satis supérq; habetur ex superiùs dictis. Spectato enim vniuscuiusque fine haud difficile est, quid cuique orandum sit, præscribere.

Primi itaq; quibus animi expurgatio proposita est, frequentes sint actibus cõpunctionis dolorisq; exercendis, quibus mens ad iustitiam disponitur, seseq; generosè obfirmẽt aduersus illecebras, aduersáq; omnia ne fortè ab inchoata virtutis via pedẽ referant, atque vsurpẽt identidem quo maximo possunt
Ps. 118. affectu, illud prophetę: Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ; Portio mea Domine: dixi (id est constitui omnino) custodire legẽ tuam. Iterum atque iterum repetant illud
cap. 27. Sãctissimi Iobi, donec supereſt halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, nõ loquentur labia mea iniquitatẽ, nec lingua mea meditabitur mendacium: donec deficiam non recedam ab innocentia mea, & iustificationem meam, quã cœpi, tenere non deseram. Hinc referant sese ad regium vatem, dicantque: In
Ps. 118. æternum non obliuiscar iustificationes tuas,
Ps. 136. quia in ipsis viuificasti me; adhæreat lingua mea faucibus meis si non meminero tui.

Si

Si oblitus fuero tui, ô Domine, obliuioni detur dextera mea, si non proposuero te in principo lætitiæ meæ.

Et quoniã inchoatio iustitiæ vt plurimum ducitur à timore, ijs assuescãt aspirationibus, quæ diuinæ iustitiæ metum, quæ pudorem suíque cõfusionem, quæ denique verũ anteactæ vitæ dolorem excitent atque ingenerent. Ab his proximi, quando sibi virtutum omnium ornamẽta volũt decoraq; comparare, eos quidem in Christi Domini sanctissimã vitam, omníque heroïcarum virtutũ genere longè cultissimam, tamquam in perfectionis omnis absolutum exemplar eos cõtinenter oculos defigere oportet, assiduisque precibus ab eo efflagitare, vt quiaeum omnimoda imitatione consequi non valent, illis vel tenuem virtutũ suarum vmbrã, & simulachrum impertiat: totiq; sint in petendo, in postulando, neque recedant vnquam priusquam exorent: sanctè eis licet esse impudentibus, importunis & improbis, vt si non quia amici sunt, & propter improbitatem det illis Deus quidquid opus habent.

Atque aliàs humilitatem poscánt: Domine fac discam à te quia mitis es & humilis corde, vt ita inueniam requiem animæ meæ. Aliàs charitatem, præceptum à te est, vt diligamus inuicem, sicut dilexisti nos: hoc item voluisti esse symbolum quo tui

Matth. 11.29.

Ioan. 15. 12.

internoscerentur discipuli, si alij alios diligerent: ô Domine da quod iubes, & iube
Ioan 13. 35. quod vis, vis me perfectum esse sicut & Pater noster cælestis perfectus est: vis me in patientia mea possidere animam meam. Præcipis dilectionem inimicorum, &, si esurierint, vt cibem illos, si sitierint potum dem illis, vt ita carbones ignis congeram super capita eorum: da itaque quod iubes, & iube quod vis.
Matth. 5. 48. Lucæ 21. 19. Rom. 12. 20.

Tandem perfectorum est (quibus quidem familiaris cùm Deo consuetudo quæritur) actionibus amoris & beneuolentiæ occupari: dilecto, vnicéque ab ijs amato quoad eius licet in hac misera & ærumnosa vita pasci, delectari & perfrui, atque ad Christi pedes
Lucæ 10. 40. assidere beatæ Magdalenæ; ibiq; audire verbum illius, cuius vox dulcis, & facies decora;
Cant 2. 14. cuius guttur sicut vinum optimum: cuius labia lilia, distillantia myrrham primam: cuius
Cant. 7. 9. Cant. 5. 13. dulcia eloquia faucibus nostris, super mel ori nostro. Eorum est denique Christi amplexibus stringi, foueri, ibique somnum capere, ijsque indormire, vehementi additâ
Psalm. 118. 31. sponsi obtestatione per capreas ceruosque camporum: ne suscitent filiã Hierusalem, neque euigilare faciant dilectã donec ipsa velit.

Omnino nihil hoc statu felicius, nihil in omni vita expetendum magis. Hic est dies sereniſſimus & sabbathum mentis (vt loquitur

tur Bernardus) in quo tamquam emeritus miles, in laboribus vniuersis viuitur absque labore. Hic est finis ait idem, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc est pax, hoc est gaudium Domini, hoc est gaudium in Spiritu Sancto, hoc est silentium in cælo, ea est inceptio felicitatis æternæ, ad quam conditi sumus; neque vllum homini præstantius in hac quidem vita solatium, aut vberior voluptas contingere potest, quàm si se ad eum statum viderit pertigisse, quando rebus caducis omnibus valere iussis, iisque mortuus vni Deo viuit, vnum Deum spirat, vni Deo adhæresçit. Huius autem aspirationes status propriæ è canticis potissimùm, nonnullisque psalmis ignitioribus petendæ, quas quidem indicabit thesaurus.

Serm. 3. de circumc.

l. de Amore Dei c. 4.

Extremùm hoc monendum censeo, non esse hosce tres probitatis status ita inter sese discrepantes, vt nulla re conueniant aut communicent, quin etiam quemuis illorum aliquid cum cæteris habere commune. Peculiarem tamen, quâ internoscantur, appellationem esse sortitas, ab eo quod in ijs emicat magis atque eminet. Error quidem fuit quondam Begardorum & Beguinarum, posse in hac vita hominẽ eum perfectionis gradum tenere; vt quo vltra progrediatur non habeat, eoque celsitudinis loco consistere, vt neque ei timendum quidquã, neque per-

Clemẽtina ad nostrũ de hęreticis.

turbationes prauiąue motus animi, sint ei rationis freno compescendi. Verùm concilium Viennense Clemente V. summo Põtifice habitum, hanc hęresim anathematis damnauit: quantumlibet enim perfectionis in hac vita sis adeptus, tibi est porrò pergendũ, ne fortè regrediaris: in via namque Dei non progredi Gregorio teste, regredi est. Communicas igitur cum proficientibus, eorumque exercitijs insistis, muniáque obis.

Ad hęc iustã sanè habet quiuis ansam tum timoris, tum sæuiendi in se ipse pœnis, ad coërcendam carnis rebellionẽ spõte assumptis (quod inchoantium est proprium) ne cũ bene de se existimat, sibiq; videtur perfectus, reprobus tandẽ inueniatur. neque enim prę-
1. Cor. 9 stantior est Apostolo, qui quamquã vsque in cęlũ vi spiritus abreptus, vbi etiam audita ab eo arcana verba quę non licet homini loqui, fortissimáq; ei electionis suæ, & adscriptionis inter cælites suppeterent argumenta: castigabat tamen corpus suum, seu vt verti etiam possunt Græca, liuidum faciebat, atque in seruitutem redigebat, ne forte cùm alijs prędicasset ipse reprobus efficeretur.

Neque verò incipienti, perpetuò immorãdum actionibus affectibusque sui status proprijs; etiam illi maiora nonnumquam perfectioraq; tentare licet: neque licet modò, verùm expedit omnino interdum de industria

&

& consultò animum affectibus amoris exercere: quod idem dictum sit de proficiẽtibus. Cùm enim ex omnibus pietatis exercitijs nullum omnino præstãtius, nullum quod vberiores afferat fructus, nullum denique diuinæ maiestati gratius amoris diuini actionibus, cur non frequenter obeantur ab omnibus? cur non eas enitantur singuli quãtâ maximâ valẽt perfectione exercere? At diuinus amor, dicet quispiam, vt bonorũ est omnium cõsummatio, ita nisi cõsummatâ virtute viris nõ videtur cõuenire; sit ita sanè, verũ nonne ille ipse bonorũ etiã omnium est fons & origo? An non ipsemet impij ad Deum reditus amicitiæque redintegratio ab amore initium ducat oportet vt sit perfectus?

Quin etiã Deum ipsum non rarò eos qui se tũ primùm obsequio suo deuouerũt, accepimus solitũ esse in ipso ferè nouæ vitæ limine, tãto cõplere gaudio frequẽtatis hisce actionibus amoris, vt sese ipsi vix caperent. Cuius quidẽ rei testis locuples S. Bernard. ita scribit. Ad hãc perfectionẽ (contemplationẽ intelligit rerũ diuinarum cui sunt perfamiliares actiones amoris) pauci (ni fallor) perueniunt in hac vita: neque enim si quis aliquãdo videtur hãc habere continuò credat sibi necesse est, maximè si nouitius est, nec per præfatos ascẽdit gradus (intelligit sapientiæ, humilitatis cæterarúmq; virtutũ) Pius enim Domi-

Serm. 3. de circumc.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus, puſillos corde blanditiis talibus ſolet allicere: ſed nouerint qui huiuſmodi ſunt, gratiam hãc præſtitam ſibi eſſe, non datam, longéque aliter perfectos, & qui exercitatos habent ſenſus, huiuſce amoris fœlici frui iucunditate. Ex dictis habetur tam improbis quàm probis, iiſque ipſis ſeu ingrediãtur virtutis ſtadium, ſeu decurrant, ſeu denique ad eius calcem peruenerint, crebris hiſce ad Deum aſpirationibus conſueſcendum.

CAPVT II.

Negotioſis hominibus frequentandas orationes iaculatorias.

ERROR eſt quo quidem tenetur nõ imperita ſolùm multitudo, verùm etiam ij qui ſe ſapientes haberi volunt, orãdi ſtudiũ, ſeſeq; ſtatis horis colligẽdi tantùm eſſe otioſorum, neque ad eos pertinere, qui negotijs aut publicis aut priuatis vitã exigunt. Verùm longè alius fuit ſenſus verè ſapientũ, eorúmque qui ſe mallent eſſe tales quàm videri. Ac primum quidẽ ita de ea re Gregorius. Actionis feruor tunc rectè diſponitur, cùm ſic inſiſtimus operi; vt tranquillo corde eum, cui opera noſtra conſecrare nitimur videamus (quod quidem prẹſtat oratio, quẹ Deum nobis præſentem exhibet.) Quid eſt namque

in 1. lib. Regum ante finem.

nimie-

nimietas ſollicitudinis, niſi confuſio ſupremæ intentionis? (Id eſt, attẽtionis) quia dum ſe erga plurima diuidit, diuiſa iam ad ſupremorum intuitum non aſſurgit. Illud enim æternum & ſimplex bonum æternæ viſionis, anima quia vix vnita comprehendit; ſe nimirum ad id diuiſa non erigit.]

Sentit itaque Gregorius intermiſcendam negotijs orationem; quamq; id ſit arduum, mente nimirum in diuerſas diſtractâ partes, & quaſi diuulsâ, explicat: cui ſubſcribit Bernardus. Signum eſt inquit, feruoris & deuotionis, actiuos contemplationem capere, & inter ipſos labores vitæ actiuæ orationis ſpatium quæritare, & aliquod tempus ſibi-ipſis concedendum ſuffurari.] Sermone 3. de aſſumption.

Nec ab his diſſentit S. Laurentius Iuſtinianus, Sanctis (inquit) cogitationibus occupãda mens eſt cùm corporale ſit opus, vt pariter cordis & corporis gratiam altiſſimo offeratur holocauſtum.] de diſc. monaſt. c. 22.

Vtinam grauiſſima horum auctoritate permouerentur non modò religioſi; ſed & Principes viri tum ſacri, tum prophani & qui his accedunt proximè, prætores, ciuitatum moderatores, belli duces, præſides, magiſtratus, conſiliarij, cauſidici, inſtitores, cæteriq́ue omnes, quorum vita omnis actione continetur, quæ ne ſit inanis & ſine fructu, atque adeò ne maximis pateat damnis, infi-

infinitisq; subiecta peccatis edat mortis fructus; eam ipsam oportet orationis præsidio communitam.

Quotidie itaque statutis horis ad Deum aspira, quisquis in negotio vitam agis, mentemque continenti actionis labore fessam, cum Deo sermocinando recrea nonnihil: eas ipsas actiones quas obis, ad examen reuoca, easque iustâ appende staterâ, obserua num leuiores sint; Si quid desit, adijce: charitatis igni oleũ addito ne extinguatur, mentisque vires vt sint labori continuando aptiores, instaura, instauratas conserua, conseruatas nouis accessionibus amplifica, totũ te tuosque labores vniuersos, Deo optimo maximo offer, diuinæque eius prouidentiæ vera cum resignatione committas. Denique te mente ad Christum confer seruatorem: ab eoque non modo bene operãdi negotiáque ex animi sententia perficiendi peritissimo, verùm etiam liberalissimo virium spiritualium largitori, cùm studiose agere disces, tum bene operandi facultatem consequeris.

Atque vt non desit, quem in hoc genere imiteris, aut si te tantam orationis præstantiam imitatione consequi diffidas, saltem vt quam accedas proximè enitaris: Subijciam
l.5. c.1. quod litteris consignauit Ribadineira de B. Ignatio Societatis Iesu Parente, primóque generali Præposito, viro sanè occupatissimo,

cui

cui & nascentis tum primum Societatis ab omni ferè hominum ordine in inuidiam vocatæ defensio, eiusdémque toto orbe ad extremos vsque Iaponas propagatæ, cura omnis incumbebat : is tamen in horas singulas (verba sunt historici) sese colligebat, & à reliquis animum ad Deum auocabat, cõscientiamque suam discutiebat diligentissimè. Quod si negotium intercederet grauius, vel occupatio aliqua tanta, quæ piæ consuetudini impedimentum adferret proxima hora vel certè primò quoque tempore interpositam morã compensabat: Non tamen externarum rerum, occupatione vsq; adeò distringebatur Ignatius, vt deuotionis illius cursus retardaretur: hæc Ribadineira. Et tu aliquãdo, si me audis, licet negotiorum mole obruto ne respirandi quidem spatium detur, neque necessaria vitæ officia obeundi, otij nonnihil sumes, & cogitatione saltem à cœtu hominum frequentiáque interdum, tamquam in portum, sic te in cordis solitudinem orandi causa recipies. Experieris eâ re profectò tum incredibilem animi voluptatem, tum in negotijs benè & ex animi sententia gerendis facilitatem tantam, eorumque tam optatum exitum, vt nihil ampliùs requiras.

CAPVT

CAPVT III.

Calamitosis ærumnosisq; crebrò ad Deum aspirandum, & quomodo?

EXPERIENTIA constat eum, qui calamitate ærumnâque aliquâ pressus, aut dolori succumbit, aut cum eo certat ne succumbat, ægrè admodũ sese diutiùs colligere longioriq; orationi insistere, quòd doloris sensus, qui est acerrimus, omnes ad se animi vires attentionémque auocet. Et quoniã vt præclarè ab Ambrosio dictum, Oratio est cibus mentis, præclaraque alimonia suauitatis quæ mèmbra non onerat, sed in ornamenta conuertit; sanè qui sese hoc cibo fraudat, eũ occidere atque extingui necesse est. Cùm igitur eo non liceat assiduè refici, partem sibi temporis succidat, quo vitali hoc alimento ne pereat vescatur interdum.

Citati ab Alex. Halensi 4. p. q. 26. mẽbro 1. art. 1.

Quonam autem orandi genere sese exerceat calamitosus, cuiq; afflictæ sunt res, non est difficile statuere. Sanctos enim Patres duces sequemur, qui quidem requirunt potissimum actus resignationis in manus Dei, quibus propriâ abiectâ voluntate totum se tradat, subijciátque diuinæ perficiendæ: ita vt eo volente, malit se ærumnosum & inopem, quàm eo (si ita quidem fas sit loqui) inuito

uito fœlicem rerumque omnium copiâ affluentem; eoque solo se beatum existimet, quòd Deo in omnibus morem gerere possit, quantumcumque ardua grauiáque sint, quæ à se velit perfici & tolerari: Deo inquam, cui seruire regnare est: Deo cuius vel minimos obseruant nutus angelici Spiritus vt eis obsequantur, eoque ipso magno se affectos honore arbitrantur, quòd non alienum ducat à sua dignitate Diuinum numen, eos habere suæ voluntatis administros.

Quod ipsum & Psalmographus pro magno habuit cùm id præcipuas inter eorũ laudes recensuit. *Benedicite* (ita enim eos compellat) *Domino omnes angeli eius, potentes virtute qui facitis verbum illius ad audiendam vocem sermonum eius; Benedicite Domino omnes virtutes eius ministri eius, qui facitis voluntatẽ eius.* Omnino ingẽs & incomparabilis est thesaurus, diuinę voluntatis executio: nihilque illi conferendum, atque cætera omnia longè superat, tum dignitate, tum vtilitate, quamquam à cæteris virtutibus vincitur facilitate. Sed quod factitatum ab aliis videmus, non desperandum idipsum à nobis diuinâ ope adiutis perfici posse. Indicabo qui potissimùm in hoc genere præstiterunt cæteris, vt si non eos assequimur, sequamur vtique quantum quidem mortali fas est tam ardua consectari.

Psalm. 102. 20. 21.

Occurritque primùm Christus Dominus seruator, cuius in summis angustijs præsentique acerbissimæ mortis discrimine ea vox

Matth. 26. est. *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste, verumtamen non mea sed tua voluntas fiat.* Quæ verba (ait Ceruera Turrianus ex iuratorum testium relatione) Philippus II. Hispaniarum Rex potentissimus pientissimúsque (atque ob id æternâ dignus memoriâ) infinitè prope in grauissimis quos extremo vitæ tempore perpessus est doloribus repetebat. Quibus tantùm adipiscebatur virium, vt licet intolerabilibus teneretur cruciatibus, nũquam vel minimam animi impatientis perturbatíque significationem expresserit, quod idem alibi repetit in hæc verba.

l. 1. de felici excessu Philippi II. c. 13.

c. 9.

Legerat vnum vt antè sæpiùs ex Blosio Regius confessarius capitulum, in quo multa de resignatione sui integra & perfecta is tradit auctor proponítq; & inculcat Christi liberatoris nostri in horto verba, *Pater nõ mea voluntas sed tua fiat.* Ex quibus verbis Pius princeps tantam deuotionem hausit, vt eadem per hanc invaletudinem infinitis vicibus repetiuerit: adeò magna eius cum diuina voluntate conformitas fuit. Eum denique hæc ipsa verba in eius corde affectum generarunt, vt mori vellet ac desideraret. Atque non ita multo post hystoricus hæc subdit. Neque hoc considerationis intermiserim

rim hac in conformitate Regis & resignatione, cùm ei confessarius passionem Christi à S. Matthæo conscriptam ingeniculatus altáque voce prælegeret die transfigurationis Domini, eo tempore quo Chyrurgi ferro apostema aperiebant (quod quidem si cruciatum spectemus, non erat aliud quàm ab hac vita expediri aut exturbari) iussit Rex vt & ipse paululum subsisteret ad eadem illa superiùs allata verba: *Pater non mea voluntas sed tua fiat.*

Cum denique chyrurgi officium feciſſent, voluit vt Deo gratiæ agerentur. Exemplum profecto solamenti, alloquijque ac exercitij quale Religiosum nullum, nullum eremitam vsurpasse aut dedisse demonstrat Ioannes Gomesius regiæ cameræ medicus. Hæc hystoricus. Quæ quidem dum sese tam opportuna dat occasio laudandi pientissimi principis non fuerunt prætermittenda.

Verùm vt ad antiquiora redeamus, quid Iobum commemorem? qui quidem (vt loquitur Chrysostomus) non perditis bobus, non asinis, non camelis, non domo diruta, non filijs ruinâ obrutis potuit commoueri: sed neque tum cùm ex eius corpore vermium fons scaturiebat & putridacutis decidebat, & putridæ carnes saniem grauiter fœtentẽ efflabãt, & sartagine, & fornacibus, & omni flamma miserius, eum diaboli manus

Homil. 28. in 1. ad Cor.

consumebat, ferâ omni crudelius vndiq; eius corpus deuorans: sed omni adamante fortior inuictum tot tãtisque malis tenuit animum, prorupitq; in illa homine maiora verba. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factũ est, sit nomen Domini benedictũ.*] Oratio sanè vel beatis ipsis mẽtibus iure admiranda.

Iob. 1. 21.

Quid Dauidem recẽseam, cuius quãquam vita omnis varijs esset iisq; grauissimis quasi contexta calamitatibus, aliud tamen spirabat nihil, quàm vt in se, etiam cum salutis dispendio sanctissima sapientissimáque Dei voluntas vndequaque compleretur, in qua etiam perfectissimè acquiescebat & facillimè. Huiusce sanè rei (præter diuinum hoc oraculum, *Inuenĩ Dauid filium Iesse virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.*) Locupletes testes sunt ab eo editi Psalmi, quos perlegenti hæc occurrent. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Item, quoniam ego in flagella paratus sum. Et paratus sum, & non sum turbatus. Alias. Ego autem in te speraui Domine, dixi Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ. Vita inquam mea & mors rerumque mearũ omnium cursus, in tua sunt potestate, & à tua voluntate dependent, à qua me etiam dependere, & volo & gaudeo, vt qui probè intelligam te res meas curare, meque à te diligi, nihilque mihi obuenturum quin id è re mea

Actor. 13. 22.
Psalm. 107. 2.
Psalm. 37. 18.
Psalm. 118. 60.
Psalm. 30. 16.

mea rectissimæque voluntatis tuæ præscripto, cui lubens me quidem meaque omnia subijcio, futurum sit.

Sed oscitantiæ meritò arguendus sim, si præclarũ eius in hoc genere factum dictumque præteream: Cùm enim ad necem, illum Saül rex persequeretur nihilque ad id relinqueret intentatum, obtulit se ipse Regi, (quem quidem paulò antè altùm stertentem & incautum perimere potuerat) cumq; sese illi animus stitisset, blandissimis hisce eum compellauit verbis. *Quam ob causam Dominus meus persequitur seruum suum? quid feci? aut quod est malum in manu mea? nunc ergo audi oro Domine mi rex verba serui tui. Si Dominus incitat te aduersum me odoretur sacrificiũ.* O diuinum plane virum! ô admirandam mortalique superiorem orationem! quâ quidem nec mors vel impiè innocentique, vel ab infensissimo sanguinisque sui auidissimo infligenda, si modò sit id ex Dei voluntate arbitrioque, recusatur: ea est enim eorum verborum sententia: si ex Dei sensu iussúque est ea mors, quam mihi moliris ô Rex, Odoretur sacrificium; id est, præsto sum vt interimar periréque paratus, & tamquam hostia pro peccato, Deo meo immolari, quam ita gratam accidere peruelim, vt odor sacrificiorum, quæ solemni ritu cæremoniáque Deo statis temporibus adolentur. 1. Reg. 26. 17.

3. Mach. 3. 60. Atque huc referẽda Machabæi ducis vox, generosi certè pectoris argumentum, qui cùm à bellicosissimis nationibus, sibiq; aduersissimis vndique circumcingeretur, belliq́ue quo non de re familiari tantùm, vxoribus aut liberis ageretur anceps esset alea: in has nihilominus cùm suos animaret ad Prælium, prorupit voces. *Accingimini & estote filij potentes, & esto parati in mane, quoniam melius est nos mori in bello quàm videre mala gentis nostræ, & sanctorum. sicut autem fuerit voluntas in cœlo sic fiat.* Magnum profectò est, & arduum in re tam ambigua periculosaq́ue, & in qua summa rerum in discrimen adducebatur, diuinæ sese voluntati præstare obsequentem.

Neque verò posteriora sæcula minus his prioribus, earum virtutum exstitere feracia. Act. 9. Testis S. Paulus qui cùm iter faciens Damascum versus, repentè insolito lumine circumdatus esset, ac inuisibili manu magnáq; vi de equo in humum deiectus, cumq́ue Christo inclamanti, Saule, Saule quid me persequeris; scisciatus ab eo esset, cuiusnam esset ea vox, audisséque esse Christi quem persequeretur, illicò ipse summa animi prõptitudine treménsque ac stupens, tum luminis & casus in terram, tum vocis nouitate Domine (inquit) quid me vis facere? Digna sanè tali tantóque Apostolo vox, qua se vix spirantem & seminecem, totq́ue prodigijs ferè

ferè exanimatum & tantùm non mortuum ad grauiora perpetienda, ad omnia denique, quæ Deo visa fuerint vel agenda vel toleranda liberaliter inauditáque animi præstantia exhibebat.

Neque enim (vt optimè de se ipse testatur) quidquam verebatur eorũ, quæ ab alijs metuuntur, non vincula, non tribulationes, nec faciebat animam suam, id est, vitam corporis pretiosiorem quàm se, id est, quàm vitam animæ: Adde nec pretiosiorem, quàm diuinæ voluntati parere in omnibus dummodo consummaret cursum suum (ita enim loquitur) & ministerium quod acceperat à Domino Iesu, testificari euangelium gratiæ Dei: id est dummodo diuinæ voluntati famularetur: ea enim sola quidquid illi à Deo mandatum erat cõtineri vel argumento est, quod Ananias Dei mandata ad eum perferens. *Deus* (inquit) *Patrum nostrorum Saule frater præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius.* Quod de notitia, quæ ad actionem refertur multò magis esse intelligendum, quàm de illa quæ sola cogitatione perficitur, nemini dubium esse potest.

Actor. 20.24.

Actor. 22.19.

Atque horum quidem exemplorum plena est sacra ecclesiæ historia, nihilq; frequentiùs occurrit, quàm celso animo præditi heroës, qui suam diuinæ voluntati post habentes, extrema quæquæ incredibili animi ma-

gnitudine sunt perpessi, vt sese illi in omnibus conformes obsequentésque præstarent.

Verùm ad hanc virtutem, orationésque eiaculatorias, quæ inde ducuntur, calamitosi aliam præterea adijciant superioris gradus necesse est: ea est gratiarum actio etiã rebus aduersis, etiam vento reflante, nauique trãsuersum actâ, etiam in medijs ignibus dolorúmq; facibus vndequaque admotis. Sed de tota ea re B. Chrysostomum splendidissimè differentem audiamus. Gratias agere conuenit, non diuites modò, sed & paupertate oppressos; non sanos, sed & ægrotantes; nõ eos quibus prospera omnia, sed & eos quibus aduersa contingunt. Deo enim tum gratias agere, cum secundo cursu res feruntur, nihil mirum fuerit: At verò cùm ingenti subortâ tempestate iactatáque vndiq; nauis periculum incurrerit, tum demum magna existit patientiæ æquanimitatisque probatio.]

Hom. 2. in epist. ad Rom.

Atque eandem rem alibi non minore eloquentiæ vi commendat. Pro omnibus quæ accidunt opórtet (inquit) gratias agere, hoc enim est reuera gratiarum actio: sin autẽ cùm sis beneficijs affectus, opulentúsque & locuples, resque tuas bene geras, & omnia tibi prosperè succedant, agas gratias, non est magnum, nec admirandum. quod quæritur autem est, vt gratias agat, qui est in afflictionibus: pro ipsa gehenna oportet Deo gratias agere,

Hom. 19. in epist. ad Ephes.

agere, pro pœnis & supplicijs quæ sunt illic; ea enim res valde iuuat eos, qui animaduertunt. Pro freno, metus gehennæ imponatur cordibus nostris.]

Addit non ita multò pòst, cùm paupertate, cùm morbis premimur, cùm nobis insultabitur maledictis & calumnijs: tunc intendamus gratiarum actionem, non verbis, neque linguis, sed rebus & factis, & cogitatione & corde.]

Acceperat credo præcepta hæc Chrysostomus à D. Paulo, qui quidem epistola ad Thessalonicenses scripta, eos commonefacit vt qualibet occasione casuque, in Deum sint grati, *in omnibus* (inquit) *gratias agite*. Et aliàs: *semper gaudete*. quasi dicat, Seu bonis rebus seu aduersis (cui autem euentus aliquis gaudium parit, ei verò procliue est eius auctori gratias agere, quocirca harum actionum alia ferè aliam sequitur) nec absimile est quod Hebræis dispersis toto orbe scribit S. Petrus in hæc verba. *Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.*

1. Ad Thess. 5. 18.

1. Petr. 4. 13.

Neque verò fuere contenti hęc vitæ bene gerendæ præcepta dedisse, ea ipsa primi tenuerũt beatissimi hi Apostoli. De se enim ita ipse B. Paulus. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est ecclesia.* Aliàs

Ad coll. 1. 24.

de se sui que similibus. *Gloriamur in tribulationibus scientes quòd tribulatio patientiam operatur.* Rom. 6. 3. De Apostolis autē generatim ita Sacra Scriptura. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu, contumeliam pati.* Actor. 5. 41. Quod hîc quæso hominū genus an portentum dixerim? quæ vis animi? quæ fortitudo? gaudere vnde mœrent cæteri cōsectari auidissimè quod velis remisque fugit natura vniuersa doloris omnis impatientissima? cuius sanè acerrimis morsibus vel fortissimus quisque cædit.

Verùm (vt loquitur Bernard.) multùm sibi instillauerant de pinguedine Spiritus quorū leuitas non dico verbis, sed nec verberibus cessit. Erant enim diuites in charitate, quæ nullis exhauritur expēsis, & de ipsa facilè holocausta medullata offerre sufficiebant. Fundebant passim sudantia pectora liquorem Sanctū, quo imbuta pleniùs fuerant, quando loquebantur variis linguis magnalia Dei, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.]

Hactenus ex Bernardo, qui hæc gaudia gratiarúmque actiones in medijs calamitatibus contumeliisque, non sacrificia tantùm, sed & holocausta (præstantissimum oblationis genus) eáque ipsa medullata vocat, id est medullis pinguia & adipe plena, tanquam si dicat, Deo longè acceptissima.

Neque verò sunt infrequētiora huiusmodi

di holocausta, sacros annales, sanctorúmque facta perlegēti, quàm Deo grata. De S. Francisco ita Bonauentura. Cùm duris corporis angeretur doloribus, illas suas angustias non pœnarũ censebat nomine, sed sororũ: & licet totus esset attritus prolixitate languoris, cùm vix in eo membrũ remansisset absq; ingenti passionis dolore, & cósumptis iam carnibus, quasi sola cutis iam ossibus cohæreret, proijciens se in terrã, ossa debilia duro casu collisit, & deosculans humũ: gratias (inquit) tibi ago Domine Deus, de omnibus his doloribus meis. Téque mi Domine rogo, vt centuplum, si tibi placuerit, addas, quia hoc erit mihi acceptissimum, vt affligens me dolore non parcas, cum tuæ sanctæ voluntatis adimpletio, sit mihi superplena consolatio.] cap. 14.

O holocaustum non medullatum modò, sed & supermedullatum! ô orationem non mortalis hominis, sed Seraphini cuiuspiam è cælo delapsi! Et sanè Seraphim erat hic cælestis vir, ardore charitatis, feruore pietatis, ignéq; deuotionis: lampades eius lampades ignis, atque flammarum: aquæ multæ eius nõ potuerunt extinguere charitatem, nec illam flumina obruere: Neque cuiquã mirandum quod supermedullatum dixerim huiusmodi holocaustum, si enim simplex solitariáque in doloribus gratiarũ actio, holocausti medullati digna est nomine quæ tandem nomen cla- Cant. 8. 6.

clatura par inueniatur eius meritis, qui nouorum etiam acceſſione dolorũ, ſuperiores, augeri maiore animi contentione poſtulet, quàm quiſpiã à ſuis priſtinis liberari? Neque verò inferioris virtutis fuit S. Iobus. Quamquàm primis illis temporibus, quibus & erat obſcura Dei notitia, & heroicarum exercitia virtutum, multò rariora. *Quis det* (inquit) *vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus? & qui cœpit, ipſe me conterat, ſoluat manum ſuam & ſuccidat me? & hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore non parcat, nec contradicam ſermonibus ſancti.*

Iob, 6. 8.

Quid ais ô Iob. Querebaris modò quia ſagittæ Domini in te ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum tuũ, & terrores Domini militant cõtra te: iam verò poſtulas priſtinos ſuperuenientium acceſſione dolorũ cumulari? quid hoc rei eſt? Sed alterũ facit quâ mortalis eſt, ſenſuque præditus, alterũ quâ immortalis, rationiſq; vi pollẽs. Prior eſt vox hominis, poſterior nõ hominis, ſed homine maioris. Et ſanè humanitatẽ ferè omnem, atque ſui innatam cuiq; dilectionem exuat neceſſe eſt, diuinioremq; naturã induat, quiſquis Dei ope omni doloris ſenſu (cui quidem eſt natura aduerſiſſima) poſt habito ad tam ardua tamque humanis viribus ſuperiora nititur.

In eius vita.

Pium Pontificem maximum eo nomine quintum tradunt, in acutiſſimis renum calculi-

culiq́ue doloribus illud Augustini vsurpare solitum. Domine adauge dolorem, adauge pariter & patientiam; Addatur labor, addantur & vires ferendo. Crescant supplicia, crescat & animi magnitudo ne succumbat. De B. autē Petro Fabro ita nobilis historicus (vt ad simplicem nudámque gratiarum rebus contrarijs actionem redeat sermo) quidquid vmquam accideret mente emicabat in cælum gratiásque agebat suo aliorúmq; nomine, etiam pro publicis diuinæ iræ flagellis, dolebatque vehementer, quòd ea homines in beneficijs non numerarent.] P. Orlandinus in hist. societ.

Rorea omnino ea virtus (vt quis cæteros sua gratiâ ingratitudine soluat) vixque à sanctissimis licet viris culta, quod quidem litteris sit consignatum.

Sed vtinam quàm facilis est horum exemplorum commemoratio, tam esset imitatio. Plures teneret tum Dei Ecclesia, tum sacri religiosorum cœtus ab hac virtute instructos & locupletes: sed proh dolor, quia magno ad eam nisu, magnáque animi contentione est opus, nulla maior quàm ab ea inopia; quamplurimis hac virtute ne de nomine quidem nota: qui autem illi volet assuescere, habet quibus vtatur orationes eiaculatorias: Sanctorum Iobi, Pauli, Augustini, Francisci & aliorum dum ex thesauro plurium copia suppeditetur.

CA-

CAPVT IV.

Quomodo ægris corpore maximeq; quibus salus est desperata, ad Deum aspirandum. Ac primùm de contritione & fide.

QVÆ superiore capite sunt disputata, de resignatione gratiarúmque actione ea ægris cumprimis vsurpanda: cùm enim grauissima sit omnium calamitas salute destitui, nihilque ex humanis bonis incolumitate sit præstantius, sanè hoc etiam difficilior est resignatio, quo difficilius est non perpeti tantùm, sed etiam lubenti animo tanti tolerare boni dispendium, ad parendum dumtaxat diuinæ voluntati, quando omnino humani nihil in ęgritudine sit expetendum, nihil desiderabile. Et quemadmodum, vt præclarè sapiens, nō est census super censu salutis corporis, & verè dictum (ab antiquo licet veteratore mendácijq; auctore) pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua: sic non est iactura, non damnum, super iactura damnóque salutis corporis. Excelsi igitur est animi planéq; regalis, illud ipsum ęquo animo perferre vnius intuitu diuinę volũtatis. Cuius sanctissima iustissimáque consilia reuereri, amplecti, suáque eis vniuersa com-

Eccles. 30.16.

Iob 2.5.

commoda votáque post habere debet. Aspirabit itaque frequenter ad Deum ijs precatiunculis, quæ hæc & efficiant & testentur.

Cuius quidem moniti auctorem profero D. Bonauenturam, qui multis laudatà mentali oratione: At maior (inquit) in ea est labor capiti & corpori: ideo non potest ita frequés esse vel durabilis maximè debilibus corpore, & aliqui indiscretè eam frequentantes destructi sunt, vnde tales sæpè & breuiter sic orent & leuiter, vt ex frequentia à Dei familiaritate non elongentur, & ex breuitate & leuitate non destruantur.

Quibus autem ægris, morbi peruicacitas mortem præsagit, recuperándæque salutis spem adimit: illis ipsis, arbitror, quæ à quatuor hisce virtutibus petuntur orationes eiaculatorias maximè esse accommodatas: contritione, deinde fide, tum spe, ad extremum charitate. Et quoniam ægritudine viq; morbi, sensus omnes consopiuntur, memoria torpet, mens & ratio ita hebescit, vt ægro vix per se Dei liceat meminisse; operæ pretium fuerit si bi in id tempus bonum aliquem monitorem prouidisse, qui & Dei memoriam refricet identidem, quemque orando & ad Deum aspirando præeuntem sequamur.

Et sanè si vmquam alias Pastorum cæterorúmque qui mortalium curandæ saluti incumbunt, desideratur cùm zelus tum industria

dustria & opera: ea faciant vt hoc potissimùm extremo tempore eluceſcant, quando hominibus ex hac vita migrantibus, ſubdolus ille ſerpens, ac iam inde vſque ab initio, humanæ naturæ hoſtis infenſiſſimus nō modò inſidias ſtruit; verùm etiam frendentis inſtar efferatique leonis, ſummâ rabie animique ſagacitate incredibili, omnia circuit, quærens extremo illo tempore (quod illi oppugnandis Dei ſeruis relinquitur) quem deuoret, æternæque morti addicat.

1. Petri 5. 8.

Quibus itaque aliorum ſalus eſt cordi, quique in hominibus non tam homines ſpectāt quàm ipſummet Deum, cuius ſunt imago, quemque perfectiſſimè exprimunt: ij quidem hoc potiſſimùm temporis extremo articulo, qui mortalibus cùm ad negotia æternæ ſalutis curanda peragendaque, tũ ad ſeſe inferni ſupplicijs liberandos vnicus ſupereſt, ſummo ſtudio cōniti debent, ne à fine illo beatitudinis, ad quem cōditi ſunt & redempti, æternùm excidant. Quocirca quod ægro faciendum eſſe monebo, hoc ipſum ſacerdos ſibi intelligat ægro ſuggerendum.

Et quidem contritioni, quæ primo loco propoſita erat exprimendæ, viribus omnibus ægro enitendum, quandoquidem adultus peccati maculâ inquinatus, niſi eius ope aut ſaltem attritionis (quæ imperfecta eſt & quaſi inchoata contritio vnà cum pœnitentiæ

tiæ Sacramento) non valeat pristino nitori restitui. Quibus autē ea rationibus efficiatur non est nostri instituti disserere, qui tantùm iaculatorias orationes, quæ eā aut inchoent, aut perficiant, aut significent inesse in animo, persequimur. Cuius generis sunt hæ & similes, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18. *Domine propitiare peccato meo, multum est enim.* Psal. 24. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Psal. 50. O Pater amantissime, ô vtinam te numquā offendissem! O bonitas infinita, cur te peccatis meis irritaui, & ad amaritudinē concitaui? O Iesu Christe, qui caritate perpetuâ dilexisti me, qui me in manibus tuis scripsisti, non atramēto sed sanguine, pœnitet me ingratitudinis meæ: pudet & piget vitæ turpis, impię, obscęnę, flagitiosæ, scelerate, facinorosæ. Absit vt deinceps ijsdem me fœdem & deturpē maculis; emori paratior quàm peccato cedere, vita decedere quā voluptati obsequi: hæc mihi stat sententia, à qua, Dei prędisidio fretus, nihil dimouebit, nō secundæ res, non aduersæ; non metus, non cupiditas; non amor, non odium; non voluptas, non dolor; non mortales, non immortales; non cælum, non terra, nulla denique creatura me diuellet à charitate tua, ô mi Pater amantissime. Osee 14. 1. Isa. 49. 16.

Hispaniarū quidē Rex Philippus II. multus erat in hac contritione toto inualetudinis suæ tempore frequētanda, precationibúsque Lib. 2. de obitu eius cap. 11.

eiaculatorijs ad eandem accõmodatis. Narrat Ceruera Turrianus ſolitum fuiſſe eo prę-eunte qui ei erat à confeſſionibus, ſæpiùs iterare piam illã pientiſſimi Boſij precationem ex Cimiliarcho eius precationum depromptã, quæ tota in hoc genere verſatur, & ad exprimendum ferreo etiam pectori dolorem criminum, eſt aptiſſima: Ferdinandus Gonzaga Sacri Romani Princeps Imperij, Marchioq; Caſtilionienſis Beati Aloyſij Soc. Ieſu parens, cùm articulari morbo, quo & mortalitatem exuit, grauiter laboraret, corã Chriſti cruci ſuffixi ſimulachro quotidie veſperi ſeptem Pſalmos, quiad pœnitẽtiam pertinent, & litanias recitabat, interq; orandum tantâ vi lacrymabatur, tanto cum ſingultu atque gemitu, vt ardoris pœnitendi quo eius animus ſuccendebatur non obſcuram ſignificationem daret. Pſalmorum autem finitâ recitatione, crucifixi ſignum complexus, & pectus tundens identidem cum lacrymis has eiaculabatur ad Deum preces. Miſerere Domine, Domine peccaui, miſerere mei.

Incipit Eheu dulcis Ieſu.

l. 2. vitæ B. Aloyſij.

Atque vt omnibus ſit perſpectum, quanti interſit illo maximè extremo vitæ puncto, pijs aliorum precibus adiuuari; ſubdam quæ idem hiſtoricus in hanc ſententiam. Miratus verò Marchio inſolentem hanc ſuam flendi promptitudinem: tandem non ignoro (inquit,) vnde hæ lacrymæ, fluant: ſunt hi Aloyſij

ysij fructus (iam hic 3. ferè mensem versabatur Romæ in Tirocinio Soc. Iesu) Aloysius à Deo optimo maximo, vt hoc salutari dolore cor mihi suffigeret, impetrauit.

Altera erat virtus fidei, quam iteratis orationibus iaculatorijs colendam ægro omnes suadent. Et quoniam non pauci existunt doctrinæ capitúmq; fidei adeò rudes, vt eorum, quæ expresse explicitéque sunt credenda, vix vllam habeant notitiam, sacerdotis erunt partes eos docere illa, quorum distincta singulariſq; cognitio saluti necessaria est, curaréque vt illa ipsa adhibeant precationibus iaculatoriis formādis. Polancus noster optimâ facillimáque methodo tradit totius huiusce rei vsum & praxim; dum præscribit, vt quæ ad fidem pertinent, pronuntientur ab ægro, aliàs formulâ commendationis, aliàs obsecrationis, aliàs gratiarum actionis. cap. 5. methodi adiuuandi eos qui moriũtur.

Ac primi quidem hoc esto Paradigma: Commēdo me tibi, Sanctissima Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, qui in vnitate substantiæ vnus & verus es Deus. Commendo me tibi, Pater omnipotēs, qui meipsum, imò cælum & terram visibiliaq; omnia & inuisibilia solo verbo condidisti. Ita consequenter ei pergendum ad cætera fidei capita, tam ea quæ filium, quàm quæ Spiritum Sanctum, reliquaque fidei obiecta spectant, eorum singulis præfigendo hæc verba; Commendo

me. quæ reliquę ſunt formulæ duæ, eas facilè huius imitatione erit conſequi.

Huc pertinet externa & vocalis fidei profeſſio, quâ aut neglectâ aut omiſsâ non decet hominem Catholicum vitâ defungi: & quia paulò eſt longior, poterit (ſi ægri vires aliud nō permittant) fieri per partes & interruptò, vt ſit inſtar precationū iaculatoriarum, quas vt etiam interdiu ſubinde renouet æger, plurimum conducit. ea profeſſio peti poteſt ex Bloſio. ex quo depromptam Philippus Hiſpaniarum Monarcha ſub mortem pronuntiauit. Neque enim aliter (ait narratio obitus eius) ſibi ſatisfeciſſe obligationi ſuæ pius Princeps tanquam tam Catholici & religioſi Principis viſus eſt, niſi priuſquam excederet, profeſſionem noſtræ ſanctæ fidei Catholicæ magna cum ſolemnitate perfeciſſet: ceteriſque virtutibus, quæ per hos extremos dies in eo maximè claruerunt, earum omnium veluti culmen & faſtigium imponens, ſolemni publicáque cōfeſſione proteſtaretur, ſe mori in obedientia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ſummi Pontificis, Epiſcoporumque ac ſacerdotum miniſtrorumque eiuſdem Eccleſiæ. Hæc quidem ille.

l. 2. Enchiridij c. 2.

Neque verò his contentus erit infirmus (potiſſimùm ſi vt à fide deficiat, aut de ea dubitet ſollicitetur ab hoſte) verùm identidem etiam adſpirabit ad Deum his & ſimilibus formulis.

formulis. Eloquia tua, ô Domine, eloquia ca- Psal. 18.
sta (id est ab omni falsitate & mendacio pura)
argẽtum igne examinatum, probatum terræ,
purgatum septuplum. Tu solus es verax, ô Rom 3.
Domine, & respicere ad iniquitatem non 4.
poteris: omnis homo mendax, & diminutæ Ps. 11. 12
sunt veritates à filijs hominum, vana loquũ-
tur, labia que eorum dolosa. In æternum ô Ps. 118.
Domine permanet Verbum tuum, cælum &
terra transibunt, verba autem tua non transi-
bunt. Nituntur autem huiusmodi preca-
tiunculæ hac veritate, quòd quæ à nobis fide
Catholica diuinaque, quæ eximium est Dei
donum, creduntur, diuina sunt oracula ab
ipso Deo profecta, quibus tam est impossi-
bile eũ mentiri, aut eius verbis subesse falsita- Hebr. 6.
tem; quàm fieri non potest vt seipsum neget, 18.
aut vt non sit is qui est: quæ manifestam re- 2. Ti-
pugnantiam, & contradictionem continent. moth. 2.
His absimiles non sunt quæ sequuntur, quibus 13.
etiam vitadi tædij causa vtetur infirmus.

Absit vt me vnquam patiar transferri ab Gal. 1.
eo, qui me vocauit in gratiam Christi in aliud 16.
Euangelium: quod nõ est aliud, nisi sunt ali-
qui (dæmones) qui me conturbant, & vo-
lunt conuertere Euangelium Christi. Sed li-
cet Angelus de cælo euangelizet mihi præ-
terquam id quod euangelizatum est, ana-
thema sit. Iterum dico: Si quis mihi euan-
gelizet præter id quod accepi, anathema

sit. Vade post me Satana, quod enim mihi euangelizatum est non est secundùm hominem, neque ab homine acceptũ, sed per reuelationem Iesu Christi: prophetico sermo-

2. Petri 1. 19. nefirmius nihil, cui benefacis ô anima mea attendens tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco donec tibi dies illucescat & Lucifer oriatur.

An nescis quia omnis prophetia scipturæ,

Ibidem vers. 21. propriâ interpretatione non fit. An te fugit quod non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspi-

Rom. 8. 35. rati locuti sunt sancti Dei homines. Nihil omnino, nihil me separabit à fide Christi, nõ tribulatio, non angustia, non fames, non nuditas, non periculum, nõ persecutio, nõ gladius, non quidquid malorum in vitam incurrere potest. In fide progenitorum, auitáque mori certum est, nec latum quidem vnguem discedere ab iis quæ mihi credẽda pro-

1. Ad Thess. 2. 13. posuisti Deus meus, duce & doctore Vicario tuo Pontifice summo, cuius placitis immori volo, quæ sanè à me non accipienda vt verbum hominis, sed sicut sunt verè verbũ Dei.

Quid dubitas, ô anima mea, certo certius iis credere quæ tibi ab Ecclesia sunt tradita?

1. Tim. 3. 15. Ecclesia inquam Dei viui, columnâ & firmamento veritatis? cui adest Christus Dominus omnibus diebus, vsque ad cõsummationem sæculi? cui quę à Patre audiuit, nota fecit omnia,

nia, qui rogauit Patrem vt ei alium daret paracletum, quacum maneret in æternum spiritum veritatis? quem & impetrauit misitque decimo post ascensionem suam die specie ignitarum linguarum, quando repleti sunt Apostoli (ecclesiæ Principes) Spiritu Sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Ioan. 14. 16. Act. 2. 4.

Quàm es secura de fide tua, ô anima mea, quando non hominibus, quâ homines sunt, innititur fides tua; sed diuinę auctoritati, quã falli tam est impossibile quàm Deum nõ esse Deum, etenim si fallit, si mẽtitur, si dolo agit, Deus non est. Testimonia tua ô Domine credibilia facta sunt nimis: quæ enim, de te rebusque tuis ad nos per Apostolos delata voluisti, tot à te confirmata sunt signis, tot portentis prodigiisque stabilita, vt nemo nisi temerarius possit iis posteaquam legitimè audierit promulgata fidem negare: Verè dicam cum Richardo de Sancto Victore, Domine si error est quod credo, à te sum deceptus: ista enim in nobis ijs signis & prodigiis confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt. Sed quoniam quàm longissimè à te abest dolus omnis, impossibile est me à te deceptum. Credo itaque, adiuua tu incredulitatem meam, & ita credo, vt fidei propagandæ causa, paratus sim tecum in mortem & in crucem ire. Psal. 92. lib. 1. de trinit. cap. 2.

CAPVT V.

De aspirationibus à spe & caritate.

TErtium erat propositum, vt in actionibus spei desiderijque beatitudinis & gaudij, ea cogitata (hæc enim omnia ad idem reuoco) precationibusque iaculatoriis, quæ ea ipsa vel excitant vel promoueant, frequens esset æger: cumque primum & principale spei obiectum sit Deus, vt auctor beatitudinis, secundum verò sint media vniuersa, quibus ad eam peruenitur: Necesse est sese in vtroque exerceat. Ad prius quidem hæ
Ps.121.1 spectant formulæ: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*: quem versiculum tradit P. Platus quemdam è nostra
l.1.c 31. de bono status religiosi. Societate, fugiente iam animâ, inflexâin cantum voce pronuntiasse, in eoque ipso expirasse. Scribit de alio quopiam eiusdem Ordinis, cui cùm denuntiatum esset instare discessum, quidquid habuit vocularum infirmæ ac penè consumptæ, id totum collegit ad recitandum hymnum *Te Deum laudamus*: quod & præstitum ab eo est maximâ cum lætitiæ significatione.

Eiusdem generis & illud, *Laudate Dominum*
Ps.148. *de cælis, laudate eum in excelsis*. In quas voces mediâ nocte erupit Gerardus D. Bernardi frater

frater penè animam agens, de quo hæc ipſe in Cantica: Accitus ſum ego (inquit) ad id miraculi, videre exultantem in morte hominẽ, inſultantem morti. Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? iam non eſt ſtimulus, ſed iubilus; iam cantando moritur homo, & moriendo cantat. Nimirum ei certa erat ſpes beatitudinis, nocteque adhuc mediâ dieſcebat, & illi nox ſicut dies illuminabatur. Hæc Bernardus. Serm. 26.

Adde & his ſequentes aſpirationes: Ah quando dabitur ibi eſſe, vbi abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum? vbi mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt? Quando dabitur ibi eſſe, quò non accedet malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo meo? O quando concinam labore omni perfunctus illud Regij Vatis? Tranſiuimus per ignem & aquam, & duxiſti nos in refrigerium? Quando experiar illud Prophetæ: Declinabo ſuper eos quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium. O cæleſtis Hieruſalem quàm melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia, ſed quando ſtabunt in hiſce atriis tuis pedes mei? Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Ex qua aſpirationem non mediocrem, ait Cer- Apoc. 21. 4. Pſal. 65. Iſaiæ 66. 12. Pſal. 83. Pſ. 122. l. 2. c. 9.

uera ægritudinis tempore; vt etiam ex toto Psalmo capiebat oblectationem inuictissimus omniqúe laude maior Rex Philippus quem etiam sæpiùs psalmum secum ipse commemorabat, subsistebátque nonnihil dum ad illa verba ventum erat, Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Atque eodem spectant illa D. Augustini.

Ad perennis vitæ fontem mens sitiuit arida
Claustra carnis præsto frangi clausa quærit anima
Gliscit, ambit, eluctatur, exul frui patriâ
Dum pressuris ac ærumnis se gemit obnoxiam,
Quam amisit cùm deliquit contemplatur gloriam
Præsens malum auget boni perditi memoriam.

Et quia non rarò euenit, vt vehementes molestasque ingerat dæmon desperandi cogitationes extremâ illâ vitæ periodo: eas quidem abiget infirmus cogitatione meliorum, breuibúsque aspirationibus modò ad Deum, modò ad Deiparam, & ad Diuos omnes, imprimisque ad angelum tutelarem. Singulorũ pauculas aliquot formulas subiungam licet rerum spiritalium peritis satis obuias: verùm

&

& rudioribus consulendum est, Deus itaque sic compellandus.

Saluum me fac Deus quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam, infixus sum in limo profundo & non est substantia; veni in altitudinem maris & tempestas demersit me. Exurge, quare obdormis Domine; exurge, & ne repellas in finem, quare faciem tuam auertis, obliuisceris inopiæ meæ & tribulationis meæ? quoniam humiliata est in puluere anima mea, conglutinatus est in terra venter meus. Exurge Domine, adiuua me & redime me propter nomen tuum. Psal. 68. Psal. 43. 24. 26.

Domine vim patior, responde pro me: cõfundantur omnes qui me presequuntur, & non confundar ego. Paueant illi & non paueam ego. Induc super eos diem afflictionis & duplici contritione contere eos Domine Deus meus. Isa. 38. 18. Iere. 17. 18.

Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius; sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Qui dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo eius, confundantur & reuereantur: tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea & exaltans caput meum, tu adiutor meus, tu protector meus, tu cornu salutis meæ, tu salus mea, tu illuminatio mea quem timebo? tu protector vitæ meæ à quo trepida- Psal. 37. Psal 3. 3. Psal. 17. 3.

Psal.26. 1. pidabo? qui tribulant me inimici, mei ipsi infirmati sunt & ceciderunt. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum; si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Sexcenta sunt eius generis in sacris Litteris, sed hæc pauca exempli causa adferre oportuit. B. autem Virgo mater sic fere appellanda:

Maria mater gratiæ:
Mater misericordiæ
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe:

Eia ergo aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte: & Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ, Amen.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.
Vitam præsta puram
Iter para tutum;
Vt videntes Iesum
Semper collætemur.

Iam verò Angeli custodis opera, hac oratione Ecclesiæ consuetâ imploranda erit: Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna hodie & semper

per illumina, custodi, rege & guberna, Amen.

Denique cælites, ijque maximè quos Patronos asciuerit æger, vocandi, vt adsint extremâ illâ luctâ, vteturque ad id solemnibus Ecclesię precibus, quas Litanias vocãt: quod & toto ægritudinis tempore factitandum est, tum ob incredibilem, qui inde colligitur, fructum, tum ob huiusce exercitij aspirationumque facilitatem: quæ quoniam exiguâ animi attentione perficiuntur, neque caput lædunt, horæ spatio, interruptè saltem, multoties Diuos licebit appellare.

Ad hæc non parum iuuat, si secum ipse sermocinetur æger, torpentique animo suo somnum excutiat, eumque diffidentiâ abiectum erigat spe meliorum, ad hunc fere modum: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus. Moriturus porrò S. Hilarion, ita secum ipse sermocinabatur: Egredere anima mea: quid times? tot annos seruiuisti Deo, & mortem times? At remisse, oscitanter, imperfectéque seruiuisti; quid tum? Imperfectum tuum vident oculi eius, & in libro ipsius scriberis. Homines & iumenta saluabit Dominus. Neque venit vocare iustos, sed peccatores. Psalm. 138. 15. Psal 35. 7. Matth. 9. 13.

Ita tibi quidē persuadeas oportet, licet eratorum

ratorum tuorum conſcientia anſam tibi det animi contrahendi, te tamen refici & recreari plurimùm decet, cùm animo reputas, te quamquam imperfectum, in libro tamen Dei ſcriptum eſſe, qui quod imperfectum eſt in te videt quidem: verùm non vt æternùm condemnet: ſed vt ſpiritus tuos comprimat, ne fortè inſoleſcas, maioráque bona ex ipſis etiam erroribus tuis eliciat.

Quid formidas? An igitur exiſtimas iniuſtum Deum, vt obliuiſcatur operis tui, & dilectionis, quam oſtendiſti in nomine ipſius? An ignoras promiſſionum vitæ æternæ plena eſſe omnia? Neſcis te immortalium bonorum non ſemel hæredem inſtitutum? Sed tenè latet Deum vt abundantiùs oſtenderet pollicitationis hæredibus, conſilij ſui immutabilitatem interpoſuiſſe iuſiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt eum mentiri, fortiſſimum haberes ſolatium? Tene igitur propoſitam ſpem, tene inquam ſicut anchoram tutam ac firmam & incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro te introiuit Ieſus ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum. Tene (tertium dico) & ſpera in Domino, & non confunderis in æternum. Si dubitas, reſpice nationes hominum & ſcito quia nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt. Quis enim permãſit in mandatis

Hebr. 6. 11.

Ibidem v. 17.

Pſal. 70. 1.

Eccl. 2. 11.

datis eius, & derelictus est? aut quis inuocauit eum & despexit illum? quoniam pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata, & protectio est omnibus exquirentibus se in veritate.

Alterum spei obiectum erant media illa, quæ ad æternam beatitudinem ducunt, quorum omnium facilè Princeps est condonatio delictorum. Cuius quidem firmam spem exsuscitabit æger ipse, tum verè maximè erit ad eam ipsam à sacerdote excitandus.

Et quoniam id egregiè præstitum accepimus à confessario Catholici Regis Philippi II. è suprema sua inualetudine, non erit abs re illud idem hîc ad communem omnium vsum attexere: Cùm is verba Regi faceret de filio prodigo, de paratilico sanato, de Maria Magdalena, exponeretque fauores quibus Christus liberator noster peccatores prosecutus esset, eum quoque memorabilem affirmauit, quod numquam priùs peccati meminerit, quàm veniæ & remissionis. Paralitico enim dixit Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, & Mariæ Magdalenæ. Remittuntur tibi peccata, atque alibi, remissa sunt ei peccata multa, forma quoque absolutionis, quam Apostolis dedit, hæc fuit. Quorum remiseritis peccata. Ita vt semper remissionis & veniæ priùs fecerit mentionem, quàm peccati. Idque ea de causa, ne nimiùm peccatores

l. 2. obitus c. 6.

catores turbarentur, si antè peccatum quàm veniam pronuntiasset.]

Obseruatio sanè tam acuta quàm vera, plenaque solatij. Ex qua ipsa tum cepit Rex maximam animo voluptatem, tum ingentem concepit spem diuinæ miserationis veniæque delictorum consequendæ: cui quidem spei excitandę vsui esse possunt sequentes etiam formulæ:

In orat. Manasse Regis. Gen. 4. 13. Ps 39.13 Rom 2. 4. Ps. 32.5. 1. ad Tim.13. Rom. 1. Rom.5. 9.

Peccaui Domine super numerum arenæ maris, & multiplicata sunt peccata mea nimis: sed maior non est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Multiplicatæ sunt iniquitates meæ super capillos capitis mei: sed ampliores diuitiæ sunt bonitatis & patientiæ & longanimitatis tuæ. Misericordia enim tua plena est terra, miserationesque tuæ super omnia opera tua. In te Domine sperabo, qui non venisti vocare iustos, sed peccatores, qui venisti in hunc mundum peccatores saluos facere, quorũ primus ego sum, blasphemus, contumeliosus, repletus omni iniquitate, fornicatione, auaritia, superbus, elatus: sed misericordiã à te consequi spero equidẽ, quia aut ignorans feci, aut humanâ fragilitate impulsus. Desperare sanè nequeo de tua infinita misericordia, ô bone Iesu, quoniam cùm adhuc peccator essem, pro me mortuus es, multo ergo magis iustificatus in sanguine tuo, saluus ero ab ira per teipsum.

Tu

Tu es spes mea Deus meus, & portio mea in terra viuentium. Nihil est quod timeam: Si Deus pro me, quis contra me? qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro me tradidit illum, quomodo nõ cum illo omnia mihi donauit? Quis accusabit aduersus electum Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro me. Rom. 8. 33.

Saluum me fac Domine secundùm eloquiũ tuum, & nõ confundas me ab expectatione mea. & quæ est expectatio mea, nonne Dominus? etiamsi me occideris in te sperabo: sint licet peccata mea sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur: rùbra sint quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Atque id quidem tuo sanguine, ô bone Iesu, qui emundat nos ab omni iniquitate & conscientias nostras ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti. Psal. 118 116. Psal. 38. 8. Iob 13. Isa. 1. 18. 1. Ioan. 17. Hebr. 9. 14.

Confide, ô anima mea, tibi remissa peccata teque pristinæ Dei amicitiæ, à qua peccando excideras restitutum tandem existima. At omnia in futurum seruantur incerta; Quis scit an amore, an odio dignus sit? Eccl. 9. 1.

Verùm id satis superque tenes, quantúmque mortali quidem fas est scire: An non tibi multiplicia, suppetunt eaque cla-

ra diuinæ gratiæ argumenta? dolor peccatorum, lacrymis irrigatus? iterata toties Sacramentaria confessio? firmum vitæ melioris propositum? inimicorum dilectio? imò verò inimicitiæ omnis abolitio, tot eleëmosynæ, ceteræque Christianæ pietatis exercitationes. Hæc omnia aliaque complura, eam tibi salutis tuæ pariunt scientiam quâ maiorem in hac quidem vita, non debes expetere, quaque immoderatè angi & torqueri prohiberis.

Ceterùm totum te diuinæ committe prouidentiæ. Vt de te id statuat, quod sibi fuerit visum. Id vnum desidera, vt quidquid de te agat, quocumque sis loco, quocumque statu, semper eius sis & permaneas. Huc pertinent aspiratoriæ petitiones (est enim petitio actio mentis à spe profecta) quibus eadem peccatorum condonatio à Deo exoratur. Huius generis sunt quæ sequuntur. Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine, sed secundùm magnam misericordiam tuam memor esto mei in gloria claritatis tuæ. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Psal. 24.

Vide ordinē commendationis animæ in Rituali.

Renoua in me pijssime Pater quidquid terrenâ fragilitate corruptum, vel quidquid diabolicâ fraude violatum est.

Ibidem.

O bo-

O bone Iesu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Iesu recognosce quod tuum est, & absterge quod alienum est. O dulcis Iesu, qui factus es nobis à Deo iustitia & sanctificatio & redemptio, iustifica me, sanctifica me, redime me ex omnibus iniquitatibus meis. O agne Dei, qui tollis peccata mundi miserere mei, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. atque hæc de spe. Ex oratione S. Bernar. 1. Cor. 1. 30. Ps. 129. Ioan. 1.

Cùm autem sit charitas cæterarum virtutum omnium finis, caput & perfectio, interque omnes principem teneat locum, nihil sanè priùs antiquiúsve ægroto esse oportet, quàm vt sese in ea breuiter quidem at frequentissimè ad Deum aspirando exerceat. Quæ enim aptior homini Christiano ad proximã mortem præparatio excogitari potest, quàm hac virtute, quæ omnium est regina & parens, imprimis colendâ, atque exercendâ? cumque variæ eius sint partes multiplicésq; eius actiones, subiiciam quidem nonnullas orandi formulas ab ijs ductas, at nullo tamen certo earum ordine prout menti occurrent: huiusmodi sunt quæ sequuntur.

O quando te Deus meus diligam ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex tota mente mea, & ex omnibus viribus meis, & proximum meum sicut meipsum?

Quando te diligam, bone Ieſu, ſicut me dilexiſti ad ſanguinis vſque effuſionem, ad flagella, ad coronam ſpineam, adúſq; mortem denique, mortem autem crucis?

O mi dulciſſime Ieſu, Ieſu mi dulciſſime, quis mihi tribuat vt ego moriar pro te, Ieſu mi dulciſſime, dulciſſime Ieſu? fac me ſaltem commori tibi, viuere nolo te mortuo; aut ſi me vis viuere, fac vt non viuam ego, viuat verò in me Chriſtus. Quis mihi det tui cauſa Deus meus, ludibria & verbera experiri, inſuper & vincula & carceres? lapidari, ſecari, tentari, in occiſione gladij mori? leuia autem ſint hæc circuire in melotis, in pellibus caprinis, egentem, anguſtiatum, afflictum, in ſolitudinibus errantem, in montibus, & ſpeluncis & cauernis terræ. Sed quis mihi det pro te deſcendere in ipſum infernum viuentem? quis verò det anathema eſſe pro fratribus meis, quis det deleri de libro vitæ, vt tibi placeam, vt gloriæ tuæ propagandæ minimùm ſeruiam?

2. Reg. 18. 33.
Gal. 2. 20.
Heb. 11. 37.
Pſ. 34. 16
Rom. 9. 3.
Exodi 32. 32.

Miſericordias Domini in æternum cantabo in generatione & generationem. nō moriar ſed viuam, & narrabo opera Domini: viuet anima mea & laudabit te, & exultabit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

Pſ. 88. 1.
Pſalm. 117. 17.
Pſalm. 118. 175.
Lucæ 1. 47.

Quis mihi tribuat vt omnes prophetent, vt omnes te ſciant, ament, colant, & obſeruent ô Deus meus, ô amor meus, vt omnes

Numer. 11. 29.

tibi

tibi seruiant humero vno, in sanctitate & iustitia, in sanctificatione & honore. O quando finem accipiet peccatum, quando consummabitur præuaricatio? quando delebitur iniquitas, quando adducetur iustitia sempiterna? quando pones inimicos tuos scabellum pedum tuorum? quando nouissima destruetur mors, quando eris omnia in omnibus? Daniel 9.24. Ps.109.

Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Vidi præuaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. Psal. 118

Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. bonus es tu, patiens, & multæ misericordiæ & verax, qui facis misericordiam in millia à generatione in generationem: qui scrutaris renes & corda, nec est vlla creatura inuisibilis in conspectu tuo. metiris pugillo aquas, & cælos palmo ponderas. Tu appēdis tribus digitis molem terræ, tu libras in pōdere montes & colles in statera. Gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ tibi reputatæ sunt. Insulæ quasi puluis exiguus, & omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram te, & quasi nihilum & inane tibi reputatæ sunt. Tu educis in numero militiam cę lorū, & omnes ex nomine vocas, præ multitudine fortitudinis & roboris virtutisq; tuæ, neq; vnum reliquū est quod non dicto citiùs Ps.88.9. Isa.40. 12. Ibid. v.26.

tuis pareat iuſſis. Non patitur morbi vis, cruciatúſque longiorem virtutum tuarum, ô mi Domine, commemorationem: verùm de his infinitiſque aliis & gaudeo ex animo, ſed & gaudebo, eaſque ſi mihi adeſſent, à te abeſſent, perlubenter tecum communicarem iis carere contentus, vt te locupletarem.

Dicam & verè dicam cum Auguſtino ego ſum N. (nominet ſe æger) tu Deus: ſed quod nec eſt, nec eſſe poteſt ego, eſſem Deus, & tu N. vellem omnino commutatis perſonis ego eſſe N. vt tu eſſes Deus.

Pſal. 70. O Deus meus & omnia, tu firmamentum meum & refugium meum, tu patientia mea, ſpes mea, fortitudo mea, miſericordia mea, exſpectatio mea. Tu exultatio mea, gloria Pſal. 61. mea, ſalus mea, Deus auxilij mei, pars mea, portio mea. Tu anima mea, tù Deus cordis mei, tu ſponſus, tu iudex, tu amicus, tu rex meus & Deus meus. O Deus meus & omnia, tu lux, tu quies, tu beatitudo mea, tu cibus, tu via, tu veritas, tu vita mea, tu refrigerium in die æſtus, tu ſolatium in tribulatione, tu ſalus in ægritudine, tu vita in morte. quid multa? Tu Deus meus, & omnia.

Pſal 28. Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum. Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomi- Pſal. 65. ni eius. Omnis terra adoret te, & pſallat tibi, pſalmum dicat nomini tuo Domine.

Con-

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.

CAPVT VI.

Quomodo imminente morte aspirandum.

QVo mors propiùs abest, eo etiam tum feruentiores par est ad Deum eiaculari orationes, tum breuiores ob defectum virium, capitisque imbecillitatem. Et quamquam plurimæ earum quas commemorauimus hactenus, vsui etiam esse poterunt extremo hoc tempore: existimo tamen sequẽtes proposito nostro, statuique infirmi accommodatiores, quas si non poterit voce, mente vtique proferet: dicat igitur quanto maximo potest affectu:

Illumina, ô bone Iesu, oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui aduersus eũ. Domine Iesu Christe fili Dei viui pone passionem Crucem & mortem tuam inter iudicium tuum & animam meam. Dulcissime Domine Iesu Christe ob honorem & virtutem tuæ benedictæ passionis iube me adscribi in numerum electorum tuorum. Ne memineris, bone Iesu, iniquitatum mearum, ci-

Psal. 12. 5.

Pastorale.

Psal. 78. 8.

tò anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nimis.

Psalm. 142. 2. Non intres in iudicium cum seruo tuo, dulcissime Iesu, quia non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens: In qua quidẽ aspiratione cũ totus esset P. Georgius colibrant Societatis Iesu Sacerdos, vir omnibus quibuscum vixit in Belgio, notæ sanctitatis, iubereturq; à fratribus bene sperare nimiumque timorẽ ponere, qui tot laboribus Christi causa perfunctus esset: longè, inquit, absunt, fratres mei, à iudicijs hominum iudicia Dei. S. Ludouicus Galliæ Rex atque adeò ecclesiæ decus & ornamentum singulare immortuus est huic aspirationi ex Psalmis: Psal. 5. 8. Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine.

l. 3. c. 9. Philippi verò Hispaniarum Regis (quem suprà sæpe commemorauimus, sed nũquam satis pro dignitate, adeò piè sanctéque vitâ functus est) suprema hæc fuere verba. Mori se Catholicum; & in fide & obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Digna sanè tam catholico Monarcha oratio: neque verò alia esse poterat eius, qui se in omni vita tum fortissimum fidei catholicæ propugnatorem, tum obsequẽtissimum summo omnium parenti Pontifici maximo filium cõstantissimè præstitisset. Hũc eundem Principem (quod etiam

etiam in rem præsentem facit) accepimus toto morbi tempore, atque sub mortem potissimùm, maximo cùm sensu pietatis amoris oscula fixisse Christi è cruce pendentis imagini (erat autē ea ipsa quâ parēs eius Carolus V. Imperator vsus erat morti proximus, quā eandem iussit Philippo filio, qui modò moderatur Hispanias, consignari vtendā) eumque frequens appellasse, vt sui, misereretur, nec potuisse auelli à sacro pedum eius osculo, quos etiam præ reuerentia modò capiti, modò fronti imponebat, magno sanè tum exemplo, tum sensu animi adstantium omnium. ita ferè Historicus.

Et sanè si aliàs vnquam, extremo quidē hoc vitæ articulo ad crucē tamquam ad asylum confugiendum est: in cruce est salus, vita & resurrectio nostra; per crucē saluati & liberati sumus. Eam itaque cōplexus moribūdus, pectori apponet, sinu fouebit, pendentisque Christi aliàs pedibus, aliàs manibus, aliàs per fosso lateri crebra piàque imprimet oscula: & vel præeunte sacerdote, aut per se ipse, ore vel solâ etiam cogitatione compellabit modò crucem, modò crucifixum, hisce aut similibus formulis: Adoro te, Iesu Christe, & benedico tibi, quia per crucē tuam redemisti mundum, Saluator mundi salua me, qui per crucem & sanguinem tuum redemisti me. Per lignum seruus factus sum, sed per san-

ctam crucem tuam, liberatus sum; fructus arboris seduxit me, sed tu, ô fili Dei, redemisti me. Absit mihi gloriari nisi in cruce tua, mi Domine Iesu, per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.

Arbor decora & fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.

O crucis victoria & admirabile signum, in cælesti curia fac me captare triumphum. Trahe me ad te ô bone Iesu, qui dixisti, cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. O clementissime Iesu te deprecor per hunc sanguinem pretiosum, quem pro me peccatore effundere voluisti, vt abluas omnes iniquitates meas. O sanguis Christi purifica me, corpus Christi salua me, aqua lateris Christi laua me, passio Christi conforta me. O bone Iesu exaudi me, intra vulnera tua absconde me, ne permittas, ô bone Iesu, me separari à te; in hora mortis meæ voca me: iube me venire ad te, vt cum Sanctis tuis laudem te in sæcula.

Si crucis laudibus capitur moribundus (quæ quidem omnes ab ipsomet Christo ducuntur, atque adeò ad eum referuntur) vtatur hisce aspirationibus Ecclesiæ:

In officio sanctæ crucis.

Crux fidelis inter omnes
Arbor vna nobilis,

Nulla

Nulla ſylua talem profert
Fronde, flore, germine:
Dulce lignum, dulces clauos
Dulce pondus ſuſtines.

Atque vt ſeſe oſtendat Chriſti cruci affixi totque confecti doloribus commiſeratione affici, eam ipſam crucem ſic compellabit:

Flecte ramos arbor alta,
Tenſa laxa viſcera,
Et rigor lenteſcat ille
Quem dedit natiuitas,
Vt ſuperni membra Regis
Miti tendas ſtipite.

Tum redeat ad Chriſtum, eiuſque cùm ſtringendo labiiſque premendo, tum genis atque fronti admouendo effigiem, ac tantum non intra viſcera demittendo, quanto poteſt maximo ardore animi commendet illi ſeipſum, ſalutem ſuam, exitúmque hunc ſuum hoc aut ſimili modo:

In manus tuas, ô bone Ieſu, commendo ſpiritum meum; in qua quidem aſpiratione vitâ exijt, quin nouam potiùs inijt S. Nicolaus Epiſcopus, qui cùm morte inſtante ſuſpiceret in cælum, angeloſque ſibi obuiam prodeuntes intueretur, exitumque ſibi imminere non dubiâ præſagiret coniecturâ, Pſalmum illum, cuius initium eſt, In te Domine ſperaui, piè pronuntiauit, cuius & extremo,

tremo versiculo, quo de modo agimus, sanctissimè immortuus est.

S. Bern. Adhibebit etiam sequentes. O bone Iesu propter nomen sanctum tuum esto mihi Iesus, & salua me, ne proijcias me in tempore senectutis, cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me. O bone Iesu misericordiarum Pater, & Deus totius consolationis misericordiam fac mihi pauperculę creaturæ tuæ.

Psal. 21. 21. Erue à framea Deus animam meam & de manu canis vnicam meam. Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.

Psal. 26. 12. Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui.

Psal. 73. 19. Ne tradas bestijs animam confitentem tibi & animam pauperis tui ne obliuiscaris in finem.

Ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creasti. Ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua.

Psal. 29. 10. Quæ vtilitas in sanguine dum descendo in corruptionem? Creator & redemptor meus Iesu Christe totum me tibi dedo, non me reijcias.

Ex Pastorali. Ad te venio, non me repellas.

Psal. 50. Nec proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Nunc Domine secundùm voluntatem tuam fac mecum misericordiam, & præcipe in pace recipi Spiritum meum.

Tobiæ 3. 6. Sonet in mẽtis meæ auribus vox illa dulcis:

Lucæ 23. 43. Hodie mecum eris in Paradiso.

Nunc

Nunc dimittis seruum tuum Domine. Secundùm verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum. Lucæ 2.29.

O clementissime Iesu recognosce quod tuum est, & absterge quod alienum est. O Iesu, Iesu, Iesu, dimitte me intrare in numerum electorum tuorum. O Iesu fili Dauid miserere mei: Deus in adiutorium meum intende, O Domine Iesu ad adiuuandum me festina: O Domine Iesu suscipe Spiritum meum. Atque hæ quidem sunt animam agentibus frequentandæ aspirationes, quibus qui immoritur meritò sanè à superstitibus & habendus & prædicandus est beatus. Quid enim beatius, quid melius fingi potest, quàm cygneis hisce cantibus amorisque plenis vocibus, melodia omni musicoque concentu suauioribus, priùs expiatis confessione noxis supremum exhalare spiritum? O Vtinam moriatur anima mea morte istorum? quis det vt sint nouissima mea similia eorum. Numer. 23. 10.

Sed videndum ne excidat quod in necessitatem præsentem plurimum facit, Tantum enim habet momentum, tantique est sanctę Ecclesiæ (cuius sensus Christi sensus est) pia salutiferi nominis Iesu maximè extremo illo tempore appellatio, & à summis Pontificibus, criminum omnium integra; illud piè vel voce, vel tacitâ etiam cogitatione appellan-

lantibus sit indulta condonatio. Ad hæc tantum ea ipsa habet vitium in dæmones, qui maximè tum sæuiunt. Cùm vltimùm iam nobiscum decertant, vt solâ eius auditione tamquam vibrato fulmine percellantur, in fugamque se proripiant. Quid denique plus oblectare, piamque mentem queat afficere, imò gaudio spirituali complere quàm sponsi sui memoria, eiusque sanctissimi suauissimique crebra nominis commemoratio? tum maximè, cùm iam iam se in eius amplexus sperat ruituram, suauissimóque atque præ filiis hominum specioſissimo eius aspectu, tam diu à se támque ardenter tótque suspiriis & gemitibus expetitò æternùm fruituram. Iesus quidem (ait mellitissimus Bernardus) mel in ore, in aure melos, in corde iubilus, sed est & medicina. Tristatur aliquis nostrûm, veniat in cor Iesus, & inde exiliat in os, & ecce ad exortum huius nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum: labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? Nonne si inuocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? cui in periculis palpitanti & trepidanti inuocatum virtutis nomen, non statim fiduciam præstitit, depulit metum? cui quæso in dubiis æstuanti & fluctuanti non subitò ad inuocationem clari nominis emicuit certitudo? cui in ad-

Serm. 25. in cantica.

aduersis diffidenti, iam iamque deficienti, si nomen adiutorij sonuit, defuit fortitudo? nimirum morbi & languores animæ isti sunt; illud medicina.]

Et non ita multò pòst ita concludit; semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Iesum & sensus dirigantur & actus.]

Quod si aliàs præstantur hæc tam eximia, sacratissimum nomen hoc appellanti, absurdum sanè est existimare istud vitæ punctum; quando & necessitas vrget grauior, atque adeò de summa rerum agitur, iis præsidiis atque ope destitutum iri.

Viris autem religiosis qui se triplici voto ęternùm (quantum in ipsis quidem fuit) Deo Opt. Max. deuinxere, admodum salutare est, neque verò exigui meriti eorumdem renouatio, iteratáque sub mortis tempus nuncupatio. Quid enim extremam hanc prohibeat eodem gaudere priuilegio, quo omnium primam? Si igitur illius beneficio vniuersorum condonatione criminum obtentâ pristino redditus est nitori, tamquam si iterum baptizatus esset, quid quæso vetat vim eamdem huic extremæ efficacitatémque attribui?

Ad extremum duo visum est monere. Alterum vt hæ precatiunculæ iaculatoriæ (potissimùm si sacerdos viro cuipiam litterato mo-

morienti adeſt) aut ex ſacris litteris depromptæ ſint, aut ſaltem inde ductæ & deriuatæ, cuius ratio alibi ſuperiùs eſt à nobis indicata. Alterum eſt, vt ſi æger viribus deſtitutus eas nequit ore promere, vtique præeunte ſacerdote eum ipſum mente ſequatur, neque verò nimius ſit ſacerdos iis inculcandis (quo in genere grauiter plerique animarum curatores peccant) verùm id faciat interruptè, ſeque ipſe monentem abrumpat frequenter. (oret interim ipſe, vt quæ ab eo tum dicta ſunt, tum dicenda ſupererunt, proſint ægro) Nam continente monitione & ſermone quamquam maximè pio, & illi caput obtunditur, vnde minùs fit aptus ad cætera perficienda, nec verò relinquitur ſpatium agitandi mente & quaſi ruminãdi quæ ab ipſo ſunt audita. Paucula itaque proponenda, eaque bona & ſolidi ſucci, atque per interualla: nimietate tamquam flammula copioſo oleo obruitur æger; Imitetur medicandi peritos, qui infirmo ſtomacho, perparum cibi atque eius quidem leuis (vt loquitur Celſus medicorum ſummus) & ad concoquendum facilis optimique ſucci præſcribunt, ne eo nimio naturalis calor ſuffocetur. Verùm ne idẽ cibi penuriâ extinguatur, iubent vt quod exiguum præſcriptum eſt, ſumatur identidem, exiguitaſque frequentiâ compenſetur. Atque hæc de cauſa efficiente harum precationum

tionum ceteriſque eò ſpectantibus dicta ſint.

CAPVT VII.

Quinam his oratiunculis compellandi.

EX ſuperiùs dictis ſatis conſtare exiſtimo, tum Deum Opt. Maximum cæleſteſque mentes atque Diuos omnes, eorumq; ſingulos, ac imprimis Sanctiſſimam Deiparam his precationibus inuocandam, nec peculiarem ea res continet difficultatem, ſuntq; ijs (quæ quidem ad hanc quæſtionem pertinent) communia omnia cum oratione vniuersè accepta. Quare iis explicandis ſuperſedendum. Afferam tantùm paucula exempla, eorum ferè qui id etiam noſtris temporibus factitarunt, quibus fortaſſe, quia ea notiora nobiſque coniunctiora, maior quædam ineſt mouendi vis, atque continebo ferè me intra præſtitutos fines breuiorum orationum.

Egregiâ Xauerius (ita de eo Turſellinus) pietate in ſanctiſſimam Trinitatẽ fuit, quippe ſolitus eam ſummâ religione & colere & appellare, Chriſtum humanæ ſalutis auctorem vnicè diligebat; B. Mariæ Dei parenti benigniſſimæque hominum patronæ maximè addictus erat, itaque moribundus, lib. 6. vitæ c. 5.

Sacroſanctæ Trinitatis, Ieſu Chriſti, B.Mariæ vſu magiſtro identidē expoſcebat opem, vt quorum cum eximia veneratione vixerat, eorum crebrâ cum imploratione moreretur. Secundùm hos Archangelum Michaelem cæleſtium Principem & propugnatorem eccleſię egregio colebat ſtudio: inde beatorum omnium ac fidelium cœtum Chriſtiq; ſponſam eccleſiam, cuius auxilium ſæpiùs implorabat. Angelum quoque cuſtodem ſuum: item Archangelos locorũ vbi verſaretur aut quò tenderet præſides, frequenter in ſuis conatibus, ærumnis, periculis inuocabat. Hæc quidem de B.Xauerio Turſellinus.

L.2.c.3. De B.autem Aloyſio ita Ceparius, ſanctos angelos ac præcipuè Tutelarem ſuũ ſingulari quadam obſeruãtiâ colebat; fingebat animo ſe nouem angelorum choris Deum comprecantibus & hymnum illum ſanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis miſerere nobis concinentibus mixtum eſſe, quē proinde hymnum ipſe iterabat nouies, & cum illorum precibus ſuas coniungebat. Angelo cuſtodi ſuo ſe imprimis quotidie ter ſuaque omnia commendabat, mane & veſperi recitando precem: Angeli Dei; Atque interdiu cum in ædem ſacram circum aras ſupplicatum ſe conferebat. Perſuaſum quoque habebat ſe perinde angeli ductum ſequi oportere, atque cœcum quempiam, qui viarum diſcrimina

crimina ignorans, eius, qui baculo gressum eius regit prouidentiæ in omnibus confidit. hactenus historia.

Pia sanè huius Diui consuetudo, atque ab ipsis Patribus vsurpata. Iacob enim Patriarcha, bene precàtus filiis Ioseph, *Angelus* (inquit) *qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis.* Quibus verbis appellari ab eo Angelum negari quidem non potest. His astruitur illud Eliphas Themanites à Sancto Iobo recensitum: *Voca* (inquit) *si quis est qui respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere:* Quo quidem loco nomine Sanctorum, Angeli accipiendi, de sentẽtia Augustini. Atque illud eiusdem. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* Angelis etiam dictum existimat Augustinus. Quare non ita multo post. *Si fuerit,* inquit, *Angelus loquens pro eo vnus de millibus miserebitur eius, & dicet, libera eum.*

Gen. 48

cap. 5.

In annotationibus in Iob.

Posterioribus verò sæculis, nihil Angelorum inuocatione occurrit frequentius. Ea namque à septima Oecumenica Synodo lege sancita est. Cùm timore (ita sancta Synodus) omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ: Item Sanctorum Angelorum omniumq; Sanctorum.]

Act. 6. in fin.

His suffragatur etiam S. Ambrosius, obsecradi sunt, inquit, Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt, Martyres obsecrandi (de quibus & vniuersè de Sanctis paulò post agemus.

lib. de viduis vltra mediũ.

agemus. quæ hic quidem per παρέλειψιν dicta sunt) quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare, possunt pro peccatis nostris rogare, qui proprio sanguine etiam si quæ habuerunt peccata lauerunt. Isti enim sunt Dei martyres, nostri præsules, speculatores vitæ actuumque nostrorum; non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis etiam cùm vincerent cognouerunt.]

Serm. 5. de Epiphania.

Sed præclarum est illud Magni Leonis, cõfirmate amicitias cum sanctis angelis cum Patriarchis, Prophetis, Apostolis, martyribúsque sociamini, horum diuitias concupiscite & per bonam æmulationem, ipsorum ambitè suffragia. Sanctus autem Beda cauernam maceriæ, de qua in canticis, ita interpretatur; sed & cauernam maceriæ (inquit) id est sanctorum vel angelorum vel hominum, crebras pro nobis intercessiones apud misericordiam pij conditoris queramus: hęc sunt enim tutissima ac fortissima Ecclesiæ præsidia.]

lib. 4. in Cant.

Præterea vetustissimo Ecclesiæ more receptæ sunt litaniæ, sancitęque conciliis Gerundensi, Aurelianensi I. Moguntino, Toletano V. Toletano VI. & Bracarensi II. Quibus & indicuntur recitandæ vel triduo ante Ascensionem vel aliàs pro re nata.

His

His denique accedat factum S.Gregorij, qui grassante peste hasce litanias indixit, quibus non modò Dei, verùm etiam Sanctorum tum Angelorum tum hominum cõtinentur inuocationes, quas raptim & breuiter sua cuique Diuo adhibita iaculamur, vt verè aliud non sint hæ litaniæ, quàm plurimæ eæque multiformes iaculatoriæ precationes simul conglobatæ. Quæ à me paulò fusiùs sunt commemorata propter grassantes huius æui errores, qui immortale Diuorum inuocationi bellum indixerunt. lib.1. vitæ c.42.

De Patre Fabro in hæc verba Orlandinus. Vt Angelos præcipuo cultu venerabatur semper, & secundam eis feriam potissimùm dedicarat, eosdémque identidem dies ac noctes piis vocibus appellabat, præcipuè cõtra improbos spiritus, qui tam multis modis exagitant genus humanum; ita his se custodibus præcipuè in itineribus committebat, hos cognoscebat vbique præsentes, nusquam sine eorum implorata custodia, comitatúque prodibat vt illi fortunarent iter, & lætos suis rebus exitus afferrent, in omni regno ditionéque prætereunda, principatus & Archangelos, sibi & incolis implorabat, cùm ad vrbem aliquã oppidúmve propiùs accederet fundebat supra incolas orationẽ & clementissimo Dei numini supplicabat, vt eius regionis Archãgelus angeliq; Hist. Societ. lib.3. n.29.

magistri singulorum hominum atque custodes, præcipuo eam studio curaque defenderent. Atque hæc quidem de Fabri viri sanctissimi breuioribus precationibus ad Angelos.

Quàm verò multus is esset (verba sunt historici,) in cultu beatorum, non est facile cogitatione, nedũ stylo assequi: didicit afflante spiritu memoriam cuiusque beati cum pietate coli; si quis primùm gratias ageret diuinæ clementiæ, quòd eum iam inde ab æternitate prædestinasset & vocasset ad gloriam, ad eam suis itineribus & quasi gradibus perduxisset. Deinde si easdem Sacratissimæ matri gratias, angelóque eius custodi persolueret & iis cælestibus sigillatim, qui ad eius salutem & gloriam aliquid cõtulissent. Postea si & ad Deum & sanctum illum pro iis, qui & præcipuo eum colerent aut coluissent honore, preces sterneret, tum si Deum ipsum studiosè rogaret, vt eius litterarum monimẽta, si quæ forent, rerumque ab eo gestarum memoriam custoditam, & conseruatam vellet. Denique si pares eius ossibus, vbi vbi essent, tribuerentur venerationis honores, & ex iis aliquid vnde se muniret & tueretur exquireret. Porrò tam erat in colendis beatis Faber attentus, non modò ad eorum ac Dei laudem, sed etiam ad degentium in terra præsidium. Nam cùm tantùm interfit

pie-

pietatis publicæ, ſummorum ad eam Principum habere propenſos animos, ipſe interiore præſenſit admonitu eoque perilluſtri, cæleſtium omnium tanti eſſe ſuffragia, vt vel vnius præſidium plus efficacitatis habeat, ad corrigendos hominum mores, quàm cunctorum edicta Regum, induſtrijq; conatus. Hoc igitur impẽſiùs ſtudebat ipſe ad cauſam pietatis, humana & cæleſtia ſociare præſidia, & ipſis quoque regibus patrocinia conciliare beatorum. Hæc hiſtoricus.

Quæ quidem à me fuſiùs commemorata ſunt, quòd tum inſignem eximij virtutis in cælites pietatem, tum eos colendi facilem neque iniucundam rationem vixque adhuc (quod quidem ex ſanctorum factis poſteritati mandatis conſtet) vſitatam contineant. Denique quoniam ea propoſito noſtro non parum inſeruiebãt; fit enim veriſimile hæc omnia pietatis exercitia, viro occupatiſſimo, breuioribus precatiunculis obita variatiſque & frequentatis aſpirationibus ad Diuos, quod ipſum ſatis etiam habetur ex hiſtoria.

Atque vt huic doctrinæ, exempla ſuperioris memorię, quæ etiam auctoritatem conciliare ſolent, non deſint, vnum afferam, qui nobis omnium inſtar erit, beatiſſimum ſanctiſſimumque Franciſcum, qui quemadmodum quoue pietatis ſenſu cęleſtes coleret iiſque ſupplicaret. ita D. Bonauẽtura. Matrem c. 9. vi- ta.

Domini noſtri Ieſu Chriſti indicibili complectebantur amore, & an ipſa poſt Chriſtum præcipuè fidens eam ſui ac ſuorum aduocatam conſtituit, & ad honorem ipſius à feſto Apoſtolorum Petri & Pauli vſque ad feſtum aſſumptionis deuotiſſimè ieiunabat Angelicis ſpiritibus ardentibus igne mirifico ad excedendum in Deum, & electorum animas inflammandas inſeparabilis erat amoris vinculo copulatus, & ob deuotionem ipſorum, ab aſſumptione virginis glorioſæ 40. diebus ieiunans orationi iugiter inſiſtebat. Beato autem Michaëli Archangelo eò quòd repræſentandarum animarum haberet officiũ, ſpirituali erat amore deuotior, propter feruidum quẽ habebat zelum ad ſalutem omnium ſaluandorum: Ex recordatione Sanctorum omnium tamquam lapidum ignitorum, in deificum recaleſcebat incendium. Apoſtolos omnes, & præcipuè Petrum & Paulum propter feruidam charitatem, quam habuerunt ad Chriſtum, ſummâ deuotione complexans, ob quorum reuerentiam & amorem quadrageſimæ ſpeciale ieiunium domino dedicabat. Hæc Bonauentura.

Quid ad hanc ſanctiſſimi viri aduerſus cæleſtes pietatem addi poteſt, quam nõ precatione tántùm, verùm & ieiunio corporiſque maceratione teſtatam & peruulgatam reliquit? Atque his ſatis intelligitur quanti

duxe-

duxerint Patres nostri ijque eximiæ sanctitatis viri, cælitum patrocinium, quamque studiosè iuxta ac frequenter eos appellarint: Sciebant nimirum ipsos esse cuneos, (vt loquitur Basilius) inexpugnabiles, atque communes humani generis custodes & optimos curarum socios. Nec erant nescij quiduis à diuino numine eorum operâ impetrari. Quemadmodum enim milites (ait Chrysostomus de sanctis martyribus) vulnera in prælio sibi inflicta monstrantes fidenter loquuntur, ita & illi abscecta capita gestantes & in medium afferentes, quęcunque volnerint apud Regem cælorum impetrare possunt.] Orat. in 40. Martyres.

Quam laudem martyribus tribuit Chrysostomus, cur non ea sanctis item omnibus eorúmque singulis conueniat? An verò non sunt vniuersi Dei amici, domestici & familiares? cælestis aulæ Principes, Regium thronum iugiter circumstantes? quorum non modò vocem sed desiderium etiam, exaudit beneficus & liberalis Dominus? At nonne sunt eorum singuli Ecclesiæ columnæ? mortalium præsides? Parentes rectoréque nostri, quibus incumbit ex se spiritu natorum necessitatibus prospicere? (quod ipsum quidem accuratè studioséque ab ipsis præstari perficique supra asseruit Ambrosius) vt qui ipso vsu experientiáque didicerunt, quantum in mortalium vitam Serm. de SS. Iuuentio & Maximo to. 3.

malorum tentationúmque inuexerit peccatum, quantóque sit opus cùm animi robore tum externâ ope præsidióque ad eas perfectè, integrè, nullaque sui parte læsa afflictáque superandas.

CAPVT VIII.

Eorum quæ proximè dicta sunt de cælestium inuocatione praxis.

QVAMQVAM cuilibet integrum est, eam ex qua maximum percipit fructum sequi rationem cælites appellandi, ne tamen cuiquam desit dux & quasi viæ index in hac tam pia mẽtis tamque fructuosa exercitatione, ea suggeram, quæ à sanctis viris in hoc genere factitari audio. Præter Deiparam virginem sanctissimam, Angelum custodem, patronos, quos sibi alij alios delegerunt, Diuosque quorum natalis dies in illud tempus incidit, quos omnes, singulósque eorum, quolibet die etiam frequentiùs breui aliquâ precatione compellant: partiuntur hebdomadæ, dies septem, hoc ferè modo.

Dominicam diem nouem assignant angelorum choris, feriam secundam Patriarcharum, prophetarũ, Apostolorúmque cœtibus. Tertiam martyrum purpuratis agminibus.

nibus; quartam pontificibus; quintam doctoribus, sextam confessoribus & anachoretis: Sabbathum denique virginibus sanctisque vniuersis. Neque hoc alicui videatur aut nouum aut simplicium commẽtum, minúsve graues sapientésque viros decere, mulieribus cæterisque idiotis potiùs relinquendum; cùm ipse Bernardus vir sanè grauissimus, ac citra vllam dubitationem longè sapientissimus eam ipsam ad Diuos adeundi rationem non innuat modò; sed planè explicet atque euoluat. Cùm enim esset interpretatus verba illa de canticis, Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, affirmassetque angelorum custodiam vicem exhibere maceriæ in vinea Domini, ita disserit. Aut si id magis probas dicemus has cauernas à studiosis & piis mentibus non inueniri sed fieri. Quonam modo inquis? cogitatione & auiditate cœdit nempe in modum materiæ mollioris pia maceries desiderio animæ, cœdit piæ contemplationi, cœdit crebræ orationi. Denique oratio iusti penetrat cælos. Non vtique aëris huius corporei spatiosas altitudines, veluti quodam remigio alarum suarum, instar volantis volucris scindet, aut quasi gladius acutus ipsius firmamenti solidum celsumque verticem perforabit: sed sunt cæli sancti, viui rationales, qui enarrant gloriam Dei, qui rationabili quâ

Serm. 62. in Cãtica.

quâdam pietate noſtris ſe votis libenter inclinant, & ſinuatis ad noſtræ deuotionis tactum affectibus, in ſua nos recipiunt viſcera, quoties digna ad eos intentione pulſamus. Pulſanti enim aperietur. Licebit itaque vnicuique noſtrum, etiam hoc tempore mortalitatis cauare ſibi quacumque parte, volet cauernas ſupernæ maceriæ: nunc quidem Patriarchas reuiſere, nunc verò ſalutare prophetas, nunc martyrum inſeri choris, nunc ſenatui immiſceri Apoſtolorum. Sed & beatarum virtutum ſtatus & manſiones à minimo angelo vſque ad Cherubim & Seraphim, totâ mentis alacritate percurrendo luſtrare, prout quemque ſua deuotio feret. Apud quos magis afficietur immittente ſibi ſpiritu prout vult, ſi ſteterit & pulſauerit cõfeſtim aperietur ei, & factâ quaſi cauernâ in montibus, vel potiùs mentibus ſanctis dum ſe vltro inflectunt ad pietatem, requieſcet vel paululum apud illos.

Faceſſant ergo qui huiuſmodi pia exercitia atque è ſanctiſſimorum virorum diſciplina profecta, & ab iis crebrò vſurpata minutula leuiáque vocant, atque à grauioris viri ſapientia, dignitatéque aliena, & tantum non ſuperſtitioſa. Ergo minutulus? ergo leuis, ergo amens, ergo ſuperſtitioſus Bernardus? ergo iiſdem infames vitiis, tot præclari viri ſanctitate eximij tum Sacerdotes, tum religio-

religiosi, quorum vita ferè omnis per septem decurrens hebdomadæ dies; hoc sacro salutarique studio distinetur; Atque si tam simplicitatem exosam habent; videant ne à Deo sint alieniores, cuius sermocinatio est cum simplicibus, qui nec proijcit simplicem nec porrigit manum malig is. Intelligant meliorem esse pauperem qui ambulat in simplicitate sua, quàm diuitem (quales se ipsi existimant) in prauis itineribus, & torquentem labia sua & insipientem (quamquam sibi admodum sapiant) Norint denique in simplicitate cordis quærendum Dominum, & nihil Corinthus magis timuisse Apostolum, quàm ne sicut serpens decepe-rat Euam astutiâ suâ, ita & corrumperentur sensus eorum & excíderent à simplicitate, quæ est in Christo Iesu.

Prou. 3. 32.
Iob 8. 20.
Prou 9. 1.
Prou. 28. 6.
Sap. 1. 1.
2. Cor. 11. 3.

CAPVT IX.

Pro quibus fundendæ sint preces iaculatoriæ.

QVOD Apostolus obsecrat primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & ca-

1. ad Tim. 2, 1.

castitate; hoc ipsum ad breuiores hasce orationes accommodandum videtur, excludunt enim neminem: At cùm omnibus hominibus, vt loquitur Paulus, sese communicant eosque omnes visceribus charitatis beneuolentiæque sinu complectuntur. Quod idem docemur etiam à Christo Saluatore, dum ex eius præscripto supplicantes, eum quidem nomine omnium compellamus, dicimúsque *Pater noster* non Pater mi. Et sanè multo est melior vtiliórque oratio generalis, quàm specialis, vt ex hac ipsa voce (*Pater noster*) colligitur à Cypriano, Ambrosio, Chrysostomo; neque verò est aliis tantùm vtilior, verùm etiam ipsi oranti, vt scitè Ambrosius.

In orationem Dominicam. l. 1. de Cain c. 9.

Orandum (inquit) præcipuè & pro populo doceris, hoc est pro toto corpore, pro membris omnibus matris tuæ, in quo mutuæ charitatis est insigne. Si enim pro te roges, tantummodo pro te rogabis, & si pro se tantùm singuli orent, minor peccatoris quàm intercedentis est gratia. Nunc autem quia singuli orãt pro omnibus, etiam omnes orant pro singulis. Ergo vt concludamus, si pro te roges tantùm vt diximus pro te rogabis, si autem pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt: Si quidem & tu in omnibus es, ita magna remuneratio est vt orationibus singulorum acquirantur singulis totius plebis

bis suffragia: In quo arrogantia nulla, sed humilitas maior est & fructus vberior. hactenus Ambrosius.

At enim his tantùm conficitur fusam pro omnibus orationem iaculatoriam esse eam quidem oranti meliorem atque vtiliorem, non autem ei pro quo Deo offertur, cui omnino prodest magis specialis: ita est si ex oratione quidem non tam impetratio quàm satisfactio quæratur.

Ex omnibus autem hominibus, pro quibus orandum. Monuit S. Paulus, constat eas mentis ad Deum aspirationes longè illi gratissimas accidere, quæ (si cætera sint paria) inimicis bene precantur quasque habent facultates, impetrandi, satisfaciendique, in eos potissimùm exerunt atque exercent. Atque lege diuinâ non semel cautum est pro inimicis vt oremus, *Orate* (inquit Christus) *pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filii Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Arduum sanè edictum obseruatuque difficillimũ & longè supra naturæ vires. Matth. 5. 45. Lucæ 6. 27.

Magna sunt hæc (ait Gregorius) alta sunt hæc, & multis ad exhibendum difficilia. Sed tamen ista est vestis nuptialis.] Diligere inimicos (inquit Bernardus) magis diuinum est quàm humanum.] Quid ergo pro ijsdem orare? quod quidem est summum dilectionis Hom. 38. in Euang. lib. de passione Domini c. 11.

nis præcipuúmque argumentum; sed quo id est difficilius, ac maioris virtutis, fortioriſq; animi quasi fœtus, hoc etiam est amplioris meriti, ipsíque Deo imprimis acceptum, maioréque impetrandi vi pollet: Cuius quidem rei præter cætera, non obscurum est argumentum, quòd cùm vetaretur Hieremias Deum orando interpellare pro populi salute; quoniam id frustrà facerent, additur item nec Moysen, nec Samuelem tantos licet viros exauditum iri, quãquam, idipsum orarent. *Tu ergo*, inquit, *noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te: Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum, eice illos à facie mea & egrediantur.* Quæ verba euoluens S. Gregorius ita interrogat. Quid est quod Moyses & Samuel cæteris Patribus præferuntur: nisi quod hi duo tantummodo in cuncta veteris testamenti serie, etiam pro inimicis suis leguntur exorasse? vnus à populo lapidibus impetitur, & tamen pro lapidatoribus suis Dominum deprecatur: Alter ex principatu eiicitur, & tamen petitus vt exoraret, fatetur dicens, absit à me hoc peccatum in Dominum, quoniam cessem orare pro vobis. Dicit ergo Dominus: Si Moyses & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum: quasi apertè dicat,

Ierem. 7. 16. & c. 15. 1.

Hom. 27. in euangelia.

1. Reg. 12.

nec

necillos modò pro amicis audio quos magnæ virtutis merito, orare etiam pro inimicis scio. Virtus ergo veræ orationis est celsitudo charitatis, & tunc quisque quod rectè petit adipiscitur, cùm eius animus in petitione nec inimici odio fuscatur.]

Itaque propheticorum verborum ea est sententia: si placabilis essem, nemo omnium Moyse, nemo Samuele mihi placando accommodatior, cùm sese vel hostibus suis placatos faciléque exhibuerunt. Sed quia sum implacabilis, certúmq; mihi est tandem præfractam hanc gentem, perfidámque vsciſci frustrà me precibus suis placare nitantur. Quid quæso illustrius ad eximiæ huius commendationem virtutis afferri potest? quàm quod vnica sit ea, quæ Deum ipsum exarmet euincátque, ac quodammodo imbellem efficiat?

Et quoniam tam est ea eximia insignísque virtus, voluit Christus extremo vitæ suæ tẽpore eius illustre admodum specimen præbere, quando cruci affixus, in mediísque doloribus, sui immemor, inimicorum memor, Patrem pro eorum venia ac incolumitate hac precatione iaculatoriâ ita cõpellat. Pater (inquit) dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Vox diuina, atque homine maior oratio. Quid! postulas à Patre ἀμνηστίαν iniquissimi immanisque parricidij, quo te vni-

Lucæ 23. 34.

cum filium crudeliſſimè & per ſummam impietatem vulnerant, necant, contrucidãt hoſtes tui? Quid? illos ipſos ſaluos petis, qui vitã tibi inaudito ſcelere immanitatéque, vitam, inquam, diuinam atque in ipſo ætatis flore eripiunt? Qui ſeipſi ſanguine tuo quãquam innoxij agni effuſo, fœdè crudeliterque commaculant? qui te cruci ſuffixum irrident, blaſphemant, ſubſannant? Hos igitur pœnâ liberatos, ſubtrahi poſtulas diuinis ſuppliciis? Ergo eos immunes ſinat Pater, qui te omni ſuppliciorum genere cruciatum excarnificatúmque vitæ eripuerunt? Quid? excuſas inſuper, adfers ignorationem & imprudentiam, quaſi neſcirent ipſi quid facerent? O diuinam planè fortitudinem! ô heroicam patientiam! ô pectus amoris igne accenſum, atque adeò æſtuans, quem nullæ tormentorum, nullæ ſuppliciorũ, nullæ atrociſſimæ mortis aquæ extinguere valuerunt.

Atque hoc nobis imitatione exprimendum, ſi modò ij eſſe volumus, quorũ nomen vſurpamus. Quod ſi filios eſſe placet tanti Patris, ſi à bonitate paterna pudet degenerare: planè nobis ex animo ſincereque & ſine fuco, inimicis Deus frequenti oratione iaculatoriâ propitiandus. At quis tantæ virtutis vel vmbram attingere, aut ſpeciem conſequi poſſit? quis verò in lucidiſſimum hũc ſolem defigere aciem, ne ſe cœcum eſſe velit? dicam:

cam: si solem aduersum intueri metuis, stellam dabo astrumque minus : in id saltem oculos conijce.

Quantâ animi fortitudine B. Protomartyr Stephanus tortorum inter cruciatus, seseque lapidibus imperentium truculentam rabiem, humi positis genibus (quamquã pro se non multo ante stans orasset) mortis ipso in limine constitutus, exanguis, elinguis; viribus planè destitutus, exiguóq; qui reliquus erat in vnũ collecto spiritu, pro sæuientibus in se Iudæis, seseq; atrocissimo mortis genere perimentibus suauissimis hisce verbis elatâ claráque voce Deum appellat, *Domine Iesu, ne statuas illis hoc peccatum*? Illis? at quibus? sanguinariis, homicidis, feris ipsis immanioribus, quęque pręter figuram hominis haberent nihil. Quibus? qui illum omni supplicíorum genere excarnificatum, acerrimisque doloribus confectum necarent. Illósne vis, ô Stephane, pœnâ tãto debitâ sceleri liberatos? ergóne tam atrocis parricidij, postulas immunitatẽ? Sed Nyssenum audiamus hanc ipsam diuini martyris precationem momẽtis suis ponderantẽ; benignâ (inquit) precatione sanguinarios compensat, rogans ne in contrarios euentus, facinus quod in ipso perpetrabatur, diuideretur, vt sibi quidem vitam, aduersariis autem exitium adferret; sed quibus ipse dignus iudicatus esset, ab ijs ne

Act. 7. 58

Orat. de S. Stephano.

hostes quidem quasi bonorum sibi aliqua ex parte auctores excluderentur.] Hæc quidem Nyssenus. Quibus subijcit ipsum, Iesu conspecto ad eius imitationem fuisse prouocatam. Sic is (inquit) qui Christum cernit aduersus hostes sese gerere nouit. Quoniam enim lenitatis præceptorem videbat, recordatus est legum ab eo latarum inimicos diligere iubentium, & benefacere odio persequentibus, & pro hostilia facientibus orare. ita Nyssen. At S. August. non modò vult diuini præcepti memoriâ, pœnas ab inimicis deprecatum, verùm etiam recordatione eximiæ illius charitatis, quâ idem Christus pro sese crucifigentibus Patrem exorauit; quo loco eleganter sanè introducit Stephanum ità differentem, quamque multum interfit factum suum inter & Christi, atque vtriusque mortem æqua lance pensantem.

Serm. 1. de Sanctis.

Certè ego, inquit, patior, ego lapidor, in me sæuiunt, in me fremunt, sed ne statuas illis hoc peccatum, quia vt hoc dicam tibi, à te primo audiui. Ego seruus tuus patior, sed multum interest inter me & te; tu Dominus, ego seruus; tu magister, ego discipulus; tu creator ego, creatura; tu Deus, ego homo; multum interest inter peccatum istorum qui lapidant me, & illorum qui crucifixerunt te: Quando ergo dixisti Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, pro magno peccato

cato peristi,& me pro minimo petere docuisti, *ego patior in carne, illi non pereant in mente.*] Et alibi; ô Domine si istos modò occideris inimicos, quos postea facies amicos? Hæc Augustinus. Neque verò priora Christo sæcula (quod sanè est admirandum) huiusmodi vacasse virtutum exemplis credēdum est, eorum, inquam, qui suis hostibus diuinam conciliare clemētiam breuioribus etiā hisce precationibus contenderunt. Moyses (inquit Chrysost.) de veteri testamento, quādo inimicos amare non iubebatur, sed oculum pro oculo, dentem pro dente eruere, pro Iudæis à quibus & lapidatus & sæpiùs contemptus est sic orabat, *Aut dimitte eis hanc noxam aut dele me de libro vitæ*: Nihil Moyses peccasti, & cur particeps desideras esse supplicij? cur pœnæ coniunctus? cur tribulationi socius? cur effectus detrimenti consortium? quam ioconditatē (diceretipse) quid beneficij, cùm alij puniuntur, sentire possum? nec fructum meæ commoditatis agnosco cùm tenentur alij laceratione supplicij, sufficerunt quidem ad emēdationem nostræ mentis exempla prolata, sed vt firmiùs corrigamur aliud quoque monstrabo.] Hæc Chrysostomus. Quibus subijcit factū Dauidis, Samuelis, B. Pauli (qui optabat esse anathema pro fratribus suis) Stephani & Christi Domini. atq; ita concludit. Quam igitur veniam mereri poteri-

Serm. 4. de Sanctis.

Hom. de cruce & latrone.

terimus, si tantorum seruorũ de nouo ac veteri testamento non imitemur exempla. Vt pro nostris inimicis oremus?

1. Reg. cap. 2. D. Gregorius egregiè pensat illud Samuelis. Absit à me hoc peccatum in Domino, vt cessem orare pro vobis, id est, pro iis, qui se abiecerant ne regnaret super eos, in quæ verba ita ferè scribit. Ad charitatis verticem sublimatus vir sanctus non solùm diligebat amicos, sed ipsos etiam amplectebatur inimicos, legis quidem veteris mandato instructus, sed nouæ gratiæ fulgoribus illustratus licentiam vetustatis euangelicâ precatione reprehendit, quo nimirum in facto, nos nobiscum rationes facere cogimur.

Luc. 6. Hinc enim per euangelium iubetur. Diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos, orate pro persequentibus vos. Quantum ergo nunc inimici diligendi sunt, proque ijs orandum cùm præcipimur, si tunc amari potuêre cum odio haberi iubebantur.] Quod postremum accipe de praua Scribarum Phariseorúmque interpretatione legis.

Quæ quidem ideo à me fusiùs sunt disputata, quòd tam præclaræ actioni, cuiusmodi est precatio pro inimicorum salute, & incolumitate nulla par inueniri possit oratio. Nec verò arbitror vlli, persuadendæ virtuti vtiliùs operam poni quàm huic, quæ tam habeat

habeat raros sui cultores, quandoquidem non sit humanæ opis nobis infensos infestosque, beneuolentiâ, amore, benefactis, orationeque (quod hîc agimus) omnique officiorum genere prosequi. Accedat enim diuina quædam virtus necesse est, quæ naturæ imbecillitatem confirmet corroboretque, cùm caro inimicum suum diligere non possit teste Chrysostomo, sed eò maximè paulò fuit longior de hac re instituendus sermo, quòd id nobis hoc quidem loco sit propositum, non vt aliquando tantum & rarius, sed vt continenter & in singulas horas imò frequentiùs, & quoties ad Deum aspiramus, inimicorum memores simus, vt resipiscant à diaboli laqueis, & vt prosperè atque ex animi sententia eis cadant cædantque vniuersa: Hæc sunt (inquit ferè Nyssenus) Christianorum arma, hæc iacula, (vnde & meritò iaculatoriæ preces ex nuncupatæ sunt, quibus id præstatur) quibus iniuriam vlciscendo pij viri facti sui exemplo legem vitæ sanciunt. His (inquit Augustinus) diabolus vincitur, hinc victoriæ corona percipitur. His, teste Gregorio Sacrificium nostrum Deo gratum accidit: id namque solum accipit quod ante eius oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit.]

Hom. 13. in c. 5. Matt.

In Psal. 54. 3. parte pastoralis admonitione 10.

Itaque si & diabolum vincere voles, Deoque imprimis carus esse, eique facta tua,

omnemque vitæ tuæ rationem probare; tibi imprimis hisce iaculatorijs assuescendum, frequentique ad Deum accessu, eorum qui tibi aduersantur necessitates postulatáque eidem repræsentanda.

Orat. de S. Stephano.

Cerne (verba sunt Nysseni) quibus armis iniuriam vlciscitur Magnus Stephanus. Attende quomodo tanquam sacerdos quidam iuxta legem spiritualem, puram hostiam immolans, non alienum, sed suum altaribus admouens corpus, & loco libaminis, sanguinem spargens, per sese Deum, quem in cælestibus aditis cernebat, delinquentibus placabat; vide quemadmodum oratione peccatum eorum, quod sceleratis manibus suis sanguinarij quasi exarabant, delebat.]

Si tibi maiore quadam vi opus est, neque hoc adeò illustri facto permoueris: En tibi Christum Dominum, illum intuere; illum audi, non tam corporis aure quàm animi, audi inquam elata voce, quamquam morte iam iamque imminente pro sese crucifigentibus appellantem hisce verbis Patrem, Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.

Ah pudeat te seruulum magis esse memorem iniuriarum, quàm sit Dominus tuus. Ille (vt superius Augustinus) pro magno peccato petit, tu nec pro minimo petere acquiescis, an nõ multũ interest inter peccatũ istorum,

qui

qui tibi fortè iniurii sunt & eorũ, qui crucifixerunt illum? Si hæc fiunt à Domino maiestatis in grauissimis iniurijs, immaniq́ue se crucifigentium parricidio, quid à te in minoribus tuis, vmbriſque ferè tantùm iniuriarum, fieri par est? A te inquam vili terræ puluiſculo, terræ filio, tetra putredine, inferni titione, quem quidem millies promeritus es? omni igitur simultate depositâ, condonataque iniuriâ earum auctoribus frequẽtissimè bene precare, eosq́ue sincere, & sine fuco Deo imprimis commendatos habe: macte virtute.

Et sanè Societati Iesu B. Ignatij præscripto solemne est, creberrimas fundere preces pro sibi quacumque tandem ratione aduersantibus: cuius quidem tam piæ exercitationis ne vllo vmquam tempore vsum extinguat obliuio, eius sacrâ illâ quæ inter cibum adhibetur lectione refricatur in singulos mẽses memoria. Quod idem vtinam piorum omnium consuetudine, institutóque esset receptum. Nec abs re fuerit, si quotiescumque interdiu nouam inis actionem grauiorem, eamq́; repræsentas Diuinæ maiestati, precariſq́; vt sit ad maiorem eius gloriam, eam ipsam velis hostibus tuis prodesse, ad eosq́ue eius fructum vniuersum cùm impetrationis, tum satisfactionis permanare. Atque adeò si de Dei Optimi Maximi liberalitate, benefi-

Part. 10. constit. litter. B.

centiaque quam optimè vis mereri, me quidem auctore cum ijsdem vniuersa tua merita bonorumque operum fructum communicabis, vt in eo percipiendo pari tecum sint iure, paremque tecum eius portionem, facta ex æquo, & bono diuisione integrè sortiantur. Hæc nimirum est ratio sibi Deum conciliandi deuinciendi, obstringendi, neque illum existimo aut aliâ vllâ re capi magis, aut efficaciùs ad quiduis largiendum permoueri, quàm huiuscemodi tam explorato amoris aduersus inimicos argumento.

DE ORATIONIBVS IACVLATORIIS LIBER III.

ABsolutis iis quæ naturam, principia, communémque harum orationum notionem, cæteraque huius generis attingunt; sequitur vt de earumdem qualitatibus, circumstantiisque disseramus. Ac primùm quidem occurrit temporis circumstantia, quæritúrque quàm frequentes esse debeant.

CAPVT I.

Orandum semper ex Christi Domini præscripto & Sanctorum, & quomodo id accipiendum.

SI Christi Domini præceptioni obsequentes esse volumus, non frequenter modò, verùm

Lucæ 18 1. verùm etiam ſemper nobis eſt orandũ: *Oportet* (inquit) *ſemper orare, & non deficere*. In eandem ſententiam ſapiens: *Non impediaris orare ſemper*: Et S. Paulus. *Sine intermiſſione orate*. Quibus cõſentiunt etiam ſuperioris memoriæ Patres. Clemens quidem Alexandrinus. Et ambulando, inquit, & quieſcendo, & in omni opere rationabili orãdum. B. verò Nilus. Qui amat Deum ſemper cum hoc tamquam cum patre cõſuetudinem, & ſermonẽ habet, repudians omnem notitiam turbidã. Atque eodem ſpectat illud Chryſoſtomi, per omne, inquit, tempus precationibus, ac Dei cultui ſtudióque pietatis dediti viuamus, hãc vitam, hanc ſanitatem, hanc opulentiã, hanc bonorum omnium ſummam exiſtimantes, vota noſtra offerre Deo, ſincero, puróq; corde: etenim quemadmodum ſol lucẽ præbet corpori, ſic animæ lumen eſt precatio: proinde ſi cæco damnoſum eſt non intueri ſolẽ, quanto grauius damnum eſt homini Chriſtiano, ſi non aſſiduè deprecetur, neq; Chriſti lucem orando in animum ſuum inducat.]

Ecclef. 18.22.

1 Theſſ. 5.17.

e. 51 de oration.

Lib. 1. de orãdo Dei.

S. Ephrem explicans illud Apoſtoli, *Sine intermiſſione orate*. Noctu (inquit) & diu & quacumque horâ, neque ſolùm poſtquam Eccleſiam es ingreſſus, alijs autem horis abſque cura ſis, verùm ſiue opereris ſiue dormias, ſiue iter facias, ſiue comedas, ſiue bibas, ſiue decumbas, caue orationem tuam inter-

Serm. de oratione.

intermiseris: nescis enim quando veniet, qui animã tuam est repetiturus, ne exspectes diem dominicum aut festum, locíue differentiam.] S. porrò Basilius adeò continentem vult esse pio viro orandi exercitationem, vt per quietem etiam oret. Noli itaque, inquit, propter stuporem, qui fit in somno, mediam vitæ partem inutilem facere, sed tempus noctis diuide, cuius partem tribue somno, partem precationi, imòetiam & ipse somnus pietatem meditetur.] Quod ipsum S. Hieronymus indicat: Sanctis (inquit) etiam ipse somnus est oratio.] Beatum sanè illum cuius ita Deo mens adhæresci, vt nulla eius vitæ pars oratione vacare possit.

Oratione 2. de precatione.

Ad Eustoch.

Huius autem Dominicæ præceptionis de continente precatione sensum, non ita facile est assequi: quod patet ex multiplici eius interpretatione, quâ quidem prætermissâ eam suggeram explicandi rationem, quæ plus habet probabilitatis. Quemadmodum igitur receptâ scripturæ phrasi id impossibile dicitur aut omnino numquam fieri, quod vel difficillimum est aut fit rarissimè. Sic illud asserit sacra scriptura fieri oportere semper, quod faciendum frequenter. Ita, semper orandum præscribitur, quoniam id congruo tempore faciendum, quotiésque nobis per valetudinem, otium, alíálve vitæ necessarias actiones est integrum:

S. Tho. in Paul. Bonau. in Lucã.

sicuti

ſicuti cõmuni ſermone tritum eſt, vt ſemper id quempiã facere dicamus, in quod magno animi ſtudio incumbit, vt quoad eius fieri poteſt, nullã illius prætermittat occaſionem. Quis enim ſi in viri cuiuſpiam litteris dediti incidat mentionem, non eum verè aſſerat optimis artibus ſtudere ſemper? De equitandi ſtudioſo, equitare ſemper? de ludi amante, ludere ſemper? tum quòd ea ipſa ceteris antepo[illegible]ant, tum quòd ijs ſeſe, quoties id quidem licet, lubenter applicent, & exerceant. Atque hæc grauiſſimi auctores.

CAPVT II.

Chriſti Domini ſeu præcepto, ſeu conſilio hiſce orationibus iaculatoriis fieri ſatis.

CVM noſtra interſit plurimum oratione mẽtem exercere atque recreare, Chriſtiq́ue de ea præceptis obſequi, non alia ſanè mihi quidem occurrit ratio id perficiendi, quàm hiſce frequentibus, ijſq́ue breuibus ad Deum aſpirationibus: quod quidem ſic explico. Ea eſt humanę naturæ conditio, vt mẽtis actionibus diu inſiſtere nequeat, neque diuinarum rerum contemplationi, cõmentationiq́ue continenter operam dare: cuius ea ferè eſt ratio, quòd mentis operationes in hac

hac quidem vita, absque corporis corporearúmque facultatum & instrumentorum adminiculo non perficiantur: quæ quidē, vsus assiduitate fatigantur, flaccescunt, sensimq́; consumuntur. Et quamquam (vt scitè Caietanus) in hisce actionibus quiescat corpus, neque loco moueatur, quod cōtra fit in mechanicis, nihilominus fatigatur vehemēter, tum continenter mentis attētione, cui ipsum etiam adminiculatur, tum multa vitalium spirituum consumptione. In 2 2. q. 18. ar. 8.

His accedit ipsius corporis grauitas, cuius pondere prægrauata mens, dum sursum nititur, statim ad infima impetu quodam deiicitur: corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam (vt rectè monet Sapiens) & deprimit terrena cogitatio sensum multa cogitantem. Quod præclarè Gregorius quodam loco, vbi simul explanat quemadmodū inter se dissideant actiua vita & contemplatiua, quod etiam in rem præsentem facit: in actiua, inquit, sine defectu mens figitur, à cōtemplatiua autem, infirmitatis suæ pondere victa lassatur: illa quippe tantò firmius durat, quantò ad vicina se erga vtilitatem proximi dilatat. Hæc tanto celeriùs labitur, quātò & carnis claustra transgrediens super semetipsam ire conatur. Illa per plana se dirigit, & idcirco pedem operis robustiùs figit. Hæc autem quò super se alta appetit, ad se Sap. 9. 15. Lib. 10. moral. c. 19.

cò

eò citiùs fessa descendit. Quod bene ac breuiter Ezechiel insinuat, cùm eorum quæ viderat motus animalium narrat, dicens: & animalia ibant & reuertebantur: quia electorum mentes per hoc, quòd diu persistere minimè in contemplatione sufficiunt, sese iterum ad operationem fundunt, vt in his quæ sibi iuxta sunt, se exercendo refoueant, & super se rursum surgere contemplando conualescant.] Probat deinceps hac vicissitudine actionis & contemplationis non detrahi oranti stabilitatem, & constantiam optimèque illi aptari illud Iob in cuius explicatione tum versabatur: *Et eris stabilis & non timebis.* Quod neque à proposito abhorret. Sed dum, (inquit) hæc eadem contemplatio more debito per temporum interualla repetitur (quod hisce nostris orationibus iaculatorijs haberi satis per se patet) indeficienter procul dubio & in eius soliditate persistitur: quia etsi infirmitatis suæ pondere superata mens deficit: hanc tamen iterum continuis conatibus reparata comprehendit. Nec stabilitatem suam in ea perdidisse dicenda est, à qua etsi semper deficit, hanc & cùm perdiderit semper inquirit.]

cap. 1.

cap. 2.

Maneat itaque summo esse opus mentis nisu, conatuque ad diutiùs orando perseuerandum, animumque ab externis rebus auocandum: quem quidem conatum, in paucissimis

simis reperire licet, quandoquidem mortales, sui plus æquo amantes quæcumque naturæ violentiâ perficiuntur, ea acerbè oderint. Atque eam ob causam suadent Sancti Patres, vt orandi aliqua fiat intermissio. Vnus instar omnium sit idem Gregorius. Hom. 5. in Ezech. Quia diu mens, inquit, stare in contemplatione non valet, sed omne quod de æternitate per speculum & in ænigmate conspicit, quasi furtim hoc, & per transitum videt, ipsa sua infirmitate ab immensitate tantæ celsitudinis animus repulsus, in seipso relabitur: Et necesse est, vt ad actiuam redeat, seque ipsum continuè in vsu bonæ operationis exerceat, vt cùm mens surgere ad contemplanda cælestia non valet, quæque potest bona agere non recuset.] Hæc Gregorius. quibus subdit, virtutum actionibus sese aptiorem ad orandum referre mentem, quod etiam de iaculatoriis accipe: sicque fit (eius sunt verba) vt ipsis suis bonis actibus ad superiora rursus in contemplationem surgat & amoris pastum de pabulo contemplatæ veritatis accipiat. In qua quia diu se tenere ipsa corruptionis infirmitas non potest, ad bona rursus opera rediens, suauitatis Dei memoriâ pascitur, & foris piis actibus, intus verò sanctis desiderijs nutritur.]

Cùm igitur non possit mens longiores orando trahere moras, tum ob corporis, ea-

pitisque imbecillitatem, tum ob irruentia continenter phantasmata, quæ attentionem distrahunt aliò, animumque in mille partes diuidunt, atque nihilominus ex Christi præceptione crebrò immò semper orationi insistendum; conficitur sanè non aliam superesse rationem, eius rei perficiendæ quàm adhibitis frequentibus ad Deum aspirationibus: qui enim creberrimus est in orando, licet perbreuis, hic sanè communi hominum more probè dicitur semper orare: quemadmodum etiam qui quauis horâ, atque adeò frequentiùs esitaret, verè diceretur semper edere; non item is qui iterum atque iterum in singulos dies multum cibi sumeret. Ita neque is semper orare dicendus est, qui vnâ aut alterâ oratione licet productiore contentus, reliquum diem totum, ita humanis externisque dat negotijs, vt ea frequentibus iaculatorijs non interrumpat, ac quasi condiat animetque.

Concludam istud caput hoc monito. Curandum in primis Ascetæ ne ab orationibus iaculatorijs illico mentem cogitationemque ita referat ad humana, vt iis sese penitus immergat: sed perpetuò quasi alterum animæ oculum in cælestia teneat defixum, vt hoc faciliùs rursum quando opus erit, & licebit, considerationem erigat ad Deum: sed præstat audire S. Gregorium idipsum grauissimis

mis

mis hiſce verbis præſcribentem: Electa, inquit, anima cum infirmitate grauante à Dei contemplatione repellitur, vt redire in eandem viſionis altitudinem valeat, debet habere conſtructa ædificia munitionis quatenus ad ſemetipſam relapſa in alto ſe teneat, vnde iterum ad eandem intimæ claritatis altitudinem cōſurgat. Quod & ſub typo Hieruſalem electæ animæ per Prophetam dicitur. Sta in excelſo, & vide iucunditatem quæ veniet tibi à Deo tuo. quaſi dicat. Etſi manere iugiter in Dei contemplatione non potes, ne vſque ad ima deponaris, vt ab altis cuſtodiæ tuæ turribus, ad eam contemplandum ſine difficultate conſcendere, quem deſideras, poſſis. In c. 1. 1. Reg. Baruch. 4. 36.

Deinde reditum illum Elcanæ cum Anna coniuge in ciuitatem ſuam Ramatha morali ſenſu ita explicat. In Ramatha quidem ciuitatem ſuam reuertitur anima, ſi cùm à diuina maieſtatis viſione repellitur in ſanctorum Angelorum contemplatione retinetur. Sed cum de iſta ſubtiliori natura id eſt Angelica cogitare non præualet, ſi ad beatos martyres vel electos alios, qui iam æternitate recepti ſunt, meditando recurrit (quia de perfecta eorum gloria cogitat) nimirum tunc in ſua ciuitate recipitur, qui morari in ſublimibus prohibetur.] Hactenus Gregorius. Quæ eędem præceptiones vſui eſſe poſſunt longio-

ribus etiam orationibus, quas dū quiſpiam vel ob importunè ſe ingerētia phantaſmata, aut corporeæ molis onus mentē deprimens nō valet producere, neque diutiùs in Deum, diuinaſq; eius perfectiones figere obtutum, ſeruiat tempori, ſeſeque ad faciliora transferat, ad Angelos adeat, eos appellet vt ſibi ſint præſidio, & quod de ſanctis martyribus præſcripſit magnus Gregorius idem factitet in cæteris ſanctorum ordinibus & choris. Ita non exiguo fructu abſque tædio, atque adeò ſummâ facilitate tibi effluet tranſigeturque tempus orationi præſtitutum.

CAPVT III.

Cur neceſſe eſt frequenter in hiſce ad Deum aſpirationibus ex Ambroſio Auguſtino & Cypriano.

CVM dictū ſit diuino præcepto frequentandā orationē, idq; præſtari maximè orationibus eiaculatoriis, earum deinceps neceſſitas & quidē ex ſanctorū Patrū ſenſu explicāda, eaq; menti ſubijciēda, quæ nos merito ad eas crebrò vſurpādas mouere poſſint ac debeant. Qua de re ita quidē Ambroſius. Sicut nullum eſt momentū, quo homo nō vtatur vel fruatur, Dei bonitate & miſericordiâ, ſic nullum debet eſſe momentum quo eum præſentē non habeat in memoria.] Memini

Lib. de dignitate condit. humanæ c. 2.

mini ſuperiùs dictũ non modò in momenta ſingula vno quopiam Dei beneficio frui hominem verùm immenſa, quouis etiam temporis puncto extare in illum diuini amoris argumenta, quàm ergo ingratus ſit aduerſus tam beneficum patrem, ſi eius vel momento tantùm, memoriam poſuerit?

S. autẽ Auguſt. in illud pſalmi Firmabo ſuper te oculos meos, hæc habet, Nõ abs te auferã oculos meos, quia & tu nõ auferes à me oculos tuos. Iam iuſtificatus, iam poſt remiſſionẽ peccatorũ leua oculos tuos ad Deũ, putruerat enim cor tuũ cùm eſſet in terra. Cùm hæc audis ſurſum erige cor ne putreat. Ergo & tu leua iam oculos tuos ſemper in Deum, vt firmet ſuper te oculos ſuos.] O quàm prę- 31. v. 5.
clarè cum illo agitur, quem continenter intuetur Deus, quem docet & inſtruit, cui proſpicit, cuius rebus conſulit, quem gratiâ ſuâ protegit, cuiuſq; curã nec ſuſcipit, nec deponit vmquã: hæc enim vniuerſa ac lõgè plura cõplectitur illud: *Firmabo ſuper te oculos meos.* Cauebo, inquit, vt ne quid tibi deſit, cõmodis tuis vtilitatibuſq; diligenter proſpiciam, omne aduerſum procul amoliar, ob eamque rem *firmabo ſuper te oculos meos*, numquam eos à te auertam, ne quid tibi mali ſurrepat. Hæc autem tot & tanta conſequitur teſte Auguſtino is qui viciſſim orationis aſſiduitate in Deum oculos ſemper habet intentos.

In psal. 65. v. vlt. Idem alio quopiam loco enarrans illud: *Benedictus Deus meus qui non amouit deprecationẽ meam & misericordiam suam à me*, aliam suggerit necessitatis orandi rationem, neque obscurè indicat diuina beneficia, Deiq; in nos clemẽtiam ab orationis vsu quasi depẽdere. Quamdiu, inquit, hîc sumus, hoc rogemus Deum, vt non à nobis amoueat deprecationẽ nostram & misericordiam suam, id est, vt perseueranter oremus, & perseuerãter misereatur. Multi enim langueſcunt in orando, & in nouitate suæ conuersionis feruentes orãt, postea languidè, postea frigidè, postea negligenter, quasi securi sint: vigilat hostis, dormis tu?] Atque post pauca ita concludit. Cùm videris nõ à te amotã deprecationem tuã, securus esto, quia non est à te amota misericordia eius.] Et sanè vel ipsa verborũ Prophetæ series ostendit satis orationẽ nostrã diuinámq; beneficentiam ita inter se colligata, vt illam hæc sequatur, cũ illa priore loco nominetur tamquam posterioris quasi fundamentum, aut saltem illecebra: allicitur etenim Deus ad miserendum & benefaciendum, cùm ad id se videt frequentibus feruidisque vrgeri precibus. Itaque quanti nostra interest diuinæ largitatis beneficiorumque fontem nobis perpetuò manare, tanti etiam est nos ab orandi studio numquam desistere.

Afferam & tertium testimoniũ ex eodem Augu-

Augustino, quo luculenter nouis etiam allatis rationibus ostendit, quàm sit necessaria frequens precatio. In ipsa, inquit, fide, spe & charitate continuato desiderio semper oramus, sed idem (æternam beatitudinem scilicet de qua hîc agit) per certa interualla horarum & temporum, etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum signis nosipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobisipsis innotescamus, & ad hoc agendum nobisipsos acriùs excitemus, dignior enim sequetur effectus quem feruentior præcedit affectus. Ideoque ab aliis curis & negotijs quibus ipsum superiorum desiderium quodammodo tepescit, certis horis, ad negotium orandi mentem reuocamus verbis orationis nosipsos admonentes, in id quod desideramus intendere, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat & penitus extinguatur nisi crebriùs inflammetur.] Epist. 121. de orando Deum.

Post pauca, ostensâ iterum orandi necessitate, laudat frequentes breuesque orationes: subiicitque Patrum eremi factum, quibus solemne erat creberrimis, iisque breuissimis precatiunculis Deum appellare. Dicuntur, inquit, fratres in eremo crebras quidem habere orationes, sed tamen breuissimas & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est per productiores moras euanescat,

neſcat, atq; hebetetur intẽtio.] Quibus quidẽ verbis nõ ita laudat breuiores orationes, quin ſuũ etiã det & locum & laudẽ longioribus. Verũ infirmioribus cõſulit, vt quialienarum cogitationũ cateruatim irruentiũ multitudine, importunitateque præpediti, diutiùs nequeunt animũ aduertere, attentionemq; (quam intẽtionem vocat) producere, imitatione ſanctorũ Ægypti breuioribus aſſueſcãt precatiunculis. Qui quidẽ ait idẽ Auguſtinus (quod in laudem longiorum orationũ dictũ ſit) per hoc ſatis oſtendunt hanc intẽtionem ſicut nõ eſt obtundenda ſi perdurare nõ poteſt, ita ſi perdurarit non citò eſſe rumpendam.] Hæc Auguſtinus B. autem Cyprianus illo antiquior, multis tum diurnam tum nocturnam, id eſt, frequentem cõmendat orationem eiuſq; proponit neceſſitatem. Cùm in ſcripturis, (inquit) ſanctis ſol verus, & dies verus eſt Chriſtus, hora nulla à Chriſtianis excipitur, quo minus frequenter ac ſemper Deus debeat adorari, vt qui in Chriſto hoc eſt in ſole & in die vero ſumus, inſiſtamus per totũ diem precibus & oremus, & quãdo mundi lege decurrẽs vicibus alterius nox reuoluta ſuccedit, nullũ de nocturnis tenebris orantibus eſſe damnũ poteſt. qua filiis lucis, & in noctibus dies eſt. Quando enim ſine lumine eſt, cui lumen in corde eſt, aut quando ſol ei & dies non eſt, cui ſol & dies Chriſtus

Tractatus de oratione Dominica.

stus est? Qui autem in Christo, hoc est in lumine semper sumus, nec noctibus ab oratione cessemus, ambulare nos credamus semper in lumine, non impediamur à tenebris quas euasimus, nulla sint horis nocturnis precũ damna, nulla orationũ pigra, & ignaua dispendia. per Dei indulgentiam recreati spiritualiter, & renati, imitemur quod futuri sumus, habituri in regno siue interuentu noctis solũ diem, sic nocte quasi in lumine vigilemus, oraturi semper & acturi gratias Deo, hic quoque orare & gratias agere nõ desinamus.] Hæc Cyprianus. Quibus varias easq; efficaces affert causas, cur sit homini Christiano frequentiùs orandum, quas quidem pio lectori euoluendas relinquo.

CAPVT IV.

Quid sancti Leo, Gregorius, Bernardus, Bonauentura & Laurentius Iustinianus de ea ipsa re sentiant.

ORATIONIS necessitatem ad hoc refert D. Leo, vt eius exercitio possit quis cælesti sapientiæ operam dare, eaque se oblectare, mentemque diuinis reficere consolationibus, sed aurea eius verba in medium afferamus. Quamuis, inquit, sine anima nihil caro desideret, & inde accipiat sen- Serm 8. de ieiunio decimi mensis.

sensus vnde sumit & motus, eiusdem tamen est animæ quædam sibi subditæ negare substantiæ, & interiori iudicio ab exterioribus interiorà frenare, vt à corporeis cupiditatibus sæpiùs libera, in aula mentis, diuinæ possit vacare sapientiæ, vbi omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis & in deliciis lætetur æternis.] Atque hæc quidem magnus Leo. Verùm cui in hac mentis ab exterioribus rebus auocatione persistere integrum non est, neque illam cõsequente cælesti oblectatione perfrui diutiùs, id saltem statis temporibus breuiter præstabit, atque si non continenter, at interruptè & per certa interualla cælesti reficietur alimento, gustabitque quàm sit suauis Dominus se quærentibus & amantibus.

Epistola proœmiali in Iob 1.

Sed Gregorium item magnum ad Leandrum sanctissimũ Episcopum hac de re scribentem audiamus, qui postquam dixit sese à monasterio ad curam pastoralem abstractũ, multos fratres germanâ victos charitate secutos esse hæc subdit. Quod diuinâ factum dispensatione conspicio, vt eorum semper exemplo ad orationis placidum littus quasi anchoræ tunc restringerer, cùm causarum secularium incessabili impulsu fluctuarem. Ad illorum quippe consortium veluti ad tutissimi portus sinum, post terreni actus volumina fluctusque fugiebam.] Vides quemadmodum

modum orationem modò littus, modò portum appellet? vnde efficitur tam esse necessarium Christiano homini frequens orandi exercitium, quàm necessarius est portus & littus in alto nauiganti, ni se velit tempestate iactatum fluctibus obrui.

S. Porrò Bernardus multus est tum in laudando orationis studio, tum in eo ipso suadendo, vtinam & persuadeat. Ora, inquit, iugiter, precare Deum diebus ac noctibus, oratio sit sine cessatione, oratio sit frequens, orationis sint arma assidua, oratio de ore tuo non cadat. Insiste orationi, frequenter incumbe orationi, geme semper & plange: surge in nocte ad precem, vigila, & ora, pernocta in oratione & prece, incumbe nocturnis vigiliis: ad modicum clausis oculis rursus ora.] Vide mihi quomodo id ipsum sæpiùs variatis tantùm verbis inculcat, quàm instat acriter suadendo orationis exercitio. Nempe vtilius nihil in omni hominum vita, salutarius nihil, sed loquatur ipse. Lib. de mo. bene viuendi c. 49.

Oratio frequens (quod etiã à me superiùs allatũ cõmemini) diaboli iacula submouet. Oratio, quotidiana diaboli tela exuperat. Oratio est prima virtus aduersus tentationũ incursus. Oratio superat tentamenta inimicorum, vincit dæmones, superat immundos spiritus. Per orationem vincuntur dæmonia, oratio omnibus malis præualet.] Itaque tam vni-

vnicuique noſtrum frequenter vſurpanda eſt oratio, quàm noſtra refert plurimùm dæmone in quotidiana eaq; acerrima tentationum pugna exiſtere ſuperiores. Atq; hinc exiſtimo factum, vt ſuperioris memoriæ Patres, orando noctem diei coniungerent. de Sancto quidem Antonio ita Athanaſius pernoctabat in oratione ſæpiſſimè, dicebatq; vnam eſſe rationẽ vincendi inimicũ, lætitiam ſpiritualẽ & animæ Dominum ſemper cogitantis iugem recordationẽ quæ dæmonum dolos quaſi fumum expelleret, perſequereturque potiùs aduerſarios quàm timeret.]

In eius vita.

Iam verò D. Hieron. nullũ omnino tempus, locũ nullum orationi importunũ arbitrabatur, ita enim de ſe ipſe ad Euſtochium. Memini me clamãtem diem crebrò iunxiſſe cum nocte: ſolus deſerta penetrabam, ſicubi cõcaua vallium, aſpera montiũ, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum, & vt ipſe mihi teſtis eſt Dominus, poſt multas lachrymas, poſt cælo inhærentes oculos, nonnumquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum & lætus gaudenſque cantabam. Poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus.] Atque idem & ſenſerunt & vſurparũt ſancti omnes, cuius quidem rei exemplorum plena ſunt omnia, tãti ſemper habitum eſt à Patribus aſſiduè orandi ſtudium.

Epiſt. 22.

Cant. 1.

Quod

Quod quidem S.Bonauent.pluribus locis enixè cõmendat, idq; censet vnum esse de illis septem, quorum cõsuetudine vitatur apostaticæ præuaricationis opprobriũ (ita enim loquitur) & perfectæ sanationis gratia, & repromissæ beatitudinis gloria obtinetur. Septimum itaque est, inquit, mentem semper habere ad Deum suspensam, orando, cogitando, recordando, meditando, legendo, attendendo, ac bona cõtemplando. Vnde quandocumque seruus Dei vel ad modicum Dei non meminit, contremiscit ac dolet quasi grauiter offenderit, tanti amici de fraudatus intuitu, qui nostri numquam obliuiscitur. Cùm summa beatitudo ac gloria consistat in iugi visione Dei, huiusmodi beatitudinis mutatio quædam est iugis memoria Dei. Ista est meritum, sed illa præmium: vnde psalmista ait, Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, nec tantum in otio, sed etiam in occupationibus eius debemus esse minores imitatione Sanctorũ Angelorum qui missi in ministerium nostrũ sic exteriora disponunt, vt tamen ab intimis numquam recedant.] Hæc ille.

De profectu religios. lib. 2. cap. 13. c. 20. Psal. 15.

Idem autem libello de perfectione vitæ dum totus est in suadendo religiosis, crebrioris orationis vsum ita scribit: supra modum, inquit, cupienti proficere necessarium est, vt assiduis orationum studiis & deuotionibus c. 5.

nibus animum ſuum exerceat, quia reuera religioſus orationem non frequentans non ſolùm eſt miſer & inutilis, quinimmo coram Deo fert animam mortuam in corpore viuo: Cùm enim tantæ efficaciæ ſit deuotionis virtus, vti ipſa hoſtis maligni deuincat tentamenta, & verſutias diaboli, qui ſolus famulum Dei impedit, ne ſurſum ad cœlos aſcendat, non eſt mirum, ſi frequenter ſuccumbat tentationibus miſerabiliter, qui ſtudium orationis non frequentat. Vnde B. Iſidorus hoc eſt (inquit) remedium eius qui vitiorum tentamentis æſtuant, quoties quolibet vitio tangitur, toties ſe ad orationẽ ſubdat, quia frequens oratio vitiorũ impugnationem extinguit. Eſt autem tantæ virtutis deuota oratio, vt ad omnia valeat, & in omni tempore homo poſſit per eam lucrari: in hyeme, in æſtate, in ſereno & in tempore pluuiali.] Hactenus Bonauentura: cuius oratio cùm & perſpicua ſit & efficacitatis plena vtinam id efficiat, quod illi propoſitum fuit.

Lib. 3. de ſummo bono c. 7.

B. denique Laurentius Iuſtinianus, licet ſuperioribus æuo longè poſterior, his accenſeatur, qui quidem varijs lucubrationum ſuarum locis luculenter teſtatum reliquit quantum faceret ipſe orationis ſtudiũ, quam etiam in grauioribus cauſis (ait eius vitæ ſcriptor) habebat pro fideliſſimo conſiliario, ac

cap. 6.

quo-

quodam loco ita ad eam hortatur. Enitendum est, inquit, vt in primordio saltem cuiusque operis dirigatur oratio, & diuini suffragij imploratio: Quia sicut militem procedere ad conflictum non congruit sine armorum protectione, ita neque homini Christiano absque orationis munimine aliquid agere licet: egredientem igitur de hospitio armet oratio, regredientem de platea comitetur, cum ambulante ambulet, cum operante collaboret: ne priùs corpusculum requiescat in strato, quàm anima precibus reficiatur.] Hæc Iustinianus: quorum extrema, ferè verbo tenus mutuata ab illo sunt ex quadam S. Hieronymi epistola, quo loco hæc item addit. Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem. cuius sanè pictura quædam est iaculatoria oratio vt non ita multo post dicendum.

De oratione c. 6.

Epist. 22.

Sed vt ad S. Iustinianum sese referat sermo; aureo illo tractatu de disciplina & perfectione monasticæ conuersationis, hæc habet de orationis frequentia. Ob hoc, inquit, vigilanter iugitérque orationi vacandum est & in sensu cordis semper Domino assistendum, quatenus ex frequenti consideratione veritatis, fumus humanæ sapientiæ & caligo carnalis intelligentiæ ab interioribus animæ affectibus, irradiante gratia amoueri possit.] Ac paulo post ita concludit.

c. 18.

cludit. Quisquis itaque Deo placere affectat, quicumque huius seculi laboriosam peregrinationem peragrare desiderat, si spretis transitoriæ vitæ lenociniis, æterni conuiuij spirituales ac supercæleſtes delitias apprehendere ac degustare concupiscit; studio orationis se tradat, ad illam alacriter ac paratus accedat, in ea ardenter & in sensu cordis coram Domino assistat, necnon & in ipsa quotidie perseueret.]

Ex his arbitror satis intelligi quanta sit orationis mortalibus, non modò vtilitas, verùm omnimoda etiam necessitas. Quæ quidem eò spectant ob eamque causam à nobis allata sunt, vt cui vel ob inualetudinem, aut negotiorum multitudinem nō est integrum longiores producere orationes. Is saltem breuioribus hisce iaculatoriis det operam. Sed videndum deinceps, quid à Græcis Patribus nobis ea de re sit traditum.

CAPVT V.

De necessitate creberrimè orandi ex mente Græcorum Patrum.

Admonitione ad filiū spirituālem.

AGMEN ducet magnus Basilius qui quidem orationem vocat grande animæ munimentum. Ille itaque orare desinat qui sibi à se satis superque aduersus spiritus hostes

hostes præsidij videtur habere. Atque eiusdem sunt hæc. Per orationes, inquit, purissimas, omnia nobis quæ sunt vtilia tribuuntur à Domino, & omnia quæ noxia sunt procul dubio effugantur.] Quis est autem, qui ita omnibus affluat rebus, vt nullius egeat? quis autem ab omnibus aduersis ita securus, vt nihil pertimescat? Ibidem

S. Ephrem Basilio magno coæuus, atque cum ipso arctæ necessitudinis vinculo coniunctissimus, comparat orationem arcui. Pro arcu, inquit, ad orationem manus tuas extende sicut scriptum. Et posuisti vt arcum æreum brachia mea: verè enim arcus æreus est contra inimicos, expansæ in oratione manus in scientia orantis. Est etiam sicut sagitta directè immissa ab eo qui arcum vibrat.] quæ omnia apprimè conueniunt hisce orationibus, quæ à iaculis nomen inuenerunt. Psal. 17.

Sed Chrysostomum luculenter hac de re differentem audiamus. Quemadmodum, inquit, Sol lucem præbet corpori, sic animæ lumen est precatio. Proinde si cęco damnosum est non intueri solem, quãto grauius damnũ est homini Christiano, si non assiduè deprecetur neque Christi lucem orando in animũ suum inducat?] Sed his grauiora paulo post subiicit mala, dum & mortuum & amentem dicit eum, qui orationi non incumbit. Lib. 1. de orã. do Deũ.

Quisquis (ait) Deum non orat, nec diuino colloquio cupit assiduò frui, is mortuus est & vitâ carens, experſq; sanæ mentis. Quemadmodum enim corpus hoc nostrum si non adsit anima, profecto mortuum est ac fœtidum, sic anima nisi seipsam incitet ad orandũ mortua est, ac misera & grauiter olens.]

Pergit probare Danielis facto, posthabẽdam mortem ipsam orationi, pręstareque etiam emori: quàm ab ea desistere. Insuper, inquit, quòd oporteat quauis morte tristius existimare, si quis deprecatione priuetur, pulchrè nos docet Daniel ille Propheta magnus, qui maluerit emori, quàm triduo duntaxat arceri ab orando. Nec enim hoc ab eo exigebat Rex Persarum, vt impietatem admitteret, tantum illud obseruabat. Si quis intra triduum quidquam petere deprehenderetur ab vllo deorum aut hominum præterquam ab ipso: sed Propheta ne tantulum quidem temporis sustinuit ab orando cessare, propterea quòd nisi Deus propensus sit in nos, nihil omnino bonorũ in animas nostras venire possit: Dei verò propensio simul adiuuat labores nostros, hosque pulchrè subleuat, si conspexerit nos amare precandi studium, si continenter orare Deum, si viderit exspectantes omnia bona nobis illinc defluxura.

Deinceps grauissimè iuxtà ac verissimè con-

concludit ab omni virtute inopem esse, qui precandi studium negligit. Itaque inquit, cùm video, quempiam non amare orandi studium, nec huius rei feruida vehementiq; cura teneri, continuò mihi palàm est nihil illum egregiæ dotis in animo possidere. Rursus vbi quem conspexero insatiabiliter adhærentem cultui diuino, idque in summis damnis numerantem, si non continẽter orauerit, coniecto talem omnis virtutis firmum esse mediatorem ac Dei templum. Arbitror itaque cũctis esse manifestum, quòd simpliciter impossibile sit absque precationis præsidio cum virtute degere, cumque hac huius vitæ cursum peragere. Etenim quî fiat vt is virtutem exerceat nisi continenter adeat, & supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem suppeditat ac largitur hominibus? Rursus quî fiat, vt aliquis concupiscat esse temperatus & iustus, nisi lubens cum eo cõsuetudinem ac colloquium habeat, qui cùm hæc, tum his etiam plura exigit à nobis?] Nequeverò virtutes tantum mentisque bona parit oratio, verùm etiam corporis atque externa, vt præclarè idem Chrysostomus. Deprecatio, inquit, ingentia pericula depellit, siquidem ille Rex simul & Propheta mirabilis Dauid multos ac sæuos inimicos effugit precationis ope, non alijs armis exercitũ muniens, atque ita tradidit suis militibus po- Ibid.

tiri victoriâ, quietus interim ac ſecurus: Quemadmodum alij quidam Reges incolumitatis ſuæ ſpem ponere conſueuerũt in militum peritiâ & arte belligerendi, in ſagittariis, in cataphractis, in equitibus: ita magnus ille Dauid, ſanctis precibus mænium vice ſuum cinxit exercitum, nequaquam reſpiciens Imperatorum, Tribunorum, ac Centurionum ferociam, neque pecunias colligens nec arma comparans, ſed orando diuinam armaturam è cælo deportans. Nam verè cæleſtis eſt armatura deprecatio quæ Deo funditur, ſolaque firmam cuſtodiam præbet his, qui ſeſe Deo tradiderunt, ſi quidem Cataphractorum & robur & peritiam, tum ſagittariorum experientiam, atque in prodendo hoſte calliditatem, ſæpenumero ludit ac fruſtratur vel ipſa belli facies, vel hoſtium fiducia, cumque his alia permulta: Ceterùm deprecatio armatura eſt inexpugnabilis, ac tutiſſimum nec vmquam fallens munimẽtum, pari facilitate vel vnum repellens militem, vel innumerabilia hoſtiũ millia.] Hæc Chryſoſtomus, qui ſub finem huiuſce tractationis id aſſerit accidiſſe Moyſi, cui ſolam precationem aduerſus innumeros hoſtes præſidio fuiſſe oſtẽdit. Dic mihi (verba ſunt Chryſoſtomi) quomodo Moyſes Iſraeliticum populũ in bellis ſeruauit? an nõ arma quidẽ cũ exercitu diſcipulo tradidit; ipſe verò deprecationem

nem oppoſuit hoſtiũ multitudini? nos interim docẽs preces iuſtorum plus valere, quàm arma, quàm æquitatũ, quàm pecunias, quàm multas copias, eoque vniuerſus exercitus & munera militum multitudo in deprecatione Prophetæ ſpẽ ſalutis habebat: ſiquidẽ orante Moſe ſuperabãt Iudæi, eodẽ ab orando ceſſante, inferiores erant hoſtibus. Ibidẽ & nos orantes facilè diabolũ ſuperabimus, ceſſantes verò ſceleſtum illum in nos inſtruimus.]

Atque vt finẽ faciã his, quæ habet Chryſoſt. de orationis viribus ac præſidio in hoſtes, hęc pauca ſubijciam quæ ab ipſo traduntur de S. Paulo magno virtutis huius cultore. Illinc, inquit, intelligi poterit quãta ſit vis ſanctarũ precum, quod Paulus per totum orbẽ terrarum velut alatus diſcurrẽs, in carceribus habitans, flagella ſuſtinens, geſtans catenã, viuens in ſanguine ac periculis inſuper & dæmones eiiciens, ac mortuos excitãs, morbos abigens, in harũ rerum nullã fiduciam poſuit ſeruandi homines, ſed precibus communiit orbem: poſtq; miracula, poſt excitatos mortuos, ad deprecationis præſidiũ accurrit, non aliter quàm Athleta à corona ad palæſtram quandoquidẽ & mortuorum excitationem, reliquaq; omnia ſuppeditat deprecatio.] Finem dicendi non faciam, ſi quæcumque ab hoc eloquentiſſimo ſanctiſſimoque patre in hanc quidem ſententiam atque ad orationis Ibidem.

perſuadendum vſum ſunt ſcripta, in medium afferam: ac omittere non licet quas ad idem habet præclaras ſimilitudines duas, quibus orationem tum neruis corporis, tum aquæ, quâ deſtitutos piſces in ſicco emori neceſſe eſt, pulchrè confert: Iam verò, inquit, ſi quis animæ neruos dicat eſſe deprecationem, meâ quidem ſententiâ videbitur verum dicere. nimirum quemadmodum corpus neruis cohæret, currit, viuit, ſtat & compactum eſt, adeò vt ſi neruos incideris, vniuerſam corporis harmoniam diſſolueris: Itidem animæ per ſanctas preces ſibi conſtant & compinguntur, ac pietatis curſum facilè peragunt. Quòd ſi ſeipſum deſtitueris deprecatione, perinde feceris ac ſi piſcem ex aquis extraxeris. Vt enim piſci vita eſt aqua, ita tibi deprecatio.] Hactenus Chryſoſtomus. Cuius quidem doctrinam maximè quæ de innumeris precationis fructibus eſt, ipſa re, vſuque confirmatam ſæpius ſacræ teſtantur hiſtoriæ, tum huius tum patrum memoriæ, quod ex dictis & dicendis planum fiet.

CA-

CAPVT VI.

De crebritate orationum iaculatoriarum quanta ea esse debeat.

DIFFICILE admodum est statuere, quàm cuique frequenter sit ad Deum aspirãdum: quemadmodum enim alius alio occupatior est, alius alio orandi studiosior: magna item est morum, naturarum, cõstitutionum, viriúmque tum corporis tum animi varietas, & quod caput est, non omnibus æquè insita est ad pietatem Deiáque cultum propensio: ita magnam etiam in huiusce virtutis cultu frequentiáque varietatẽ existere necesse est.

Vidimus supra quanta animi contentione sententiarúmq; grauitate sancti Patres creberrimum ipsius vsum suadeant: neque verò obscurum est, idem à Christo Domino sanctísque Apostolis non semel præscribi, vt sic nullum vitæ punctum effluat, quo Dei Opt. Max. memoria animo non obuersetur: nam vt verè Bernardus, tempus illud omne quo de Deo non cogitas existima tibi periisse, quare in omni actu, vel cogitatu tuo Deum tibi adesse memorare. Et sanè si Monarcha à fide alienus eum se diem perdidisse quærebatur apud amicos quo nemini benefeciſſet: quantò censebit dolebitq; magis illud tem-

In speculo Monachorum.

Suetonius in Tito.

pus ſibi periiſſe vir pius, quo Dei recordatione poſita terrenis rebus animum, inanibuſque & noxiis fortaſſe non tam occupauit, quàm infecit, atque fœdauit?

6.7.3. Querebatur quidē Iob ſe doloribus confectū, atque proſtratum, vacuos mēſes habuiſſe: an nō is habet menſes, & dies, & tempora vacua, qui (vt loquitur Gregorius) quamlibet multū vixerit, ætatis ſuæ tempora in vanitate conſumit, cæleſtium quidem oblitus, Deiq; immemor, humanarū autem rerum, caducarumq; plus ęquo memor? Contra quā is beatus de quo illud pſalmographi prædicari poteſt. *Et dies pleni inuenientur in eis.* Plenus dierū dicitur, (ait Gregorius) cui nequaquā dies ſui pereundo tranſeunt, ſed ex quotidiana mercede orationis, apud iuſtū ludicem, & poſtquam tranſacti fuerint, reſeruantur. Plenus dierum moritur, quia ſubſequente luce ex mercede quotidianarum orationum, depoſito corruptionis pōdere ad incorruptionem ſpiritalis patriæ mutatur: plenus dierum moritur, cui labentes anni non tranſeunt, ſed ſtantium actuum retributione ſolidantur: plenus dierum moritur, quia per hæc tranſeuntia tempora, id quod non tranſit operatur.] Hæc Gregorius, quæ quidem de qualibet actione ſtudioſa ab eo dicta ad orationem accomodauimus.

Pſal. 74. 10.

Lib. 35. in Iob. cap. 24. & 25.

Quiſquis itaq; orationi ſe dat totum, is demum

mum viuit plenos dies ac solidos, eiusque sunt opera plena coram Deo: & quamquam immaturâ morte abripiatur, cõsummatus in breui expleuerit tempora multa, non annorum ratione, sed meritorũ. Quod à sacris literis haud facile, teste Gregorio, asseritur nisi de eo, cuius ab iisdem vita laudatur. Implet autem is dies suos, quia nullum vitæ momẽtum ab orando vacuum sinit, actiones suas omnes, ante oratione præmunit atq; præfulcit, earum cursum progressumque comitatur semper oratio, ipsasque ad exitum perductas excipit & coronat. Quid multa? est ei oratio cibus, potus, exercitatio, voluptas, solatium, somnus, quies & omnia, neque se viuere existimat si vel minimùm ab orando desistat.

Apoc. 3. 1.

Sap. 4. 13.

Genes. 25. 8.

Sed quæ tandem videtur huiusce exercitij crebritas (vt ad propositum reuertamur) posse omnibus & singulis præscribi, vt nec ab occupatissimo quoque iure sit repudianda? dicam in hac quæstione quæ à sanctis didici. D. quidem Chrysostomus ita scribit, oportet singulis horis vnam precationem offerre Deo, vt orandi cursus diei cursum æquet.]

De orãdo Deũ lib. 1.

Quemadmodum igitur sol 24. horis diem peragit integrum, ita nos ipsius iter consectantes eiusque cursus mensuram ad vitæ nostræ regulam aptantes, in horas singulas

quibus vigil est animus, breuiter ad Deum aspiremus. Cuius quidem rei etiam ab ipsa horæ etymologia, causam atque inuitamentum humanus licet. Cùm enim hora ab Hebræo אור or ducatur, quod quidem lucem atque interdum solem significat à radice soni eiusdem אור or id est, illuxit, seu illuminatus est) quid à nobis hæc aliud exigit etymologia, quàm vt quauis hora, quod ipsamet A sonat hora, quodq; eius vi & notione cõtinetur, lucem nimirum ab ipso fontis luce, quippe tenebricosi, suppliciter postulemus, illa Dauidis vsurpantes identidem: Illumina oculos meos ne vmquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum. Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. Emitte lucem tuã & veritatẽ tuam. Sed quas ipse Chrysostomus? sui seu præcepti seu consilij, grauissimas adfert rationes; pretium erit operæ audire. Quemadmodum inquit, ciuitas quæ muris cincta non est, facilè venit in potestatem hostium, propterea quòd prorsus absit id, quo fuerat hostium incursus arcendus, sic & animam non munitam precibus, Diabolus facilè in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni genere scelerum implet. Nam primùm quidem ad animam precibus communitam

Lib. 2. de orãdo Deũ.

munitam non audet propiùs accedere, metuens robur ac fortitudinem quam illi deprecatio ſubminiſtrauit, magis vegetans animum, quàm cibus vegetat corpora. Ad hæc qui precantur ſeriò, non ſuſtinent quidquã admittere indignũ precatione, ſed reuerentes Deum, quicum modò collocuti fuerunt, citò repellunt omnem mali ſpiritus molitionem, apud ſe reputantes quantum ſcelus ſit, eum qui paulo antè cum Deo ſermonem miſcuerit, quique ab eo pudicitiam ac ſanctimoniam petierit, extemplò ad Diabolum deficere, fœdáſque voluptates in animum admittere, ac Diabolo prębere aditum in pectus, quod paulo antè Deus inuiſerit, ac dæmoniis concedere irruptionem in animas, in quas Spiritus ſancti gratia plurimam exercuit benignitatem ac ſolicitudinem. Hæc Chryſoſtomus.

Magna igitur omnino res eſt, multúmque expetendus horariæ huiuſce orationis fructus, qua & contra dæmonem præſidium, & aduerſus peccati genus omne validiſſima parantur arma.

Idem tria maximè tempora, horarúmque ſpatia vult oratione præmunita, matutinum ſcilicet, meridianum, ac ſolis crepuſculum. Dic mihi, inquit, quâ fronte ſolem intueberis niſi priùs adoraueris qui lumen illud dulciſſimum oculis mittit? quo pacto frueris mensâ Lib. 1. ſub finem.

mensâ nisi priùs adoraueris eũ qui tibi tantũ bonorũ largitur ac suppeditat? Quâ spe trades teipsum nocturno tempori, qualibus cũ insomniis putas tibi rem fore, nisi teipsum præmuniueris orando, sed incustoditus ad somnũ accesseris? Nimirum cõtemptibilem captuq; facilẽ teipsum præbebis sceleratissimis spiritibus, qui cõtinenter obambulãt obseruantes nos, vt si quem deprehẽderint nudatũ deprecationis præsidio, protinus abripiant: si nos cõspexerint deprecatione munitos, illico resiliunt non aliter quàm prædones ac facinorosi vbi cõspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. Quod si contingat aliquem esse nudũ deprecationis præsidio, hic auulsus deportatur à dæmonibus, & in calamitates variáque mala impellitur.

Lib. de perfectione vitæ c. 5.

His cõsentanea scribit Bonauentura in hęc verba. Quacunque hora lucratur homo oratione deuota plusquam valeat totus mũdus, quia tali oratione acquirit homo regnum cælorum, sed de harum emolumento latiùs infra dicendum erit.

Ac piorũ quidẽ numquã satis laudata consuetudo, quâ se audito horę pulsu cruce consignant, multũ fauet Chrysostomo ac Bonauenturæ: hoc enim factitant imitatione priscorũ, quorum idipsum more receptum erat: cuius rei sanè luculentum exstat monumentum in cõuersione sanctæ Afræ & Sociarum mar-

martyrum. Ego (ait ibi quidã Ethnicus ad S. Afram) cognoui eos (sanctos scilicet Narcissum & Fœlicem) serò ad te venisse, & scio quia Christiani erant, nam omni horâ signabant frontes suas signo crucis in qua Christus eorum passus est.] Porrò crucis formationem inter iaculatorias orationes referri nemo dubitare potest, ea quippe sanctissimę Trinitatis inuocatio vel expressa vel tacita continetur. Eâ palàm profitetur quis fidem se dare eidem Trinitatis mysterio, vt & admirandæ Verbi Dei incarnationi, Christiq; Domini passioni. Eâ testatur se credere in Ecclesia existere peccatorum remissionem, seque æternæ vitæ spe sustentari. Cùm igitur crucis signum plurimas, tum fidei, tum spei ceteratumque virtutum (vt fusè Gretserus noster) complectatur actiones, meritò ad aspirationes reuocandum. Lib. 3. de cruce c. 2. & 3.

Ad hęc Leo decimus Põtifex maximus mille dierũ condonationẽ indulsit pronũtiantibus in singulas horas Angelicam salutationẽ. Quod quidẽ nuperrimè instauratũ cõfirmatumq; à sanctissimo D.N. Paulo V. ita Lusitanorum animos ad Deiparæ cultũ accendit, vt omnibus summis iuxta ac infimis, omnique hominũ ordini solemne sit horæ pulsu audito, illico rebus vniuersis posthabitis, aliaque cogitatione, & actione omni posita Deiparam capite etiam detecto salutare.

Quod

Quod quidē ſibi vehementer placere non obſcuro argumento anno 1614. palàm fecit Deus Opt. Max. vt omnes intelligant quantū illi curæ ſit honor parentis ſuæ. Cùm enim Conimbricæ (ciuitas eſt Luſitaniæ imprimis nobilis, Doctorúmque domicilium) operiretur quidam certum hominem à quo capitali odio diffidebat, ſclopo inſtructus, vt tranſeuntem illum incautum transfoderet, cumq; is poſtquam ſibi viſus eſſet rectè collimaſſe (oculóque menſus eſſet tempus quo alteri opus eſſet vt vſque eo ambulando progrederetur, dum ei foret ex aduerſo) ſclopū diſploſiſſet, ignemque puluis concepiſſet, atque ex eo emiſſus globus magno fragore cōpleſſet omnia; mira res & ferè poſt homines natos inaudita: abiit homicida re infecta, atque in irritum omnes eius conatus cecidere: quòd alter audito horæ pulſu repentè conſtitit vt pro more Deiparam ſalutaret, nec ad eum loci pūctum pertigit quem ſceleſtus ille oculos deſignarat. An potuit Deus efficacioribus teſtatum facere argumentis, tum quàm capiatur matris ſuæ cultu, tùm quàm ab eo probetur horaria aſpiratio, & precatio? Scio equidē quàm plurimos vel hoc noſtro, vel patrum æuo frequentiores exſtitiſſe in hoc pietatis exercitio, at ea frequentia à nobis indicata eſt, ex ſanctis Patribus piorúmque conſuetudine, quæ cuiuis hominum ordini

dini

dini vsui esse possit. Qui autem id præstare volet crebriùs (quod quidem velle debent omnes) eo etiam is vberiùs eximiós qui ex diuino colloquio colliguntur fructus percipiat necesse est.

Adhæc, quæ de horaria aspiratione sunt allata, accipienda videntur de ea quidem paulò longiore, quaque mens exteriùs dissipata negotiis in sese colligatur, colligetúrque Deo, eique aliquantum adhæresçat, in eóque conquiescat nonnihil: breuioribus siquidem aspirationibus quæque momento ferè perficiuntur, pius quisque, horam quãlibet ac tempus omne quasi inferciet; ab iisque nullam eius partem abire sinet vacuam: quippe cui res omnis, quamlibet exigua, gradum faciat ad cælum, eumq; ad Deum quasi manu ducat.

Postremùm quemadmodum postquàm B. Pachomio Angelus orandi mensuram tum illi ipsi tum suis definiens, præscripsisset vt diurnæ orationes (inquit Hieronymus) duodecim fierent, & vespertinæ duodecim, totidémque nocturnæ, ac illi visum esset nimis exiguum Religiosorum perfectioni esse istum numerum, id responsi retulit ab Angelo. Has constitui quas possent infirmiores absque labore perficere; cæterùm qui perfecti sunt, hac lege non indigent. Apud se namque in propriis constituti cellulis orare non

De vitis PP. l. 1. c. 19.

non desinunt qui puritate mentis, & diuinâ contemplatione pascuntur. Hactenus Angelus ad B. Pachomium.

Sic quod à Chrysostomo Bonauenturaq; traditum de horaria aspiratione, id quidem cuiuis hominum ordini, conditioni, viribusque est consentaneum; potest enim quiuis dum id semel, intra horæ spatium si non crebriùs, at semel vtique ab humanis sese negotiis, ad seipsum, & ad Deum oratione reuocare; quamquam spiritualis, perfectionisque vitæ cultoribus, religiosisque vniuersis si ferat valetudo, non videatur intra hosce terminos consistendum.

CAPVT VII.

Vberior & magis practica explicatio eorum, quæ de horaria aspiratione dicta sunt.

LICET cuique sit integrum, de iis quas varias hactenus attulimus iaculatorias adhibere in horas singulas, non erit tamen abs re, si eas etiam quæ ab ipsa hora, eiusque fluxu ducuntur, atque ab iis quæ sacræ nobis litteræ, aut horæ, aut breuioris cuiusq; temporis mentione factâ, commendant vehementer, in medium afferamus. Et quamquam non omnes illæ quas subijciam possint

sint cuipiam videri propriè iaculatoriæ orationes, imò ne orationes quidem, meminerit is nos superiùs piam omnem, eamq; breuiorem in Deum motionem, affectionemque omnem, quæ ad eum, quoquo modo referri valeat, hac nomenclatura esse complexos. Non est autem assignata cuilibet è 24. horis diei naturalis sua iaculatoria, quod de ijs nocturna quies, minimùm septem, sibi iure suo, naturæq; necessitate vendicet: quem tamen vel noctu vigilare, vel tùm è somno euigilare contigerit, eas si videbitur, adhibebit, quarum vsu diurno maiorem tum fructum percepit, tum spiritualem oblectationem.

Atque secuti sumus tum hîc, tum in consequentibus, communem toti ferè Europæ horarum diuisionem ac mensuram, quæ horas æquales 12. numerat à meridie, vsque ad mediam noctem, totidémque hinc ad proximum meridiem: excepta Italia & Bohëmia, diem quæ definit ab vno solis occasu ad occasum alterius, indéque horas æquales numerat, priscorum Athenienſium æmulatione. Sed eas facilè fuerit ad nostras reuocare: quæque his aptantur aspirationes, ad illas etiam accommodare.

Primùm igitur experrecto (hora nempe quarta matutina, vnde & diei totius initium facimus) occurrat illud Apostoli (nisi quid habet Rom. 13. 11.

habet melius, hæc enim exempli causa tantùm, iuuandisque rudioribus afferuntur) Hora est iam me de somno surgere, nũc enim propior est mea salus, quàm heri quãdo me quieti dedi, vnam porrò noctem sum prouectus, eòque fini meo quam anteà propinquior. Surgam itaque qui dormiui hactenus, & exurgam à mortuis, & illuminabit me Christus. In matutinis meditabor in te Domine, quia fuisti adiutor meus: præueniam in maturitate, & clamabo, quia in verba tua supersperaui. Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.

Ephes. 5.14.

Isa. 26.9

Verùm vt sibi constet Asceta, nec aliud verbo, aliud re exhibeat, det se illicò orationi, quam etiam inter vestiendum adhibeat, illamque ipsam horam, adeòque diei totius facta, sermones, cogitationésque Deo repræsentet, vt ea ex vniuersa ita moderetur, dirigátque, vt maiori ipsius gloriæ obsequioque promouendo famulentur.

Hora quinta cogitet, indicatam quidé sibi ære campano hanc certam horam, horologium autem extare nullum, quo indicetur cuiquam mortis hora. Morte quidem nihil certius: statutum est siquidem omnibus hominibus semel mori, & post hoc iudicium, eius tamen hora incertius nihil. Dies Domini sicuti fur in nocte ita veniet. id autem maximè

Hebr. 9. 27.

2. Thess. 5.

ximè cauet fur, ne præuideri possit quando in expilandas ædes irrepturus sit. Arbitretur sibi dictum illud Christi. Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Matth. 24.42, 44. Estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus est. Vigilet itaque neque vllâ sit horâ securus, cùm nulla sit hora, imò ne horæ quidem momentum, quo sit mortis legibus solutus: neque sibi vesperam promittat: nemo enim est, quamuis sit adolescens, cui sit exploratum se ad vesperam esse victurum: neq; dicat hodie aut cras aut insequente hora, hoc aut illud faciam, qui ignorat (inquit Iacobus) quid erit in crastino: sit necne post horam superstes futurus. Quæ est enim vita nostra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Iac. 4. 14.

Hora sexta, quanti hac ipsa hora, orbe toto, variis casibus mortui improuisò? Sed quãti in infernum ruêre præcipites, qui dum moram faceret eorum Dominus venire, cœperunt percutere conseruos suos & manducare ac bibere cum ebriosis: At cùm venisset postmodum Dominus illorum in die qua nõ sperabant, & hora qua ignorabant, diuisit eos, partémque eorum posuit cum hypocritis, vbi erit fletus & stridor dentium. An mihi non potuit idem accidere? potuit vtique. At pretiosa fuit anima mea in conspectu tuo Domine: Quapropter confitebor tibi in toto Matth. 24.48.

corde meo,& glorificabo nomen tuum in æternum: Quoniam misericordia tua magna
Psal. 85. est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Hora septima. Quam multi, fluente sensim hora sequente, soleque pedetentim sese supra horizontem efferente, fluent pariter & ipsi, defluentque ac descendent in mortem. Cùm semel enim (vt præclarè S.
Lib.2. de voc. gent.c. 21.22. Prosper) in naturam nostram per peccatum ingressa mortalitas est, obnoxium sibi omnè vitæ nostræ fecit diem. Hi tamen ipsi, vt & tu fortasse,multos sibi vitæ bene longæ promittebant annos: at repromissio nequissima (eheu!)multos æternùm perdidit.Iterum atque iterum siquidem sapis, caue ac prouide
Hier. 2. 24. ne ea te item perdat. Vide ne inueniat te Deus in menstruis tuis, in fœditatibus,in facinoribus tuis.

Hora octaua. Puta his vndique circumsonare aures tuas Sapientis vocibus, quibus quidem ad seriam conuersionem inuitaris. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet
Eccl.5.8 ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Quasi dicat vel hac ipsa horâ redi ad cor ô prævaricator, peccata tua defle, præterita plange, futuris prouide: neque verò dicas vt
In psal. 144. præclarè monet August.cras me conuertam, cras Deo placebo,& omnia hodierna & hesterna

sterna remittentur mihi. Verum quidem dicis, quia Deus conuersioni tuæ indulgentiã promisit, sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit. Quibus adde, imò ne sequentem quidem horam & quæque iam in fluxu est, promisit.

Hora nona. Si in tempore conuersionem meam negligo, hancque ipsam horã qua me ad se Deus varijs reuocat modis & vocibus surdâ aure prętereo, magnoperè mihi sanè timendum est, ne postea obsurdescat & ipse ad clamores meos, meque planè deserat, atque improperando intonet lugendum illud: Vocaui & renuisti, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexisti omne consilium meum, & increpationes meas neglexisti. Ego quoque in interitu tuo ridebo, & subsannabo, cùm tibi id quod timebas acciderit. Tunc inuocabis me, & non exaudiam, manè consurges & non inuenies me. Prou. 1. 24.

Iustum vtique supplicium, vt qui placere Deo cùm possint, nolint; cùm velint, serò non possint. Greg. p. 3. past. admon. 13.

Hora decima. Quantò mercarentur damnati vel vnicum vitæ momentum (quæ quidem habes plurima in potestate tua) si in eo scelerum suorum possent pœnitudine duci, seque inferni pœnis eximere. Verùm nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quò tu properas. Atque

à mortuo quasi nihil perit confessio. Quare
Eccl. 9. 10. 11. 3. quodcumque potest facere manus tua, instanter operare. Si enim ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi æternùm erit.

Hora vndecima. Vide quęso quemadmodum vitæ tuæ particulâ fluente horâ, fluxit item & ipsa. Cogita fluxuram & aliam (ni antea occidat) fluxu insequentis, atque ita te
Lib. 2. de voc. gent. c 21. 22. continuò mori. Sicut enim (ait Prosper) vitæ huius principium, mortis est exordium; ita vitæ progressio, mortis est progressio. In singulas non horas modò, sed & momenta moreris; quouis etenim momento demitur vitæ pars aliqua, & tum quoque cùm crescis, vita decrescit. Ad hoc vsque punctum quidquid temporis transiit, periit, & hoc ipsum quod agis vitæ punctum, cum morte diuidis. Quemadmodum clepsidram
Epist. 24. (vt scitè Seneca) non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid antè defluxit, sic vltima hora, quâ esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. Caue igitur mortis memoriam, quam obis semper, deponas vmquam. Et quoniam ea tibi semper adest, fac vt eius item cogitatio à te non recedat. Maturè præpara quæ in eam tibi horam vsui esse poterunt. Memento mori; Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

Hora

Hora duodecima. Medio iam decurso die, soleque meridiem ingresso, pone breuiter cor tuum super vias tuas, easque scrutare diligenter. Expende quomodo matutinũ tempus à te expẽsum. Si bene, gaude, Deoq; gratias habe: sin minus, dole, ac voue meliora. Cogita tibi neminem quæ iam fluxerũt redditurum horas: nemo iterum te tibi reddet. Ibit quâ cœpit ætas, nec cursum suum aut reuocabit, aut sustinebit, nec te admonebit velocitatis suæ; tacita labetur. Itaque si sapis, saniora propones, efficiesque vt pomeridianis horis (si eas quidem te viuere patiatur Deus) fœlicius actis, non te, cùm ad vesperam ad te ipse reuocabis, temporis malè absumpti pudeat, pigeatque. Cogitabis præterea quàm multis occidet hic sol ante occasum, quamq; innumerabiles mortales ad eã vesperam non pertingent. Deumq; precaberis vt si tibi contingat idem, non occidat saltem tibi sol iustitiæ, neque supremâ horâ illa repertus sis in tenebris, & in vmbra mortis.

Atq; vt à subtristioribus hisce cogitationibus respires nonnumquam, erige hac horâ animum ad ipsius fontem lucis, ad Deum inquam solem verum qui semper in meridiano suo constitutus consistit immobilis, neque ascendit, neque descendit vmquam, semper vnus, semper idem, nullâ vicissitudine mutabilis, nullâ mutatione varius, nec solis nec lu-

næ vicibus obnoxius constans esse suum tuetur & continet, stabilisque manens dat cuncta moueri. Illum tu suspira diem, quo ei adhærescens mutabilitatis omnis expers, idem eris semper vnusque, quando nec deficient anni tui nec capient incrementum: quando florenti tuæ ætati sensim siue sensu tacita non obrepet senectus, quando immutabili Deo æternùm coniunctus, omnem ignorabis mutationem, quando mortale hoc induerit immortalitatem, atque temporale in æternitatem, vmbraticumque in veritatem transierit. O fœlix dies illa nimiumque fœlix, quâ mihi ad cælestem Ierusalem aditus patebit! vbi sibi constant vniuersa, & permanent.

Auguſt. medit. c. 26. Hyems horrens, æstas torrens illic numquam sæuiunt:

„ Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum:
„ Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsa-
„ mum:
„ Virent prata, vernant sata, riui mellis in-
„ fluunt:
„ Non alternat luna vices sol vel cursus sy-
„ derum,
„ Agnus est fœlicis vrbis lumen inoccidnum.
„ Nox & tempus desunt ei, diem fert conti-
„ nuum.
„ Absunt morbi semper sanis, senectus iuue-
„ nibus,

Hinc

Hinc perenne tenent esse, nam transire „
transiit. „
Inde virent, vigent, florent, corruptela cor- „
ruit, „
Immortalitatis vigor, à morte ius omne tu- „
lit. „
Non dubito fore cui hæc, vt & quæ superiùs & quæ postmodum afferentur longiora videbuntur pro iaculatoriis. At non est id quidem necesse vt in singulas vices, ea adhibeantur omnia, sed aliàs hæc, aliàs illa, vt cuique visum erit.

CAPVT VIII.

Superioris capitis prosecutio.

HORA I. à meridie perpendam mihi fortè hac ipsa horâ moriendũ. An paratus sum anteactæ vitę rationem reddere exigenti Deo? Sponsus venit, eique procedendum obuiam, num renes castimoniâ præcinctus? Num ardentes in manibus lampades? Num instructæ, atque ornatæ? num bonorum operum oleum in vasis? At vbi vestis nuptialis, ac dignus tanto rege ornatus cultusque? Matth. 25. 4. Matth. 22. 11.

Hora II. quamquam nihil omnino mihi fortè sum conscius, non eò tamen iusti-

Iob. 27. 6. ficatus sum, qui enim iudicat me, Dominus
Iob. 9. 21 est: licet non me reprehendat cor meum in omni vita mea, licet simplex sim, hoc ipsum ignorat anima mea. Planè nescio, vtrum amore an odio dignus sim, sed omnia in futurum seruantur incerta. Me fugit simnè de ouibus an de hædis, zizaniáne an triticum. Satagendum itaque mihi vt per bona opera, certam meam vocationem faciam & electionem.

Hora III. Quamquam mihi exploratum foret qualis sum modò, diuinaq; didicissem reuelatione, me hâc ipsâ horâ Deo esse charum & acceptum; quis se vadem præstiterit in ea me amicitia perseueraturum. Qualiscumque modò sim, quis post horam sum futurus quis tãdem sciat? An non exiguis momentis, vt præclarè Ambros. mẽs inclinatur
1. 4. in Lucam. humana, & huc atque illuc pro astutia suadentis frequenter impellitur? An non monet
1. Cor. 10. Apostolus, vt qui se existimat stare, videat ne cadat? Et vt timeamus, ne fortè relictâ
Heb. 4. pollicitatione introeundi in requiẽ eius, existimetur aliquis ex nobis deesse? Quoniã
Apoc. 3. verò spectat illud Ioannis nisi hanc naturæ humanæ mutabilitatem? Tene quod habes,
Prou. 27 vt nemo accipiat coronam tuam? Quò illud sapientis, Ne glorieris in crastinum, nescies quid superuentura pariat dies? Audiam igitur psalmistam, seruiamque Domino in timore

more, & exultabo ei cum tremore, nequando iraſcatur Dominus, & peream de via iuſta. Firmiſſimèque tenebo illud Auguſtini: Nemo ſecurus eſſe debet in hac vita, quæ tota tentatio nominatur, vt qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Vna ſpes, vna fiducia, vna firma promiſſio miſericordiæ tuæ Domine. Pſal. 2. I. 10. cõf. c. 32.

Hora IV. Si proſpicis ô Deus meus, fore mihi anſam ad peccandum, longioris vitæ moram; rape me, quæſo te, in hac ipſa hora, ne malitia mutet intellectum meum, aut ne fictio decipiat animam meam, ne faſcinatio nugacitatis obſcuret bona, & inconſtãtia concupiſcentiæ tranſuertat ſenſum ſine malitia. Propera me educere de medio iniquitatum, placitaque ſit tibi anima mea, vt conſummatus in breui expleam tempora multa. Contrà verò ſi meæ vita longior ſaluti expedit, eius oro te profer terminos. Adde annos 15. (quod quidem à te olim indultum Ezechiæ) vel eo etiam plures ſi molliendo ferreo cordi meo totidem ſunt neceſſarij. Ne quæſo, ne reuoces me in dimidio dierum meorum, ne ſim ſicut viri ſanguinum & doloſi, quorum ob ſcelera, dimidiantur dies. Sap. 4. 12. Iſa. 38.

Hora V. Diſpone, ô anima mea, domui tuæ, hâc enim ipsâ horâ morieris tu, & non viues. Iſa. 38.

Hora VI. Finis venit, venit finis, numerauit Dan. 5. 26.

uit Deus dies tuos, & compleuit illos. Vtinam ne dicatur, Appensus es in statera & inuentus es minus habens.

Eccl.38. Hora VII. Occurrat illud Sapientis: Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum. Mihi heri & tibi hodie. Puta tecum ita loqui defunctum aliquem. Memento conditionis meæ, quam Dei iudicio atque decreto subire debui; talis enim erit & tua, cùm Deus ita de te fieri iusserit: qualeque in me exercuit iudicium; idem in te exercendū est aliquando. Neque verò illud in multos differendum annos stultè promittas: quod heri mihi accidit, id ipsum tibi hodie expectandum est: Quilibet enim dies imò hora etiam, tibi suprema esse cur non possit?

Hora VIII. In vesperrini punctis examinis, sit hoc vnum. Stulte qui dixisti animæ tuæ: Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare, ecce hac nocte animā tuam repetunt à te, & quæ parasti cuius erūt? Cuius erit domus hæc, quam ędificasti in sanguinibus & in iniustitia? Cuius autem erunt diuitiæ quas congregasti in malum domini sui? Cuius diuitiæ quas fecisti & non in iudicia? Cuius aurum & argentum? cuius thesauri iniquitatis, merces operariorum defraudata? vita, panis, sanguisque animarum pauperum? cuius erunt villæ possessiones

Luc. 12. 18.
Abac. 2. 12.
Hier. 22
Eccles. 34.
Hier. 2.

nes, horti, agri, expilationibus, furtis, rapinis, terminorum quos posuêre patres tui translatione, vi, dolo malo, staterâ iniustâ, pondere & pondere, pauperumque oppressione parti. Quæ tanto tibi labore, sumtu, operâ, angoribus, cruciatibusque tum diurnis tum nocturnis iam annos multos parasti, qualiacumque sint ea, cuius erunt tandem? Tua certè non erunt, quia nihil intu- 1.Tim. 6.7.
listi in hunc mundum, haud dubium quòd Iob.1.
necauferre quid poteris. Nudus egressus es de vtero matris tuæ, & nudus reuerteris illuc. Cùm interierit homo, non sumet omnia neque descendet cum eo gloria eius.

Tua certè non erunt, siquidem terrena Psal.48.
sunt & fugientia, quæ nec te comitabuntur, neque tibi proderunt in hac die vltionis, neque aliud hinc asportaturus sis tecum, præter facta tua, bona ea sint, aut mala. Opera enim illorum sequuntur illos. Cuius erunt igitur terrena hæc? Thesaurisasti miser, & ignorasti cuinam ea congregâris. Re- Psal.48.
linques alienis diuitias tuas. Aliis congregasti & in bonis tuis luxuriabuntur. Scruta- Eccles. 14.2.
bitur fœnerator omnem substantiam tuam, & diripient alieni labores tuos. Hæreditas tua, vertetur ad alienos & domus tua ad extraneos.

Si religionis votis es obstrictus, quæ pa- Ps.108. Thren. 5.2.
rasti cuius erunt? Varia eruditio multarumque

que rerum in omni scientiæ artisque genere cognitio, quam sibi orationis neglectu, obedientiæ violatione, officiorum charitatis in proximum omissione, rerumque diuinarum incuriâ comparasti fortè, cuius erunt? Quid ijs fiet tandem? cui bono erunt? Quid profuerit extremâ horâ illâ litteratum fuisse, acutum philosophum, eximiũ Theologum, insignem concionatorem, animumque varijs tum naturæ tum artis dotibus ornatum excultúmque habere; si is à charitate, ab humilitate, à paupertate, cæterisque dignis religioso virtutibus inops sit & egens.

Hora IX. Quoniam est somnus, expressa imago mortis, eamque scriptura etiam sacra somnum vocat, idcirco horam illam, quâ se Asceta dabit quieti, cogitabit sibi fore supremam: quare ita se comparabit pro ratione temporis, tamquam verè moriturus. (Ecce (inquiet sibi ipse) hæc tibi hora vltima diei & verò vitæ vniuersæ. Ecce mors tibi in ianuis: demigrandum tibi de corporis domicilio, & hac quidem hora, neque tibi concedentur induciæ vsque manè. Quisquis id sibi certò persuaserit, is sanè alio non eget monitore. Tam salutaris cogitatio, impressusque animo metus, eas secum deferet orationes iaculatorias, quæ ei rei & tempori congruant maximè.

Hactenus de iis orationibus quæ ab ipsius horæ

horæ fluxu, cæteriſque eôdem pertinentibus deſumptæ ſunt. Et licet cuilibet è dictis horis, ſua ſit aſſignata iaculatoria, cuique tamen eſt integrum, quod vni horæ eſt tributum, transferre in alteram: Atque iis imprimis quorum degendæ vitæ ratio, manifeſtè poſtulat aliud, vt qui religioſi, noctu Dei canendis laudibus more maiorum inſiſtunt.

Et quoniam traditum eſt ab Aſtrologis, ſingulis diei horis, ſingulos etiam dominari ac præeſſe planetas, modò Saturnum, modò Iouem, aut aliquem alium de ſeptem non re ſed vocabulo errantibus; poterit item Aſceta, ſingulis etiam horis aliquem è Diuorum numero præficere, vel eundem omnibus. Exempli cauſa, illum cui quidem is dies, Eccleſiæ inſtituto ſacer eſt id enim parum intereſt, modò id fructuosè fiat.

Atque extremum illud in hoc genere moneo, quod ſi cui ſæpius in ipſa hora ad Deum libebit aſpirare, habet is in ea ipsâ horâ quã ſequatur regulam ſeu menſuram. Quemadmodum enim ex Aſtrologorum ſenſu, quauis hora, Æquatoris, ſeu circuli Æquinoctialis, gradus quindecim emergunt ſupra horizontem, ſic licebit ei horam quamlibet in partes totidem partiri, atque vnicuique gradui, ſuam adſcribere precatiunculam, quam ipſam ne à gradibus abeamus, poterit è pſalmis gradualibus, quos cantica graduum

vocat

vocat eorum auctor, qui & sunt numero 15. desumere. Canebantur autem ij singuli vt multis placet ad singulos templi gradus, qui erant item 15. tamquam in vmbone & suggestu, atque ideo graduales dicti, vel potius, quod visum est Genebrardo: ij psalmi, sunt precationes & consolationes de ascensionibus, siue liberationibus populi Israelitici ab exilio & captiuitate. Quæ quidem typus erant reuersionis nostræ in cœlum, ex hoc longè miserrimo vitæ ergastulo.

Gradus verò quibus eò reditur, hos quidem 15. facit Genebrardus. Primus est afflictio: secundus prospectus ad Deum: tertius lætitia communionis: quartus inuocatio: quintus gratiarum actio: sextus confidentia: septimus patientia & exspectatio diuinæ liberationis: octauus Dei gratia & fauor: nonus timor Domini: decimus martyrium: vndecimus peccatorum detestatio: duodecimus humilitas: decimus tertius Christi aduentus desiderium: decimus quartus, concordia & charitas: decimus quintus assidua Dei benedictio. Ex quibus licebit Ascetæ, hora qualibet quindecim ducere precationes iaculatorias, iisque sese Æquatoris instar ab horizonte, atque à terra, humanisque rebus sublime ferri, ascensioneſque in corde suo in hac valle lachrymarum disponere, itaque de virtute in vir-

virtutem ire, vt videat tandem Deum Deorum in Sion.

Si cuipiam hæc ſubtilioris videntur conſiderationis, ducat is orationes ſuas à quindecim roſarii myſteriis, quæ quidem à gaudio, à dolore & à gloria nũcupantur, in iiſq; ipſis eximia aliqua aut Chriſti Domini, aut B. Virginis Mariæ, virtute menti breuiter propoſitâ, eam ipſam ſupplex à Deo poſtulet. Et ne faſtidio ſit ei in eodem ſemper verſari: habet arcam quæ cubitos 15. eleuabatur ſupra montes, quibus quidem cubitis ſignificatum eſt (ſi Ambroſio credimus) myſteria reſurrectionis in veteri & nouo teſtamento contenta ſuperare mentes etiam intelligentium & ſuperborum. Habet feſtum tabernaculorum quod decimo quinto celebrabatur die, quo quidem myſticè, innuitur perſeptenarium vitæ actiuæ & temporalis, & octonarium contemplatiuæ ad cæleſtis quietis templum aſcendendum. Ex quibus tum vniuerſis tum ſingulis facile eſt, eadem etiam ſeruata numeri decimiquinti ratione, varias pro cuiuſque affectu & ſenſu elicere iaculatorias.

Gen. 7.

Epiſt. 76

Gloſſ. interl.

V CAPVT

CAPVT IX.

Alia quædam ratio horariæ Orationis ex Christi passione deprompta, quâ singula suis quæque horis in ea gesta redduntur.

QVONIAM ex omnibus, in quibus potest versari oratio, ea est maximè fructuosa, quæ de Christi Domini tum morte (præcipuo vtique diuinę charitatis inuitamento) tum ijs, quæ eò spectant instituitur; visum est seorsum (quantum quidem licuit) quæ ab eo potissimùm sub mortis tempus, facta dictaque sunt, quæque ipse perpessus est, suis vt quæque contigerunt horis reddere. Et quamquam eorum omnium & singulorum non possit definitè distinctèque quâ peracta sunt horâ designari (quæ neque à sacris quidem scriptoribus est notata, contentis eâ ferè per, quasi indicare) id satis erit, vt circiter illud tempus contigisse dicantur. Neque verò distincta determinataque puncti temporis illius cognitio, magnoperè facit ad fructum qui quæritur pietatis ac deuotionis. Bipartitò autem sunt à nobis horæ diuisæ: altera quidem pars ea complectitur mysteria, quæ vel paulò passionem antecessêre vel consecuta sunt, vel eius ipsius tempore

pore contigêre, certamque ferè habent horam. Altera verò particularibus quibusdam perpessionibus, nulla, quo contigerunt, temporis habita ratione tribuitur. Et quoniam hoc loco non damus commentarium rerum à Christo gestarum, nemo hîc exspectet rationem, cur hoc quidem huic, illud vero tempori alteri adscribam potissimùm: isque teneat me in iis vel sacras litteras ipsas, vel probatos earum interpretes, duces sequi ac magistros.

Id etiam erat præmonendum, Iudæorum horas, quas quidem à nostris longè discrepare nemo ignorat, in gratiam pij Ascetæ ad nostras fuisse reuocandas. Inchoabimus autem à vespera quæ passionis anteceſſit diem.

Itaque à VI. ad VII. feriæ quintæ maioris hebdomadæ, recumbit Iesus cum discipulis suis ad esum Agni paschalis, surgit à cœna, lauat 12. Apostolis pedes.

A VII. ad VIII. corpus & sanguinem dat in cibum & potum, instituit augustissimum Eucharistiæ Sacramentum ac sacrificium. Apostolos initiat Sacerdotio.

Ab VIII. ad IX. bene longam habet concionem, quâ discipulos tum blandè solatur, tum in fide roborat, ijsque ipsos Spiritum sanctum pollicetur.

A IX. ad X. Hymno dicto dat se in viam torrentem Cedron versus, locumque pas-

sionis. De mutua Apostolorum inter se charitate multa differit.

A X. ad XI. In horto Gethsemani orat vt transeat à se hora passionis, si ita quidem fert Dei voluntas, cui se planè subijcit, contristatur, mœretque vsque ad mortem.

Ab XI. ad XII. Post orationem venit ad discipulos, ijsque blandè reprehensis quòd dormirent, refert se iterum ad orationē, excusatque eorum infirmitatem. Inter orandum sanguis copiosè ei fluit è toto corpore, quo in cruciatu & agonia, solatur eum Angelus quispiam è cælo delapsus.

A XII. ad I. In eum injciunt manus Iudæorum satellites, arctè vinciunt ne diffugiat, à discipulis deseritur.

A I. ad II. ad Annam ducitur, vbi multis interrogatur de discipulis & de doctrina sua, ibique impactus ei colaphus.

A II. ad III. Ab Anna ad Caypham raptatur, varij in eum producuntur falsi testes, pronuntiaturque reus mortis.

A III. ad IV. Illuditur à viris qui tenebāt illum, cæditur, facies ei velatur, percutitur, irrisoriè interrogatur vt prophetizet quis eum percusserit.

A IV. ad V. Eadē ferè patitur quæ hora superiore, quibus accessit Petri negatio, quæ quidē Christi Domino lōgè acerbissima accidit.

A V. ad VI. Iterum concilium cogitur à prin-

principibus sacerdotum aduersus Iesum, constituunt eum tradere Pilato.

A VI. ad VII. Apud eum falsò accusatur. Varia ab eo quærit præses, quibus nihil respondet.

A VII. ad VIII. Mittitur à Pilato ad Herodem, à quo illusus veste albâ induitur.

Ab VIII. ad IX. Examinatur iterum à Pilato, à quo, licet in eo nulla inuenta mortis causa, post habetur tamen Barabbæ seditioso & homicidæ.

A IX. ad X. Exuitur vestibus suis, direque flagellatur.

A X. ad XI. Corona spinea redimitur; varièque illuditur & affligitur. Producitur à Pilato in conspectum populi his verbis; *Ecce homo*, vt conspecto eo tam immaniter dilaniato, hac satiaretur pœnâ, at postulat illum ad crucem.

Ab XI. ad XII. Pilatus tandem fert in eum crucis sententiam, quam & ipse suis baiulat humeris ad locũ supplicii extra Hierusalem.

A XII. ad I. In medio latronũ duorũ crucifigitur, milites inter seipsi vestes eius partiũtur, fiunt tenebra super terrã vniuersam. Patrem orat, vt iis qui se crucifixerãt, dimittat.

A I. ad II. Latroni pœnitenti paradisum eo ipso die pollicetur. Virgini matri, dilectum sibi discipulum, atque huic illam vicissim commendat.

A II. ad III. Queritur se à patre derelictum. Sitim suam declarat, acetoque potatur.

A III. ad IV. Palam edicit ea omnia à se consummata perfectáque ob quæ in mundum venerat, atque spiritu suo in patris manus commendato, eum emittit. Fit terræ motus: velum templi scinditur in duas partes à summo vsque deorsum, petræ scinduntur, monumenta aperiuntur, multa corpora sanctorum qui dormierant, surgunt.

A IV. ad V. Impius miles lancea latus ei aperit, vnde manat sanguis & aqua. Centurio eum fatetur Dei filium. Redit turba à monte Caluariæ Hierusalem, percutiens pectora sua. Ioseph adito Pilato petit & impetrat corpus Iesu.

A V. ad VI. Ioseph vnà cum Nicodemo illud de cruce deponit, inuoluit Sindone, atque sepelit aromatibus condîtum. Atque hęc de iis mysteriis passionis, quibus stataæ ferè, certęque possunt horæ tribui; sequitur vt ad varietatem (quæ quidem actionem languere non sinit) & ad frequentius Christi Domini cruciatus grato animo recolendos, in quibus & vita, salus & resurrectio nostra, rationem alteram eos ipsos memorandi proponamus.

CAPVT

CAPVT X.

De particularibus Christi perpessionibus ad horarias aspirationes accommodatis.

CVM Christi Domini Seruatoris latissimè pateant cruciatus, siquidem nihil illi in ratione doloris defuisse traditur à sacris doctoribus, visum est, nō ipsos quidem vniuersos, quoniam infiniti sunt, partiri (voluntate magis quàm certa ratione) in horas singulas, facto ab iis initio qui interiora magis spectant. Itaque vt à meridie inchoëmus. D. Th. 3. p. 4. 46. a. 5.

Hora XII. cogitabit Asceta, quantum passus animo sit Christus Dominus, tœdio, timore, tristitia & dolore: dolebat autem vehementissimè, primùm de peccatis totius humani generis, quæ vniuersa erat passione sua expiaturus, eorumq; pœnas exoluturus; disciplina enim pacis nostræ super eū, eiusque liuore sumus sanati: hinc factum vt ea sibi ipse quasi ascriberet, iuxta illud Dauidis: longè à salute mea verba delictorum meorum. Excessit autem hic Christi dolor, dolorem omnem cuiuscumque contriti, quandoquidem & ex lumine maiori, charitateq; proficiscebatur, & de mortalium vniuersorum dolebat peccatis, iuxtà illud Isaiæ. Verè Psal. 21. cap. 53.

dolores noſtros ipſe portauit, & languores noſtros ipſe tulit.

Hora I. Cogita huic eidem dediſſe dolori cauſam; incredulitatem caſumque delecti ſibi populi gentiſque ſuæ, aliorumq; qui morte eius ſcandalum paſſi, ipſius deſeruêre ſigna, potiſſimúmque diſcipulorum, quos tam arcto ſemper erat amore complexus.

Hora II. Ad hæc doluit etiam de iactura vitæ ſuæ & de morte, quam quidem fortiſſimus quiſque, naturæ inſtinctu reformidat. Fuit autem Chriſti Domini tam digna vita, tantique pretij, maximè ob diuinitatis coniunctionem, vt de ea vel ad horam tantùm amiſſa multò eſſet dolẽdum acerbiùs, quàm ſi periret orbis vniuerſus. Quantum te igitur amauit, qui causâ tuâ rei tam præſtantis paſſus eſt diſpendium: quod idem tibi reuocat ipſemet in memoriam. Dedi (inquit)
Hier.12. dilectam animam meam in manibus inimicorum eius.

Hora III. Cogita nullum Chriſti tui ſenſum dolorum expertem fuiſſe. Ac primùm quidem quàm ei fuerit acerbum matrem intueri, quam quidem tenerrimè diligebat, vt & diſcipulum virginem, flentes iuxta crucẽ. Pias item mulieres quaſdam, eius veſtigia ad ſupplicij locum conſectantes.

Hora IV. Quibus potuit excipere auribus irriſiones, ſannas, blaſphemias, maledicta, impias

impias voces hostium suorum, quos quidem in omni vita sua tot beneficijs cumularat.

Hora V. Quàm fuerit ei grauis fœtor cadauerum, quorum Caluariæ mons plenus erat. Sed quàm multò tulerit grauiùs fœtorem peccatorum, qui quidem à fœtentibus Iudæorum animis efflabatur.

Hora VI. Perpendes amaritudinem tum vini myrrhati, tum fellis & aceti, quibus sub mortem potatus.

Hora VII. Quomodo à planta pedis vsque ad verticem capitis laniato & excarnificato, nullus omnino, sensui tactus reliquus fuerit locus dolore vacans.

Hora VIII. Cogitabis quàm fuerit vniuersalis omnium ordinum, omnisque generis hominum in Christum conspiratio, siquidem passus est à Iudæis atque ethnicis. A maribus & fœminis, quod patet ex ancillis, quarum occasione Petrus ab eo defecit.

Hora IX. A principibus & à vulgo iuxta illud. Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania? A familiaribus & notis, ab impio Iuda eum prodente, à Petro cæterisque eum deserentibus. Psal. 2.

Hora X. Cogitabis nihil esse in quo non sit passus facta collectione eorum omnium in quibus soliti sunt homines pati: ac primum quidem in amicis: qui cùm ei adhærescerent antea, ab eo sub mortem defecerũt.

Hora XI. Tum in fama per detractiones.

Hora XII. In honore per conuicia, eiluce palàm præsentiqúe irrogata.

Hora I. In rebus, quia pauculis etiam ijsque vilibus est per summam impietatem vestibus spoliatus.

Hora II. In anima per tristitiam & timorem, quod quamquam est superius dictum, numquam neque dici neque cogitari potest satis.

Hora III. In corpore, quod vniuersum, vt alios taceam cruciatus, flagellis discissum dilaceratumque fuit.

Hora IV. Et deinceps cogita sigillatim Christi Domini vulnera, quamque ei fuerit acerba id generis mors, quippe cui partes illæ quæ neruis abundant maximè, atque ob hanc ipsam causam acutissimè sentiunt, confixæ sunt, manus: scilicet & pedes. Tum ipsum pendentis eius è cruce corporis, tribusque dumtaxat fulti clauis pondus, deorsum versus tendens, continuò dolorē acuebat. Accedebat denique doloris diuturnitas, id est lentæ mortis eiusque immanissimæ cruciatus longus, neque enim conficiūtur statim, cruce confixi. Tu mente ingredere in hæc vulnera, ea numquam relicturus, puta tibi dictum illud; sponsa mea in foraminibus petræ; in cauerna maceriæ. & illud prophetæ; Ingredere in petram & abscondere

dere in fossa humo à facie timoris Domini, Isa.2.10.
& à gloria maiestatis eius. Erinaceus es spinisque peccatorum horridus & aculeatus, atqui petra refugium erinaceis. Principiò quidem occurrat dexteræ vulnus, in quod ingressus cogitatione postulabis vt & sanguine qui inde manat, sordes tuas, eluat, & vt in prosperis ne insolescas.

Hora V. Vulnus leuæ ingressus, vsurpabis illud Dauidis, Asperges me Domine hyssopo & mundabor, lauabis me & super niuem dealbabor: petesque vt in aduersis rebus ne animo concidas.

Hora VI. Pede dextro absconsus à facie iræ furoris Domini, postulabis vt affectus tuos omnes (quorum quidem pedes symbolum existunt) ita regat moderetur que, vt rationi, diuinæque legi perpetuò se præstent obsequentes.

Hora VII. Pedis sinistri apertura hiatuq; receptus enixè postulabis perseuerantiam in via mandatorum Dei, vt nihil te ab ea decurrenda, percurrendaque ad extremum vsque vitæ spiritum, quouis modo impedire valeat.

Hora VIII. Ingredieris vastam illam maceriæ cauernam Christi, inquam, perfossum latus, vnde tibi ad cor eius amore tui ęstuans patet aditus. Ibi ea loqueris, quæ spiritus suggeret: efflagitabisque vt te feruentissimo amoris

amoris ſui igne ita incendat, vt aliud nihil præter ignem ſpirare videaris.

Ad ſingula etiam hæc vulnera quinque, pete vt te ſecum pariter vulneret & configat, nec velle te viuere ſine vulnere, ipſo tam dirè vulnerato: futurum alioqui, hoc maximum tibi vulnus, ſi ſine vulnere viuere contingat. Et quemadmodum tribus ipſe clauis cruci eſt confixus, non illis quidem ferreis tantum, ſed multò magis clauis amoris, obedientiæ, atque zeli animarum, nihil enim ſine his potuiſſent illi, ſic & ſe tribus hiſce configat vehementer ac profundè, vt & tu cum Apoſtolo gloriari poſſis ac prædicare. Chriſto confixus ſum cruci: Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.

Hora IX. Cogita nullum vmquam ita doluiſſe vehementer atque Chriſtum Dominum, ſeu corpus eius, ſeu animum ſpectemus: Ac corpus quidem perfectiſſimâ erat conſtitutione, vtpote ſancti Spiritus operâ fabricatum, eòque factum vt in eo vigeret maximè ſenſus tactus, ex cuius perceptione conſequitur dolor. Ipſius verò animus perfectiſſimè complectebatur cauſas triſtitiæ omnes & ſingulas: quas ſuperius attigimus.

Id facit etiam ad magnitudinem dolorum Chriſti, quod eos ſponte ſuâ ſuſceperit ob hunc finem, vt ſcilicet mortales à peccati liberatos tyrannide, in veram libertatem

tem assereret. Eò factum vt eam assumpserit doloris mensuram (si immenso dolori mensura est vlla) quæ consequentem inde fructum, qui quidem fuit infinitus, exæquare posset.

Hora X. Perpende quàm puri fuerint Christi dolores, omnisque omnino consolationis expertes. Siquidem in cæteris hominibus mitigatur dolor tum interior tum exterior, rationis vi & cogitatione, quod quidem perficitur quadam redundantiâ & deriuatione à superioribus animi viribus ad inferiores: quod sanè in Christo locum non habuit, quippe qui, vnicuique facultati id permiserit agere, quod cuiusque naturæ consentaneum est : vt præclarè Damascenus. l.3. c.15. fid. Orth.

Hora XI. Et vltima. Cogita immensam eius charitatem, quâ effectum, vt licet minimo suo dolore, (imò ne dolore quidem, at aliqua animi sui actione summa cum voluptate coniuncta) potuerit humanum genus vniuersum redimere; voluerit tamen tot tamque immensos ac diuturnos tum animâ tum corpore toto perferre dolores, vt verè vir dolorum & sciens infirmitatis à quodam propheta dictus sit.

Atqui hæc de Christi passione in horas distributa voluntate potius quã certo iudicio: quare cuilibet licebit, si ita visum fuerit, quæ vni

vni data sunt horæ, accommodare ad alteram. Cui hæc non sunt satis, addat etiam passionis circumstantias, consideretq; quis patiatur, quid & quantum, quâ patientiâ, animiq́ue fortitudine, quamobrem, pro quibus, & cetera generis eiusdem. Poterit etiam Christum sibi proponere cruci affixum, modo Sacerdotis fungentem officio, seq́ue ipsum ęterno patri acceptissimum holocaustum immolantẽ: modò doctoris, è regia illa cathedra non verbo at re virtutem omnem perdocentis; aliâs iudicis pœnitentem latronem remunerantis, impium verò æternæ morti addicentis.

Tandem ad varietatem cogitabit quàm perfectè capitalia vitia septẽ pro contrariis exhibitis virtutibus, in cruce expiarit, vt profunda sua humilitate peruicacem mortalium superbiam: Atque sic de cæteris. Iaculatorias autem, quæ tum ex superiore, tum ex hoc capite formari possunt, eò non formauimus, tum quòd cuiq; proprius quasi fœtus gratior accidet quàm alienus, tum quod cuiuis perfacilè fuerit eas ipsas formare.

CA-

CAPVT XI.

Vita Christi Domini horarijs aspirationibus aptata.

CHRISTI Seruatoris vitam, absolutissimum perfectionis omnis exemplar, mundique lucem ac solem, si in horas singulas, quoad eius fieri possit, essem partitus, pretium me facturum operæ existimabam. Atque vtinam constaret quâ definitè horâ, præstantes ab eo prodiere exteriores actiones tum demissionis animi, tum charitatis, tum mortificationis, tum virtutum cæterarum (ab inferioribus enim nullo vmquam cessabat tempore) verùm quãquam id plurimùm ignoretur, poterit Asceta ad libitum, virtutes eius singulas, horis addicere singulis, atque ex iis ipsis iaculatorias suas ducere. Quas tamen eius sacras actiones habemus aut à sacris Scriptoribus aut interpretibus certo temporiallegatas eas hic diuisione horarum vt superiùs facta subiiciemus. Quibus quidem, penuriâ eorum quæ ab ipso Christo ea etiam inferentur, quæ ab aliis gesta, (quippe quæ ad ipsum referantur) sacræ litteræ commemorant. Inchoabimus autem à media nocte.

Hora igitur XII. nascitur Christus, cùm

nouem

nouem ante menſibus, eadem hora eſſet conceptus de Spiritu ſancto, ex puriſſimo atque immaculato virginis Matris ſanguine. Deus fit homo, homo viciſſim fit Deus. Media nocte venit ſponſus.

Matth. 25.6.

Horis I. II. III. Quia nihil determinatè occurrit aſſignandum, cogitandum quàm frequenter noctu orauerit, quomodo item nocte fugerit in Ægyptum, quomodo Magi eodem tempore ſe itineri commiſêre, quomodo Nicodemus ad Ieſum venit nocte primùm.

Hora IV. Aut circiter, reſurrexit Chriſtus Dominus ab inferis, quâ eadem horâ veniet ad iudicandum orbem terrarum, fietque generalis reſurrectio. Ambulat ſupra mare.

Soarez 3. p.

Hora V. Apparet matri poſt reſurrectionem. Piæ mulieres adeunt ad monumẽtum.

Ioan. 21.

Hora VI. Apparet aliquot diſcipulis vnà piſcantibus poſtquam reſurrexit.

Hora VII. Conducuntur operarij atque in vineam mittuntur.

Matth. 20.

Hora VIII. Sæpius docet tum in templo, tum in ſynagogis.

Hora IX. Iterum conducuntur operarij. Deſcendit Spiritus ſanctus in Apoſtolos ſpecie ignitarum linguarum.

Hora X. Iterum docet & loquitur de regno Dei, variiſq; modis ad ſe pertrahere conatur obſtinatos Iudæorum animos.

Hora

Hora XI. Idipsum facere cogitandum est, quia notiora non suppetunt: Certum enim est triennij spatio eum, qui omnem captabat occasionem euangelizandi regni Dei, id horis hisce matutinis potissimùm, præstitisse frequenter.

Hora XII. Ascendit in cælum. Cum Samaritana fusè colloquitur, eique promittit aquam viuam.

Hora I. B. Petrum vniuersæ præficit Ecclesiæ. Sanat filium reguli.

Hora II. Apparet discipulis euntibus in Emaüs.

Hora III. Conducuntur operarij. Petrus & Ioannes ascendunt in templum orandi causa. Sanatur claudus. Centurioni apparet Angelus, orationésque eius atque eleëmosynas dicit ascendisse ad Deum.

Hora IV. Andreas Christum primùm adit.

Hora V. Apparet discipulis omnibus, ipso die resurrectionis pacem precatur, facit eis potestatem remittendi peccata. Octiduo post iterum eâdem horâ apparet iis, præsente Thoma.

Hora VI. & consequentibus vix quid quã occurrit; quia cùm ad occasum vergat, subducebat se Christus ab hominum consuetudine, atque plurimùm noctes ipsas orando absumebat. Quod ipsum licebit Ascetę con-

siderare, atque ex his, tum ex superius dictis suas ducere aspirationes, quod quidem faciet modò quid petendo, modò gratias agendo, aliâs dolore peccator, alias spe, fide & charitate in Deum, alijsque modis prout vnctio docebit.

1. Ioan. 2. 27.

CAPVT XII.

Nonnullæ aliæ rationes in horas singulas aspirandi compendiò traditæ.

VIsvm est superioribus addere etiã ista, quòd tam sunt diuersæ mortalium affectiones sensus, & gustus, quàm cõstitutiones corporum, quæ quidem propemodum infinitæ, eruntque fortasse ij qui cum nullis è superiùs positis aspirationibus, his vtique capiantur.

Quàm maximè pia est iuxtà ac vtilissima, frequens Augustissimi nominis IESV vsurpatio, quam licebit Ascetæ in horas partiri, earum cuilibet assignato vno aliquo de clarioribus eius epithetis, exempli causa: princeps pacis, admirabilis, pater futuri sæculi, Emmanuël, brachium patris, &c. è sacris deprompta litteris: quorum singulis, addito sacratissimo nomine hac aut simili ratione aspirabit. Iesu brachium patris miserere mei. Aut robora me, conforta me: id nimirũ postulando quod cuique epitheto consentaneum

neum est, quodque eo significatur.

Et quoniam admodum Deo grata accidit pietas & fides, quæ Christo exhibentur, sacratissimâ contento Eucharistiâ, equidem arbitror maximè esse salutares eas precatiũculas horarias, quæ in eo genere versantur. Christum itaque Seruatorem verè & reipsa in diuinissimo Altaris Sacramento existentem, horis compellat singulis Asceta vnâ aliquâ adhibitâ aspiratione de iis, quas in eius litaniis vsurpat Ecclesia, verbi causa: Frumentum electorum. Vinum germinans virgines miserere mei: Difficilè est eloqui quantum inde tum meritorum, tum spiritualis oblectationis colligatur: de quo quidem memini aliquid dictum 1. libro.

Quod si diẽ lubet in horas dumtaxat duodecim partiri, habet Asceta lignũ illud vitæ ex Apoc. quod in medio situ paradisi affert fructus duodecim. Expressissima sanæ Eucharistiæ nostræ figura, quæ quidẽ in medio sita Ecclesiæ vitã dignè sumẽtibus cõfert immortalẽ, fructibusque eos ipsos recreat duodecim, quos quidẽ nõ ineptè dixeris esse fructus duodecim Sp. sancti ab Apostolo alibi recensitos, è quibus vnius postulatione, fructuosè auspicabitur cuiusq; horæ actiones.

c.22.2.

D.Th.1. 2.q 70. art.3. Gal.5.

Iam verò quod dictum de sacratissimo Iesvs nomine, sanctissimáque Eucharistia, idem aliâs præstabit Asceta in dulcissimo

Mariæ nomine, in horas ſingulas deuotiſſimè illud appellando, addito aliquo eius elogio ex ſacris item litteris, quod quidem ex eius litaniis, quæ paſſim in manibus ſunt, fuerit facillimum.

Quod ſi vt de auguſtiſſima dictum eſt Euchariſtia, lubet item in appellanda Beata Virgine horas dumtaxat duodecim diei aſſignare, meminerit mulieris illius Apocalypticæ ſole amictæ, in cuius capite radiabat corona ſtellarum duodecim, quâ quidem muliere deſignatam Deiparam non ignobiles tradunt auctores: cumque indicentur hiſce ſtellis tum virtutes quibus excelluit potiſſimùm, tum gloriæ præmia eis ex æquo reſpondentia: eas ipſas virtutes, ſua cuilibet horæ attributa, enixè à Deo per virginis merita poſtulabit. Sunt autem hæ, fides & ſpes patriarcharum, lumen ac contemplatio prophetarum, incenſa charitas zelúſque Apoſtolorum, martyrum fortitudo, confeſſorum pœnitentia ac patientia, doctorum diſcretio ſapientiáque: puritas ſacerdotum, ſolitudo & oratio heremitarum, paupertas, obedientiáque monachorum, caſtitas virginum, humilitas viduarum, concordia fidéſque coniugum.

Si cui placet virginis priuilegia his ipſis adumbrata ſtellis duodecim, contemplari; ea quidem ſic habeat ex Bernardo. Mihi ſanè

Cap. 12.

Bern. Serm. Sign. magn.

sanè (inquit) singularis rutilat fulgor: primò in Mariæ generatione: secundò in Angelica visitatione: tertiò in Spiritus superuentione: quartò in filij Dei inenarrabili conceptione. sic & in his quoque sidereum planè irradiat decus, quod virginitatis primiceria, quod sine corruptione fœcunda, quod sine grauamine grauida, quod sine dolore puerpera: nihilominus etiam speciali quodam splendore in Maria coruscant mansuetudo pudoris, deuotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, & martyrium cordis. Hæc Bernardus.

Beatæ porrò Virginis cultum excipiat subinde Sanctorum Angelorum veneratio, horasque diei vigintiquatuor tribuat totidem Angelis, qui quidem numerus conficiatur ex duodecim quibus credita portarum duodecim cœlestis Hierusalem custodia, tum ex iis septem qui diuinæ continenter assistūt maiestati. Insuper ex sanctis Michaële, Gabriële, Raphaële, Angelóque tutelari, illo denique qui sacrosancto corporis & sanguinis Christi sacrificio offerendo præest. Et quamquam fortè de his nonnulli hisce ordinibus ac diuisione bis contineantur, itaque vnus atque idem inuocaretur iterum, id quidem nihil refert, cùm fiat alia atque alia ratione & consideratione. Apoc. 21.12. Ecclesia in Canone.

Tandem ne suus desit sanctis cultus, sug-

c.4. gerit sacra Apocal. 24. seniores, è quibus vnum aliquem horis singulis Asceta appellet; qui quidem sunt maximè illustres sancti & heroës tum veteris tum nouæ legis. Nimirum Apostoli 12. pro noua, pro vetere autem hi aut similes. Abel Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Moyses Samuel, Dauid, Isaias, Hieremias, Ezechiel & Daniel.

P. Pererius.

CAPVT XIII.

Alia quædam ratio horariæ aspirationis longè facillimæ, quæq; non tam oratione quàm actione perficitur.

EA triplici continetur capite; Vnum est sui aspersio aqua benedicta: alterũ tunsio pectoris, tertiũ reuerentia, cultusq; sacris rebus exhibitus. Ac de prima quidẽ cõmunis est Theologorũ sensus, eâ aspersione peccata remitti venialia (vt sileã de aliis eius effectis admirandis sanè in dæmones, eorumq; prestigias & dolos, in pellẽdis morbis aliisq; similibus) quod quidẽ satis liquet ex S. Alexandri Papæ constitutione. Aquam (inquit) sale consperſam populis benedicimus, vt ea cuncti aspersi sanctificentur & purificẽtur. Nam si cinis vitulæ populũ sanctificabat atque mundabat, multò magis aqua sale consperſa, diuinisque precibus sacrata populum sanctificat atque mundat. Vbi quidẽ notatu digna

c. Aquã, de cõsecratione

digna sunt verba purificandi, mundandi, & sanctificandi, quibus vtique, inferior tum puritas tum sanctitas significantur, maximè cùm huiusce vsum aquæ, multò cineris vitulæ aspersioni præstare velit, quæ sanè corporibus exteriorem quandam munditiem, legalemque afferebat.

Quemadmodum autem id efficiat hæc aqua; ita quidem explicat D. Thomas. Ad remissionem (inquit) venialis peccati nõ requiritur nouæ gratiæ infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quâ aliquis detestetur peccatũ veniale vel expressè vel saltem implicitè: sicuti cum quis, feruenter mouetur in Deum: & ideo triplici ratione, aliqua causant remissionem venialium. Tertia quidem ratio, quę sola ad rem nostram facit, est in quantum ea sunt cum aliquo motu reuerentiæ in Deum & ad res diuinas, & hoc modo (inquit) aspersio aquæ benedictæ operatur ad remissionem venialium. 3. parte q. 87. a. 3

Quæret fortasse quispiã vtrum ad idipsum sit necessaria deuotio & reuerentia reipsa exhibita; an verò satis sit habitualis. Credo equidem, vt in alijs plerisque, sufficere posteriorem, vt scilicet aspersio illa proficiscatur ab habitu reuerentiæ & deuotionis, quamquam tum actu & re absit vtraque: Quæ quidem habitualis deuotio, complectitur etiam implicitã detestationem Marsilius Archiepisc. Salernitanus affert auctores p. 295. &c.

venialium, licèt de ea ipsa nihil cogitet qui se aspergit, aut ab alio aspergitur. Negaritamen nō potest inquit Reuerendissimus Marsilius, tutius esse atque melius, actu tum reuerentiam, tum deuotionem exhibere, quoque ea fuerit maior, perfectiùs etiam delenda peccata, maioríque gratiæ fore accessionem.

In sua Hydragiologia.

Tanta autem est huius vis aquæ in hæc venialia, vt ea vniuersa, quantum quidem in ea est, deleat, nisi fortè, vt traditur à S. Thoma, impediatur remissio quantum ad aliqua venialia, quibus mens actualiter inhæret, sicut & per fictionem interdum impeditur effectus baptismi. Neque verò sola peccati venialis culpa, offensióque omnis hac aspersione, verùm etiam pars nonnulla pœnæ tollitur, pro mensura tum charitatis aduersus Deum, tū detestationis illius ipsius peccati, quæ quidem piæ animi motiones, eâ aspersione, aliàs magis, aliàs minus excitantur.

Ad 2. argum.

S. Th. ad 3.

Ex his conficitur, cùm tot pariat fructus, tamque eximios, ac potissimùm leuiores abstergat maculas, aquæ lustralis aspersio, eam verò Ascetæ in horas singulas atque adeò sæpiùs, reuerenter, pièque vsurpandam, si ita quidem res feret & sit domi. Quod sanè eò cuique curâ maiore, diligentiáque præstandū videtur, quò frequentiùs in animum irre-

irrepunt leuiora hæc, atque vix cogitantem inquinant, cùm non septies tantùm in die; sed in hora etiam cadat iustus. Quid enim homini procliuius, quàm leuioribus hisce corripi, quandoquidem non verbum otiosum modò, aut actio, at vel otiosa cogitatio (quà quid quæso leuius?) veniabilis peccati offensionem, pœnámque contineat?

At hæc leuiora sint, dixerit quis, vt ea magnoperè sint curanda. Tunc leuia dicis ea, quibus sensim disponatur animus ad grauiora, & ad diuinam amicitiam labefactandam omnino? An ignoras paulatim decidere eum qui spernit modica? Nescis ab aquis excauari lapides ipsos, alluuioneque terram consumi paulatim? Certè leue nequaquam dicendum, adeòque negligendum, quo charitatis minuitur feruor, quo fit mens languidior, minúsque Deo obsequens, ad omnemque eius nutum voluntatisque significationem parata. Quî denique leue id sit, quod tam acerbis tamq; diuturnis purgantis ignis doloribus, suppliciisque vindicatur? Eccli. 18. Iob. 14. 19.

Et quamquam horaria hæc aspersio conueniat omnibus, ea tamen videtur infirmis vsurpanda potissimum; quippe quos non patitur inualetudo mentem orando exercere, quod ipsum monuit prudenter Ioannes discipulus quodam sermone. Atque id quidem vniuersis eò actitandum crebriùs, quò 110. littera R.

istud videre est pietatis exercitium, impudentius, impietatéque maiore, ab huius æui sectariis exsibilari, explodiqúe. Exsibilandi potiùs ipsi explodendíque, qui pro suo arbitrio, nullâque iusta aut probabili causa, maiorum suorum statuta conuellunt, atque abrogant, quorum quidem impudentiam dixerim an insaniam, infinita propè miracula aquæ huius virtute iam inde à B. Petro, ad vsque hoc æuum, variis locis patrata, reuincunt fortiter atque condemnant.

Vide Marsiliũ superius.

Alterum propositum erat tunsio pectoris, quâ quoniam nihil facilius, ea certè horariis aspirationibus aptissima fuerit, atque ægris imprimis adhibenda, cuius quidem vi censet D. Thomas, abstergi leuiores maculas, quandoquidem ea fiat cum aliquo motu detestationis peccatorum, eiusque rei non obscuram det significationem. Atque etiam ea tunsio, ab Ecclesia vsurpatur crebertimè, tum inter sacrificandum, tum in Ecclesiastico officio, solemnibusque ac statis precibus.

Eiusdem etiam meminere Tertullianus ac B. Cyprianus, cuius quidem hæc est oratio. Vt etiam in precationibus aliquando suum quis pugno tundat pectus, publicani à Christo adeò commendati probat exemplum quo signo, animi pœnitudinem declarari; facto illorum qui post Christi passionem reuertebantur percutiẽtes pectora sua, signi-

lib. de oratione.

Luc. 23.

significatur. Quod idem & Nicolaus Romanus Pontifex ad consultationes Bulgarorum rescribens, docet his verbis: Pectus percutimus, significantes videlicet quòd nequiter gessimus, displicere nobis; & ideo antequam Dominus feriat, & antequam vltio extrema veniat, commissum pœnitentiâ dignâ punire:

Reuerentia cultusque sacratũ imaginum ac præsertim Christi crucifixi, ac B.V.M. reliquiarum item, Agnorum Dei (id enim erat tertium propositum) rerumque eius generis, magnam habet vtique Christianæ pietatis significationem, Deoque imprimis accepta, opinorque eò frequentandum magis, quò facilior est, minusque operosa.

Ita Asceta, ac potissimùm si ob inualetudinem aliud nõ liceat, creberrimè, quantoq; poterit maximo animi sensu ac pietate, imprimet maiorũ more, oscula rebus superiùs commemoratis, deuotè ac piè eas ipsas intuebitur: capitis apertione, inclinatione, genuflexione (si ferant vires) ipsas venerabitur, frondibus, floribusque decorabit, omni denique colet officio. Sunt enim hæc obsequiola religionis (quæ inter morum virtutes principatum tenet) exercitationes, quæ quidem tum Deo ipsi, tum Diuis non iniucundæ accidunt.

Et quamquam ob capitis imbecillitatem nihil

nihil oret Asceta, nihil refert: hæc enim ipsa, sunt oratio quædã, tacitáque sui Deo commendatio, eò fortasse oratione validior, quò sunt fortiora, atque ad impetrandum efficaciora opera; resque ipsa quàm verba. De B. quidem Aloysio (vt de aliis fileam) hęc accepimus. Supremâ suâ inualetudine (ait vitæ eius scriptor) poscebat nonnumquam vestem, lectóque egressus pedetentim ad mensam in qua erat Christi crucifixi imago adrepebat, eamque complexus osculabatur: quod item imagini D. Catharinæ Senensis & aliorum Diuorum, quibus cubiculum cinctum erat, factitabat. Cuidam verò è valetudinarijs dicenti non esse quod è lecto surgeret, se crucifixi, cæteraque simulachra ad lectum allaturum: Atqui (inquit B. Aloysius) hæ sunt meæ stationes. Eum igitur morem tantisper tenuit, dum se lecto potuit mouere. Hactenus historicus. Atque hæc tum de horariis aspirationibus, tum de earum praxi atque vsu, dicta sint. Sequitur vt eorum ponderemus siue rationes, siue prætextus inanesque titulos, quibus se hisce minus teneri, iure vt illis quidem videtur, ac meritò persuadent.

1.2.c.9.

CAPVT

CAPVT XIV.

Responsio ad eos, qui quominus id præstent, occupationes suas causantur, temporisq; dispendium.

GRAVIS est querimonia S. Gregorij Nysseni, orationis studium postponi rebus omnibus, nihilque minus mortalibus curæ esse, quàm cum Deo colloqui, aliis nimirum studiis implicatis. Negotiationi, inquit, diluculo institor incumbit, merces suas ementibus ante cæteros eundem quæstum exercentes exhibere contendens, vt præuentis aliis, desiderantis emere necessitatem præoccupet & suum vendat. Similiter etiam emptor dum prouidet, ne ab alio præuentus frustra requirat id quo opus habet, non ad orationis, sed ad venditionis locum, forum videlicet rerum venalium currit. Atque omnibus pari lucri cupididine captis, proximum præuenire contendentibus, per aliarum rerum studia surripitur tempus orationis ad negotiationem translatum. Ita artifex & operarius, ita qui dicendi studium sectatur, litterisque ac disciplinis liberalibus operam dat, ita litigator, ita cui iudicandi munus obuenit, quisque in id quo din manibus

Lib. de oratione.

bus habet ſtudio totus incumbens obliui-ſcitur operam dare orationi, damnoſum ad rem propoſitam ſibi ducens, ſi circa Deum occupatus ſit: nam qui artem quidem exercet, inutilem quandam, & inefficacem rem ad propoſitum opus, diuinum auxilium eſſe putat: idcirco dimiſsâ oratione in manibus ſpem ponit, oblitus interim eius qui manus dedit.]

Hæc & alia plura grauiſſimè in eandem ſententiam Nyſſenus, quibus planè arguuntur tum inſcitiæ, tum impietatis, qui per cauſam negotiorũ ne ea ipſa, breuiſſimâ quiete interrumpant, ab orando deſiſtunt. Atque intelligant illi quidem ſeriòque perpendãt, plus efficacitatis orationi ineſſe ad fœlicem rerum quas tractant exitum, quàm omni humanæ induſtriæ iugiq; ad eas ipſas applicationi animi. Cum oratione iaculatoria diuinum exoretur auxilium, ſine quo labores omnes noſtros inanes, atque irritos eſſe neceſſe ſit. Præclarè Nyſſenus. Quicumque, inquit, animum ad aliquod negotium adiecit, ſi cum oratione quodlibet agat, proſpero atque fœlici ſucceſſu negotiorum à peccando abducetur, nullo aduerſario animam ad vitium trahente.

Sed quæ tandem ita ſeria negotia, quæ tã graues te occupationes diſtinent, vt ab iis vel minimum quod des orationi ſuffurari nequeas?

nequeas? An fortè tibi regni, atque adeò vniuersi administratio incumbit? at Carolus V. sempiternâ dignus gloriâ, licet orbis totius molem negotiorum humeris suis (verus Athlas) calamitosissimis etiam temporibus sustineret nō modò frequenter ad Deū aspirabat (quod hîc suademus) verùm etiam meliorem diei partem orando consumebat.

Audiamus quid de eius pietate non ignobilis historicus. Quotidie suas manè horas canonicas (vt vocant) legebat, easq; tantum extendebat, vt bis tantum ferè quantum Presbyteri semper manè legeret: Insuper tres quartas horæ partes genu flexo orabat manè. In omni vita sacrum semper audiuit, præterquam in bello Africano semel. A cœna semper redibat ad longissimas preces suas, quæ duarum plerúmque erant horarū, sicut & matutinę, neque enim suis viribus fidebat potentissimus Princeps, sed totus à summi numinis ope auxilióque pendebat, quod sibi precibus tam longis quotidie conciliare studebat. Laurentius Surius ad an. 1559.

Et hinc tanta in rebus gerendis fœlicitas (vide quemadmodum promouet negotia oratio, non disturbat) tam insignes victoriæ, adeò vt ob multa fortissimè gesta Galli eum Herculi, Germani Carolo Magno, Itali Dauidi, Siculi Africano, Hispani Alexandro Magno, Turcæ Iulio Cæsari, Afri Hannibali com-

compararint. Multi cùm aduertiſſent eum domi & militiæ æquè continuum & prolixum eſſe in precibus ſuis, dicere ſolebant: Carolus ſæpiùs cum Deo quàm cum hominibus loquitur. In ſingulas bellorum expeditiones, nouas ſibi preces ipſe & componebat, & ſuâ manu conſcribebat, quæ prolixitate ferè æquarent ſeptem illos pſalmos vſitatiſſimos, eaſque priùs examinandas dabat ſuis Confeſſarijs, & ab eis approbatas quotidie etiam in agmine acie dicebat: nonnumquam per ſpeciem exonerandæ veſicæ aut alui ab agmine ſecedens vt prolixiùs & feruentiùs oraret.] Hæc hiſtoricus.

Quæ ſanè ſi à te æquâ lance expendantur, comperies quidem nullũ ei tempus, nullum ita graue negotium obſtitiſſe, quominus ſtatas & quidem bene longas preces perſolueret, non obſidionem vrbium, non hoſtium incurſum, non virorum Principum aduentum, non æneorum tormentorum crebra tonitrua horrendumque fragorem, non tot terrâ mariq; itinera, non vitæ pericula adita, eum vllo vmquam tempore à penſo orationis perſoluendo, prolixèq; orãdo auertiſſe.

Tú non poteris priuatus homo, quod perfecit is. cuius cura ſapientiáque innixa recumbebat Chriſtiana Reſp. vniuerſa? Nec volo te id poſſe, multò exigo minora: ipſe quippe horas integras Deo dicabat, tu mihi, immò

immò Deo aliquot horarum momenta ausus es denegare? Res est ea quidem probri pudorisque plenissima, si modò quis non planè depuduit. Verùm præstat nos Chrysostomum idipsum Dauidis exemplo Christianis exprobrantem audire. Si beatus (inquit) Dauid cùm rex esset, & innumeris immersus curis, & vndique distractus, septies in die Dominum rogabat: quam nos veniam habebimus & excusationem, tantùm habentes otii, nec ipsi cõtinuo supplicantes, & hæc cum tantùm lucri capere debeamus? Homil. 79. ad populũ.

At fit, inquies, iactura temporis frequenti illâ interruptione occupationum. Non ita sanè ratiocinabatur S. Franciscus, de quo ita Bonauentura: Sentiens Christi seruus Franciscus corpore se peregrinum à Domino, cũ iam ad terrena foris desideria per Christi charitatem totus esset insensibilis factus, ne foret absq; consolatione dilecti, sine intermissione orans spiritum Deo contendebat exhibere præsentem. Erat quidem oratio contemplanti solatium, dum supernarum circuitu mansionũ, Angelorũ conciuis iam factus feruenti desiderio quęrebat dilectũ, à quo eũ solus carnis paries disiungebat. Erat & operãti præsidiũ, dum in omnibus quæ agebat de sua diffidens industria, & de superna pietate confidens, per ipsius instantiam totum in Domino cogitatum iactabat. c. 10. vitæ ipsius.

Ambulans & ſedens, intus & foris, laboranſ & vacans orationi adeò erat intentus, vt illi videretur non ſolùm quidquid erat in eo cordis & corporis, verùm etiam operis & temporis dedicaſſe.]

Num fit igitur iactura temporis illius, quod tam ſanctæ piæque exercitationi impenditur, atque adeò conſecratur?

Surius 2. Maij. Accedat eodē D. Antoninus, qui idipſum tibi ſanctiſſimo vitæ ſuę inſtituto perſuadeat tandem. Nulla fuit vmquam (ita eius vitæ ſcriptor) tanta negotiorum moles, & incurrentium cauſarū implicatio, vt vel tantillū, hominem Deo plenum retinere poſſet, quin in ſublime totus ſpeculatū cæleſtia raperetur. Habebat ſcilicet reconditum quendam mentis angulum, quem intactum ſeruabat, ad quem negotiorum ſtrepitus & curarum paſtoralium anxietas non irrepebat, vt vbi ab actitandis cauſis deſiſteret, eò tamquam ad aſylum tutiſſimum, & ab hoc exteriore homine, ad eum quem Paulus interiorem appellat, recurreret. Hæc Hiſtoricus.

Noli ergo iacturam temporis vocare, frequentem ad Deum aſpirationem, quā quidem compendium temporis & cenſuere, & vt talem ſanctiſſimi quique in omni vita adhibuêre. Verè enim D. Chryſoſtomus interrogat atque interrogando aſſerit. Nonne ſcis, inquit, quòd ſi veniens Deum adoraueris,

ris, & præsentis hic occupationis sis particeps, quæ in manibus habentur negotia, tibi magis cedunt secunda? Sed seculares curas habes: propter has saltem huc occurre, vt per hanc moram allecta Dei beneuolentia, tutus ita prodeas, vt ipsum habeas commilitonem, vt dæmonibus inexpugnabilis fias supremâ succurrente manu. Nam si preces paternas cõsequaris, si communis particeps orationis fias, si Dei compares auxilium, & ipsius armis munitus ita progrediaris, iam neque Diabolus ipse contra te respicere poterit, ne dum homines mali te contumelijs afficere studentes, & calumniati.]

In eandem sententiam D. Ambrosius. Diuide (inquit) Deo tempora tua: vel quando agere non potes in publico, quæ sunt istius mundi, & tenebræ prohibent noctis, Deo vacato, indulge orationibus, & ne obdormiscas, psallito, somnum tuum bonâ fraude fraudato, manè festina ad Ecclesiam, defer primitias pij voti, & postea si vocat secularis necessitas, non excluderis dicere: Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, & sic securus procedis ad actus tuos. In psal. 118. serm. 19.

Quæ quidem ab his sanctissimis Patribus de longioribus publicisq; orationibus dicta, optimè sanè breuioribus hisce iaculatoriisq; quadrare nemo non videt, quarum quidem frequentiore vsu, diuinâ ope beneuolentia-

que cõciliata, bellissimè atque ex animi sententia cadunt vniuersa. Quod enim est tempus (vt pręclarè D. Cœlestinus Pontifex Maximus) quo Dei auxilio non indigemus? In omnibus igitur rebus, causis & negotiis exorandus est protector Deus: superbum est enim (vt scitè ait D. Thomas) vt humana natura aliquid de se præsumat. Monitum est S. Bernardi: In omni re orationi plus fidendum, quàm suæ industriæ aut labori. Facessat ergo falsa hæc occupationum causa, nec te temporis subire dispendium querare, si eas breuiculâ aspiratione interpelles, quin existima potiùs, eius te magnum facere compendium.

In quadam decretali, c. 9. cõtra Pelagium. 2. 2. q. 83. a. 2.

Lib. 4. de consideral. c. 4.

An se fortè tempus perdere operamq; ludere putat miles, cùm hostem aggressurus, corpus omne accuratè magnóq; otio armis induit, ne vllis eius pateat telis? An non potiùs optimè censet collocatum tempus illud omne, quo vt vitæ suæ consulat seq; ab impendente morte liberet, omnis generis armaturâ sese aduersus hostilem aciem præmunit? At quis ignorat esse orationẽ armaturam, eamque hosti imperuiam? Bonum scutum (teste Ambrosio) oratio, quo omnia aduersarij ignita spicula repelluntur. Vir religiosus (auctore D. Thomâ quod idem de quouis alio accipe) ab orationis præsidio destitutus, miles est in acie, aut inermis. Oratio (ait

De obitu Valẽt. Imperator.

(ait Nyſſenus) corporum robur eſt, regni vires, pudicitiæ præſidium atque tutamen, viatoribus ſcutum. Oratio aduerſus Amalechitas trophæum erexit. Oratio centum octoginta quinque millia Aſſyriorum vnâ nocte gladio inuiſibili proſtrauit.

Sed fac his armis induendis breuibúſq; ad Deum aſpirationibus temporis iacturã exiſtere, ſit ita ſanè. At quantuli quæſo? aliquot momentorum in horas ſingulas. Æſtimanda ſanè iactura, maximè cùm tanto fructu tamque expetendo emolumento reſarciatur abundè. Sed heus tu, cur te etiam temporis iacturam ſubire nõ quereris cibi potioniſq; ſumptione, ijſq; ſumptis, vt & aliàs ſepiſſimè animi relaxatione? nocturnâ item quiete, ceteriſque naturæ neceſſitatibus? At ea neceſſaria ſunt; nec enim poteſt ſine his vita conſiſtere. Quaſi verò ea poſſit ſine oratione: quaſi verò non ſit oratio cibus, cuius detractione animum emori ſit neceſſe. Audi quid de ea non quiuis de grege at locupletiſſimus teſtis Auguſtinus. Sicut, inquit, ex carnalibus eſcis alitur caro, ita ex diuinis eloquiis & orationibus interior homo nutritur & paſcitur.] Quod idem confirmatum habes à ſanctiſſimo Abbate Nilo. Orationis autem quietẽ, ſomnum eſſe dulciſſimũ ſatis conſtare poteſt ex illa ſponſi in Canticis obteſtatione, quâ filias Hieruſalem per capreas ob-

Exhortatione de ſalutis monitis ad quemdã Comitẽ c. 8.

c. 95. de oratione.

c. 2. 7.

teſtatur ceruóſque camporum, ne ſuſcitent neque euigilare faciant dilectam donec ipſa velit. Quæ verba Gregorius accipit de ſancta anima, quæ à cunctis (vt ipſe loquitur) mundi perturbationibus quieſcere appetit, & in ſinu ſpõſi, ſopitis terrenis cupiditatibus dormire ſancto otio concupiſcit.] quod oratione, contemplationeque perfici nemo ignorat.

Sed in hoc ſomno illud exiſtit mirabile, quod dormiens vigilat, & vigilans dormit. Ego dormio (inquit illa de Canticis) & cor meum vigilat. Dum enim (vt pulchrè Gregorius) mens ſancta à terrenis tumultibus exteriùs dormit, interiori cogitatione quę ſunt cęleſtia pẽſat. Neque enim vt torpeant dormiunt, ſed vt liberiùs æterna contemplentur à tranſitorijs rebus quieſcunt.] Hęc Gregorius. Habes ergo nec tibi negotiorum molem nec temporis diſpendium afferendum, vt te hoc quæſito colore ab hoc tam pio ſalutariq; aſpirationum vſu, iure immunem liberumque arbitreris: verè enim id prętextus eſt, inaneq; ſubterfugium, tantumque abeſt, vt quæ in manibus ſunt negotia aliquam tantillo tempore remoram patiantur, quin potiùs diuino Numine propitiato promoueantur magis, multòque optatiorem ac lætiorem exitum ſortiuntur.

CAPVT

CAPVT XV.

Responsio ad eos qui subuerentur, ne si mentem breui precatiunculâ ad interna reuocent, excidant numquam redituram, quæ in rem præsentem faciebant.

PLERIQVE existunt, quæ Dei est bonitas, ex omni hominũ ordine, quibus sua sunt stata, fixaq; tempora aspirandi ad Deum: verùm cùm grauiore aliquâ occupatione distinentur, ad quam magnâ animi applicatione est opus, piâ orandi consuetudine intermissâ inchoata persequuntur, ne tantillâ intermissione ab iis fugiat quod fugisse multum dolerent: Sed vanum omninò esse metũ hunc, eiusque similem, de quo sacræ litteræ, qui trepidauerunt timore vbi non erat timor, pro virili conabor propositis rationibus euincere.

Principiò quęro à quo tenes id, cuius fugã iacturãq; metuis? A Deo Opt. Max. inquies. Cur igitur non possit idipsum conseruare & cõtinere, quod tibi antè impertiit? At possit quidem, quis autem sciat num id velit? Cur non velit ei adesse qui se colat? Qui cæteris omissis illi vni intendat, certâque nixus fide, in eius prouidentia humanâ omni positâ

prudentiâ conquieſcat? Ad hæc qui menti tuæ ſiue vnius naturæ miniſterio, ſiue ſuperiore aliquâ ratione indidit cogitationem illam cuius times interitum, atque hoc quidem tum cùm nihil de eo cogitares; quî eandē tibi perire patiatur quando rebus omnibus chariſſimis etiam poſt habitis, totus es in eius cogitatione defixus?

Secundò quoties ipſam cum Deo ſermocinationē cōſuetudinemq; interrumpis, vel corporis neceſſitatibus vrgentibus, vel amicorum interpellatione, vel negotiorum quæ moram non patiuntur tractatione. Rem tantam tamq; diuinam interrumpis: occupationum verò humanarum filum orationis cauſa non abrumpas? Nihílne tibi illa orationis ob res humanas interruptione decedit? Quantum ex ea ſpiritualis fructus collegiſſes? quantum cæleſtium gaudiorum percepiſſes? quantorum donorum factus eſſes particeps? cur non iſta quereris, cùm tibi orationis exercitium aut intermittendum, aut omnino relinquendum eſt? Cur nobis minimæ reculæ obijcis iacturam, ne negotiorum tuorū curſum abrumpas? Itáne iacturam vocas cęleſte illud orationis pabulum, optatiſſimámque quietem, quâ vt fruerentur ſanctiſſimi viri omnium rerum iacturam paſſi ſunt? Ergóne iactura eſt diuinæ amicitiæ conciliatio? vberioris gloriæ adeptio?

ptio? meritorum amplificatio? æternorum solatiorum præguſtatio? inexplicabilium gaudiorum præſenſio?

Sed quoties (atque hæc ſit tertia ratio) tibi à negotiorum proſecutione ceſſandum eſt interpellato ab amicis? Quoties tibi aut litterarum ſtudiis operam danti, aut eorũ quæ humanæ vitæ vſui eſſe poſſunt aliquid inueſtiganti, aut litteras ſcribenti variæ ſeſe, idque importunè ingerunt occaſiones, quibus, relictis etiam quę in manibus erant, obſecundandum eſt? An fortè tibi non abeunt tua illa quæ obtendis conceptionum animique ſenſa? Abeunt ſanè idque citiùs multo quàm oranti: inuehunt ſcilicet humana negotia varias animi perturbationes alias gaudij, mœroris alias, hinc amoris, illinc odij, quibus mentem planè immutari, obliterarique, quæ leuiter & ceu aquæ inſcripta erant experientia ipſa confirmat. Obſequêris igitur amicis te interpellantibus, ſequêriſque quo te vocant externa negotia, intermiſſis tuis non obſequêris Deo? non ſequeris te vocantem Deum?

Verùm dic, amabò, ſi quemadmodum illibenter pateris te à negotiis auocari leuiores ob cauſas, & quæ è re tua non ſunt, ita ſi te quamquam occupatiſſimum Rex quiſpiam aut Princeps, aut Prouinciæ moderator, aut is cuius ope maximè egeres,

ad se accerseret, nonne dimissis repentè omnibus ad eum ocissimè dictoque citiùs aduolares? Num metueres ne quid earum rerum, quæ tibi vsui esse possent, memoriâ excideret? Num causareris occupationes tuas? non credo equidem. At non est Rege aut Principe inferior qui te vocat Deus: Is
Psal. 75. 13. est, qui terribilis aufert spiritum Principum.
Iob 12. 18. Ipse est, qui baltheum regum dissoluit, & præcingit funè renes eorum. Is est; qui claues habet
Apoc. 1. 18. mortis & inferni, de cuius ore
Apoc. 19. 15. procedit gladius acutus, vt in ipso percutiat gentes. Ipse est denique qui habet in vestimento suo, & in femore scriptum: Rex regum & Dominus dominantium.

Neque verò tibi diuino minùs opus est præsidio, quàm humano quamquam re-
Act. 17. 28. gali. Num fortè ignoras quod à Menandro dictum commemorat Paulus? In ipso viuimus, mouemur, & sumus? Ignoras ipsum tuum esse, vitam ipsam actionemque omnem tuam sine illo nulla esse? At si quæ natura, naturalibusque constant causis ita se habet, quid erit tandem de actionibus ijs, quarum principia vt superioris sunt ordinis, ita naturæ vires longè superant? & de quibus ipsa
Ioan. 15. 5. veritas; Sine me nihil potestis facere. Quod igitur concedis homini, idipsum si sapis Deo ne recusa. Deo inquam, cuius opera tibi est in singula momenta necessaria. quique

que nisi te continet, in pristinum nihil, momento corruas & concidas. Vides, credo, quanti tua interfit illum, sub cuius nutu, vitæ, actionúmque tuarum momenta decurrunt, propitium habere placatumque, quæ quidem precatione effici, tibi satis constare potest.

Cogitabis item (quartum hoc habeto responsum) quid factitatum à superioris memoriæ Patribus. Num erat Bartholomæus ab omni negotio otiosus, omnisque curæ expers? An non & ipse Apostolus apostolicis verbis de se poterat prædicare illud Pauli: Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum? quis autem hoc viro orationis amantior? qui in dies singulos centies orationi se dabat. O quoties illi, hoc vt orationum pensum persolueret integrè, humanis officijs supersedendum? Quoties abrumpendus negotiorum cursus? Quoties in Deum deriuanda cogitationum fluxio? neque verò id ne faceret causabatur memoriæ lapsum, neque verebatur ne sibi excidérent ea, quæ quidem excidisse grauiter ferret. Nimirum confidebat non commissurum Deum vt inde dispendium pateretur, vnde ei lucrum, quęstumque accedere oportebat: & vt oratio ei esset damno, quæ ad commune generis humani præsidium, atque vt omnibus bono sit, instituta est. 2. Cor. 12. 28.

At

At quidquid tandem dicatur (inquies) is me timor ſemper ſollicitum habuit. Verùm quæro ex te, num ſi tibi vel officium Eccleſiaſticum recitanti, vel meditationi inſiſtenti, nonnulla occurrant rebus gerendis, negotiiſq; perficiendis opportuna, abrumpas orationis filũ, vt illa ipſa excipias ne effluant. Non credo, ſi is es, qui eſſe debes; Cogitas opinor ad Dei ſpectare bonitatem & prouidentiam, vt (quando cum oratione colis & veneraris) ea ipſa ita mente complectare, vt non excidant, aut ſi excidant, paulò pòſt etiam ipſo inſpirante & afflante recurrãt: nec eadem recurrant modò, verùm etiã in præmium non interruptæ orationis addantur alia, atque alia, multiplici fœnore atque lucro. Cur non eadem in propoſito ratio valeat?

Sed ſit ita ſanè vt ſubuereris, nec recurrãt animo, oratione, ea ipſa rapiente, quæ in rem tuam erant: Quid tum? patere hoc diſpendium (compendium verius dixerim) rerum tuarum. Quis non compendium vocet diuinæ amicitiæ acceſſionem maiorem? gloriæ promeritum? cæleſtium donorum copiam? peccatorum condonationem? debitorum ſolutionem? omniſq; boni prouentum? Hæc vtique plurimaq; alia, quæ dicendo perſequi longũ foret, minimâ iaculatoriâ prece conſequeris. Num cum iſtis, ea quæ tibi orando

effluere

effluere quereris vllâ ratione comparanda sunt? obolum perdis, sed is aureo compensatur. Quis non vitrum margaritâ commutet? quis non aurichalcum præferat auro? quis tam demens qui teruncium emendæ escæ non exponat, quâ vel aucupio vel piscatu plurimùm rem familiarem augeat? vitrum, aurichalcum, teruncius (mihi credo) sunt ea, quorum dispendia, margarita auro nobilique gloriæ cælestis adeptione, quasique aucupio compensantur.

Iterum & extremum dico, deleat oratio neque verò redeant vmquam ea, quæ occupatus mente agitas, rebus tuis profutura. Quid? morti Daniel (teste Chrysostomo) orationem prætulit, emoriique maluit quàm à precatione desistere. Tu nescio quibus animi tui sensus orationē posthabebis? Quid? ille iacturam vitæ minoris duxit æstimandam quàm precandi studium. Tu leuiculæ conceptionis inutilisque retentionem orationi præponderare existimabis?

Sed quid Danielem egregia in Deum pietate commemoro? vide vt se hac in parte habuerint vel fidei lumine destituti. Trāsite in Cethim & in Cedar, mittite monet Hieremias (gens ea est à fide aliena) & videte si factū est huiuscemodi, si non ipsi peccandi studio addicti magis quàm ij qui Christi sacris initiati sunt. Memoriæ traditum est à c.2.10.

Vale-

1.3.c.3. Valerio, cum Alexandro sacrificanti præsto essent nobilissimi pueri, de iis vnum aliquem thuribulo accepto ante ipsum adstitisse, cumque in eius brachium carbo ardens esset delapsus, quo ita vrebatur, vt adusti corporis eius odor, ad circumstantium nares perueniret, tamen & dolorem silentio pressisse, & brachium immobile tenuisse, ne Alexandri sacrificium aut concusso thuribulo impediret, aut edito gemitu regales aures exasperaret. O eximiam animi fortitudinem, ô virtutem longè annis superiorem, quamque vix in constanti ætate reperias. Sed ô probrum Christiano nomini sempiternum! Potuit ethnicus ne sacrificantem orantemque interpellaret propriâ neglectâ salute atque incolumitate, ignem, cuius acerbissimi sunt morsus, perferre: tu Christo initiatus quisquilijs tuis & nugis rebusque nihili, quæque solâ cogitatione continentur, orationem atque adeò Deum ipsum posthabebis? Verùm impar est oratio tantæ indignitati. Surgent Niniuitæ in iudicio & condemnabunt generationem istam.

Matth. 12.41.

CA-

CAPVT XVI.

Responsio ad eos qui memoriam incusant bonâ aliàs præditi voluntate.

GRAVISSIMIS verbis increpasse Prophetas Dei obliuionem passim constat ex sacris litteris. Ita quidem regius Propheta de gente sua. *Obliti sunt Deum qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* Pſalm. 105.21. Ezechiel autem exprobrat idem ciuitati Hierusalem. *Vsuram*, inquit, *& superabundantiam accepisti, & auarè proximum tuum calumniabaris, meiq; oblita, es ait Dominus Deus.* Ezech. 22.12. In eandem sententiam Hieremias. *Meiq; oblita es diebus innumeris.* c.2.32. Quanta porrò lateat emphasis, in vocula (mei) facilius est animo quàm verbis complecti. Mei, inquam, oblitus es tam pii munificique parentis, mei cuius tot in te immeritum exstant præclara merita, quem creaui de nihilo, seruaui tot annos, & ab infinitis periculis tum corporis, tum animi sum tutatus. Quem vnici mei sanguine, peccati seruitute, mortisque vinculis ereptum in gratiam recepi, in filium adoptaui, quemque ad hæreditatis æternæ consortium admissum immensis tum charitatis, tum virtutum cæterarum donis cumulaui, siccinè igitur mei oblitus

oblitus es? quî potuit tot benefacta, tot promerita, tantam gratiam delere obliuio? Itáne potuisti obliuiſci eum, qui vt ne tui vllo vmquam tempore obliuiſceretur in manibus ſuis deſcripſit te, non id quidem atramento, verùm ſanguine ſuo? obliuiſcatur licet mater infantem vteri ſui, obliuiſcatur virgo faſciæ pectoralis ſuæ, crede dicenti fore numquam, vt illum tui capiat obliuio. Quomodo igitur emori poteſt aut languere eius recordatio, cuius tot exſtant apud te collata beneficia?

Ierem. 2.32.

Et ſanè omni dignum admiratione cenſeo, vt creatura eum, à quo omnia ſua accepit, vt mortalis inquã homo Dei Opt. Max. obliuiſcatur vmquã. An nõ quidquid videt, audit, cogitat, palpat ſenſuue alio percipit Dei opus eſt, eiúſq; vel veſtigium, & ſpeculũ vel expreſſa imago? ſed quis tam remotus locus, quis receſſus tam abditus, quæ tam peregrina regio aut plaga quò non pertigerit? an non eſt vbiuis terrarum? nónne cœlum implet, & terram? Quò ibis à ſpiritu eius, & quò à facie eius fugies? ſi aſcenderis in cælum illic eſt: ſi deſcenderis in infernum adeſt: ſi ſumpſeris pennas tuas diluculo, & habitaueris in extremis maris; illuc manus eius deducet te, & tenebit te dextera eius. Si dicis forſitan, tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delitiis meis: Quia

Pſalm. 138.7.

Quia tenebræ non obſcurabuntur ab eo, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius ita & lumen eius.

Ipſe eſt qui nuſquam non eſt, idq; per eſſentiam, præſentiam, & potentiam (vt loquuntur Theologi) vniuerſaq; continet ac conſeruat, omnibus dat vitam, inſpirationem, & omnia. Ipſe tibi multò eſt præſentior, atque interior quàm tu ipſe tibi, magiſque dependet ab eo vita tua, quàm ab animo tuo, cùm nec ipſe animus tuus niſi eius ope ſubſiſtere vel momento poſſit. Eius tu obliuiſceris ſine quo nec exiſtis, nec viuis, nec agis quidquam? qui tibi adeſt ſemper? qui in intimis hæret viſceribus? qui cordis tui penitiſſimos occupat receſſus, qui vitæ tuæ vita, qui animi tui animus eſt: eum tu non meminiſti? Eſt quidquam tam indignum? Actor. 17.26.

Verùm nonnihil excuſationis (id enim fatendum eſt) habet memoria, naturâ ſuâ fluxa, fluidáque. At iuuanda erit & firmanda, quodque ei natura negat, ab arte accerſendum. Quam in hoc quidem genere arbitror conitare partibus omnino duabus; alteram voco interiorem, exteriorem alteram. Ad illam ſpectant affectiones animi, amor & timor imprimis: ad hãc exercitatio ſenſibiliáq; ſigna & huiuſmodi. Amore quidem potentius nihil, tum ad menti in-

sculpendum quiduis, tum ad continendum, tum ad id reminiscendum.

1. 2. q. 26. Quis eius rei quam diligit possit obliuisci? Amoris effectum facit ecstasim D. Thomas: id enim efficit amor, vt qui amat, continenter de re amata cogitans, abstrahatur cogitatione à ceteris rebus, quem quidem amoris fructum ex diuino amore percipi potissimùm, obseruauit S. Dionysius. Eaq; est vis atque importunitas cogitationum de re amata, vt quisquis amat, eum somnus deficiat, nullámque capiat quietem: nimirum amore commouetur cor, sanguis, vitalésque spiritus, tum agitantur, tum dissipantur, atque ob amati memoriam, momento vix intermissam, plus æquo incalescit cerebrum; immodico autem calore quietem impediri (vt & cerebri tum humore tum frigore conciliari) medicæ artis periti tradunt, experientiaque constat, eos, qui letargo laborant, ne punctos quidem, aut stimulatos expergisci, quòd ijs cerebrum superfluo tum humore, tum frigore sit vitiatum. Contrà phrenetici, quòd nimio ferueant calore continenter vigilare. Quod si amanti, quietis vel tantillum benigna indulgeat natura, ne ipsa vacabit quidem à cogitationibus de re amata, quiescensque non quiescet; recurret nempe animo species dilecti quem somniabit, quo qui-

c. 4. de diuinis nominibus.

quidem somnio non mediocrem sibi videbitur etiam in quiete capere animo voluptatem. Est enim amantium proprium (vt pulchrè Theodoretus de B. Iacobo) omnes quidem alios despicere, illi autem soli quem amant & diligunt adhærere, eumq; & noctu somniare & interdiu visione apprehendere. Hæc Theodoretus. B. quidem Xauerium memoriæ proditum est, sæpiùs per somnum de dilecto suo cogitantem emittere solitum eiusmodi voces: O IESV bone. O creator mi, aliasque consimiles: vigilare illum atque orare, non dormire crederes. In Philoteo. c. 21. Lib. 6. vitæ c. 5.

Si quis autem ex me quæret vnde continens illa agitatio atque memoria rei amatæ? Is quidem intelligat amore vim copulandi maximam contineri, nihilque illo copulatius existere, esseque duorum inter se cõiunctionem principem eius fructum, vt præclarè tum Plato in symposio, tum Aristoteles in politicis (vbi ex Aristophane dicit ex amantibus fieri quasi vnum) tum D. Dionysius Areopagita, qui eam ob causam amorẽ nuncupat commiscentem virtutem, quòd plurium animos in vnum quasi commisceat. Cui quidem subscribit Augustinus, qui amorem esse vult veluti iuncturam quandam, quæ amantem cum re amata copulat vel copulare appetit. Cùm igitur amore existat coniunctio, eáque tanta vt amicus sit 2. Polit. c. 2. c. 4. de diuinis nominibus par. 2. 8. de Trinit. c. 10.

tamquã alter idem, quis iure miretur amore effici memoriam rei amatæ? quis enim sui ipse non meminit? aut quis vmquam suimet memoriam rerumque suarum cogitationem posuit?

Ex his satis arbitror intelligi quantum valeat amor ad reminiscendum, neque verò posse quemquam non animo versare eum, quem quidem sincerè & sine fuco diligit. Itaque ama tu Deum, vtique redama, neque vlla te vmquam eius capiet obliuio, ceterorum omnium dempto eo citiùs obliuiscaris, obliuioni dabitur potiùs dextera tua, quàm vt eum non memineris. Psalm. 136.5.

Alterum erat memoriæ adiumentum timor. Quomodo non animo subeat is, à quo nobis quid mali metuimus? vide mihi fontes, vt nihil aliud versant animo, aliud nihil somniant, quàm vincula, carceres, exilium, laqueum; omnia iis plena sunt lictoribus, apparitoribus, carnificibus, ceteriſque iustitiæ administris, quamquam ab ijs procul absint, magnorum scilicet sibi conscij flagitiorum omnia etiam tuta timent. Sed tibi fortasse nihil meritò timendum. Non arbitror equidem. Quis superioris vitæ libidines & scelera? quis æquissimum, sapientissimũ, scientissimum, potentissimumque Iudicem, quique & necis & vitæ habet potestatem? Quis futu-

futuræ vitæ ſupplicio æuo infinito duratura Deiq́ue ipſius æternitatem æquatura pertractans animo non timeat vehementer? Timuit Iob quo nemo vir melior, cuius eſt ea vox: *Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Iob. 31. 23. Timuit Dauid, qui quãquam diuino oraculo eſſet ſecundum cor Dei exclamat nihilominus. *Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Quid quod D. Paulus vas electionis tũ ſanctitate eximius, tum Apoſtolatus dignitate præclarus, etiam poſt immenſos propagandi Euangelij cauſa exantlatos labores, poſt vincula, naufragia, carceres, flagella, poſt ſexcenta pericula, terra, mariq́ue, domi & foris Chriſti nomine adita, ne tum quidem omni timore ſolutus caſtigat corpus ſuum & in ſeruitutem redigit, ne cùm prædicauerit aliis, ipſe reprobus efficiatur. 1. Cor. 9. 27.

Et ſanè is fuit Sanctorum omnium ſenſus, timendum ſemper. Diuino ſiquidem oracuło didicerant Beatum illum qui ſemper eſt pauidus, atque initium ſapientiæ timorem Domini. Nec in hac mortali vita cuiquam eſſe exploratum, ſitne de hædis futurus, an de ouibus, ſitne ad lęuam an ad dexteram collocandus. Cùm itaque tibi tot ſuppetant cauſæ timoris, accerſe hanc animi affectionem. Illum time, qui à te Prou. 28. 14. Eccl. 1. 16.

rationem exiget dati & accepti ad vsque nouissimum quadrantem. Cui etiamsi iu-
Iob 9. 3. stus esses, non poteris respondere vnum pro mille. Illum, inquam, time cui nihil imperium, cuius oculi lucidiores sole, cui manifesta consilia cordium, & abscondita tenebrarum, cui tenebræ ipsæ lucent, cui nox dies est. Et quod caput est, qui po-
1. Cor. 4. 5. test animam & corpus perdere in gehennam. Si te hoc timore exercebis frequenter, non patietur is quidem à te abesse Dei
Thren. 3. 20. memoriam. Memoria memor eris & tabescet in te anima tua; tabescet, inquam, aut commissorum dolore, aut omissorum desiderio, aut amore summi boni, aut spe æternitatis, aut consimili aliquo mentis affectu, qui vel est ipsamet aspiratio ad Deum, vel sine ea consistere non potest.

Venio ad ea quæ exteriùs memoriam iuuant. Exercitatio (ea enim prima erat) & labor vna est & maxima ars memoriæ. Exerce teipsum frequenter hac Dei recordatione, certa tibi ac stata præfige tempora eius exercendæ, quæ numquam quoad eius fieri potest, aut negligantur aut omittãtur. Quod si id accidat, supplicio aliquo leuiore eam obliuionem coërce & castiga. Ita sensim sine sensu voti fies compos, Deique consecutus memoriam ad eum summâ animi tui oblectatione, nec fructu minore aspirabis.

Ad

Ad externa autem signa quod attinet, certum est illa ad memorandi artem valere plurimùm. Vtuntur in eam ipsam rem oratores locis & imaginibus, iisque illustribus, acribus, insignitis, aliquid agentibus, quæ occurrere celeritérque percutere animum possint. Item suadent, vt cùm longior oratio memoriâ complectenda erit, ijsdem quibus scripta est chartis ediscatur, & quò hæreat faciliùs, aliquæ apponantur notæ, quarum recordatio commoueat & quasi excitet memoriam. Atque idipsum sanè à nobis potiori iure exigit Christiani hominis officium. Certis itaque signis mens & commouenda & excitanda ad continuam Dei memoriam. Id præstabit (vt suprà etiam dictum est) tum horæ pulsus, tum Christi crucifixi, Deiparæ Virginis aliorúmque cælitum, pro cuiúsque affectu simulachra, quæ ex aduerso posita, varijsque cubiculi locis ritè dispositæ, crebro sui intuitu ita memoriam ferient, vt altum licet stertentem excitare possint, præsentique animo sibi vt sit, efficere.

At id tibi fortè non sufficit graui veterno consopito, correptoque: dicam, adhibe monitorem, qui tibi aurem vellicet, atque idē fac quod in aliis rebus humanis solitus es, quarum ne te capiat obliuio, curas tibi eas ipsas in mentē reduciab aliquo tuo familiari.

At non est id in vsu. Scio quidem non esse id vsu receptũ, sed recipi quid vetat? Quàm multa sibi quotidie vsum vendicant quę ante iacuerunt? quorúmque nullus antea vsus? Si Persarum Regis cubiculario vni de cæteris hoc erat mandatum negotij, vt summo ad eum adiens diluculo ita illum compellaret: Surge rex, atq; ea cura negotia quæ te curare voluit Mesoromasdas. Cur non possit & verò debeat Christianus ad ea procuranda, quæ non ei à Mesoromasde inani aliquo numine, fictoque, sed à vero, & viuente Deo credita sunt, alterius vti tum operâ, tum industriâ?

Plutarchus cõmentario, In Principe requiri doctrinam.

Periclem quidem accepimus nullo egu isse monitore ad ea quæ officij sui erant honestè & ex virtute obeunda, se ipse dum vestem magistratus quem gerebat insigne in publicum proditurus indueret, submonebat. Attende Pericles (ita ipse sibi) liberi sunt quos ipse regis, Græci sunt, ciues Athenienses sunt? sed non valent omnes huius virtutem viri consequi, quamquam si ij essemus qui esse debemus, non vestis modò, sed res quælibet quam vel tractamus, vel quæ in aures oculósque incurrit Dei nobis memoriam, qui eam ipsam condidit continenterque conseruat & continet assiduè refricaret. Denique non parum facit ad frequentem Dei memoriam idipsum oratione exposce-

re,

re. Precare itaque Deum vt animo tuo frequenter ſubeat, vt ſe ipſe menti tuæ ita inſculpat, vt nullâ aut vi, aut caſu eius obliteretur recordatio: vſurpabiſque identidem illud ſponſæ. Pone te vt ſignaculum ſuper cor meum, vt ſignaculum ſuper brachiũ meum. Cant. 8.6. Fac ô Domine vt quemadmodum nullum tibi abit momentum, quo diuinæ menti tuæ non recurro, ita & ego quolibet temporis puncto de te cogitem, te ſuſpirem. Effice vt prouideam te in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris es mihi ne commouear: quoniam firmamentum meum & refugium meum es tu, quoniam abſque te poſſum nihil. Da Domine vt inſtar Abraham priſcorúmque Patriarcharum ambulem coram te, vt ſim perfectus; neque enim alia eſt compendiaria ad virtutem omnem via, quàm tui nullo vmquam tempore memoriam poſuiſſe. Pſ. 15. 8. Gen. 17. 1.

CAPVT XVII.

Reſponſio ad eos qui opponunt ſe in huiuſmodi aſpirationibus exiguam percipere oblectationem aut ſenſibilem deuotionem, ſolág; ferè conſuetudine ductos eas obire.

HOc libentius iſtis paulò diutiùs immoramur, quòd eas contineat orandi præ-

ceptiones, quæ non modò breuioribus hiſce aſpirationibus, ſed diuturniori etiam orationi conueniant. Neque verò ſe quiſquam ab orando deterreri patiatur, quòd illi hæc mentis exercitatio, & quaſi cibus non ſapiat ſemper, deſipiat potiùs nonnunquam, mentiſque ſit palato inſuauis & iniucundus. Cogitet is quod præclarè à Gregorio ſcriptum exſtat, orationem quaſi quoddam eſſe certamen atque duellum, in quo modò hic, modò ille tum vincit tum vincitur. Sed multò præſtat ipſum audire qui explanans illud ex Geneſi, Et ecce vir luctabatur cum eo vſque mane. Hæc habet: Is, inquit, qui certat, in luctamine aliquando ſe ſuperiorem, aliquando eum cum quo certat ſuperiorem inuenit. Deſignat ergo Angelus Domini & Iacob qui cum Angelo contendit, vniuſcuiuſque perfecti viri & in contemplatione poſiti animam, quæ Deum contemplari nititur velut in quodam certamine poſita, quia intelligendo & ſentiendo de incircumſcripto lumine aliquid deguſtat, modò verò ſuccumbit, quia & deguſtando iterũ deficit. quaſi ergo vincitur Angelus, quando intellectu intimo apprehenditur Deus. Hęc Gregorius, qui pulchra duelli ſimilitudine proponit eã quæ orationi familiaris eſt, & quaſi perpetua comes affectũ viciſſitudinem. De qua quidem paulò pòſt dicendum fuſiùs.

Homil. 14. in Ezech.

c. 32.

Au-

Audiamus interim quid de eadē re lucu- De di-
lenter S. Laurentius Iustinianus viæ spiritua- sciplina
lis Dux peritissimus: Grata mens, inquit, & monas-
verè caritatis iaculo vulnerata, eadem vir- ticę cō-
tutum exercitia, idem orationis studiū pera- uersa-
git, quum spiritualis lætitiæ penuriam pati- tionis
tur, sicut cum diuino calore repletur, licet id c. 18.
non eodem agat gustu: scit namque sapien-
tiæ erudita magisterio, quòd maiorum do-
norum dignior efficitur post labores & cer-
tamina. Hoc significare voluit Propheta Psal. 93.
cùm diceret; Secundùm multitudinem do-
lorum in corde meo, consolationes tuæ læ-
tificauerunt animam meam; perfectęque ca-
ritatis argumentum est notissimum, in ad-
uersis fiduciam nō amittere, & virtutes vni-
formiter semper operari, atque sub Dei dis-
ciplinâ eodem animo, eodemque vultu per-
seuerare.] Hæc B. Iustinianus.

Quibus duo præcipuè suggerit ad per-
suadendam, etiam aridæ menti in orando
constantiam. Alterum quidem, magnum id
aduersus Deum amoris existere argumentū,
qui licet insuauis & insipidus, non deseratur
tamen: alterum verò est spes fruendarum a-
liquando tandem cælestium voluptatum;
quandoquidem Deo solemne est post tristi-
tiæ tenebras, lucem consolationis immitte-
re. Eius est mortificare & viuificare, deduce-
re ad inferos & reducere, humiliare &
exal-

exaltare: ſuſcitare de puluere egenum, & de ſtercore pauperem erigere: Eius eſt vulnerare & mederi, percutere & ſanare, hacque varietate mortalium vitam ſtudiaque ita temperare, vt in omnibus aduerſis licet naturæque moleſtis, pium ſe ſemper benignumque patrem exhibeat.]

Iob. 5. 18.

Eodem cap.

Porrò idem Iuſtinianus vniuerſum hunc animæ ſtatum, quo ei cæleſtia maximèq; orationis vſus eſt iniucundus, atque adeò moleſtus ſcitè deſcribit, quidque illi tum ſit præſtãdum prudenter ſanè hiſce verbis præſcribit. Solet interdum, inquit, Diuina bonitas ab orantis affectu ſe ſubducere, eumq; totum aridum, totum reddere indeuotum. Tunc quidquid meditanti offertur deſipit, quidquid cogitare diſponit, indiſcuſſum præ ariditate ſpiritus derelinquit. Nihil ſapit, nihil delectat, nihil reperitur quod paſcat affectum, quin potiùs vbique tenebræ denſiſſimæ palpantur, vbique ſterilitas ſentitur, quaſi priùs nihil dulce guſtatum ſit: fiunt quoque intus fragores, tonitrua, coruſcationes, & immiſſiones per Angelos malos vt euertant à ſua ſtabilitate animum, faciantq; illum ab oratione ceſſare.] Hæc ipſe quidem de eo quem Deus ſolitâ oblectatione inter orandum non complet, quæ autem ei ſana ſuggerat conſilia videamus. Eo autem, inquit tempore quo hæc aguntur, orationis actus

actus prætermittendus non est (quod dictum accipe tam de breuiore quàm longiore) sed perseueranter custodiendus: si enim qui ista patitur petierit dulciter, accipiet: si quæsierit prudenter, inueniet: si pulsauerit fideliter aperietur ei lumen supremi fulgoris, videbitque solem qui prius erat in nubilo, fulgentem in meridie. Qui legit intelligat. Retunditur quandoque ex Dei dispensatione orantis animus innumerabilium varietate cogitationum, quæ præ sui multitudine & importunitate ipsum instabilem reddunt. ac ipse more carinæ fluctuantis in medio pelagi huc illúcque agitatus, per tentationum scopulos collisus atteritur, atque amisso quietis delectabilis tranquillo portu incessanter ad Dominum clamare cogitur. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Tunc iactandæ sunt anchoræ bonæ spei in mare diuinæ miserationis, tunc toties ad cælum vociferandum est humili & ardenti cordis desiderio, quoties impingitur orantis animus ab impetu periculosarum cogitationum. Pius autem Dominus non permittit diu laborare clamantem ad se, sed imperat ventis & mari, & fit repentè tranquillitas magna.] Psal. 68.

Idem extremo capite enixè commẽdat vt nullam

nullam ob causam consueta orandi statis horis consuetudo differatur aut intermittatur: solùm (inquit) propter corporis necessitatem & obedientiæ virtutem, atque proximi manifestam caritatem indictum orandi tempus intermittendum est. Vbi ne meminit quidem detractæ consolationis, aut ariditatis animi. Immo grauiter præcipit quod sibi quisque temporis spatium ad orandum delegerit, illud nec propter cordis duritiem multum diminuendum, nec propter mentis deuotionem inordinatè prætergrediendum: vtrobique latent insidiæ; nam in diminutione negligentia sæpe triumphat, in prolongatione autẽ indiscretio dominatur.] Hactenus Iustinianus. Cuius quidem præceptionibus, puto ex parte factum satis iis quos consolationis penuria ad orationis studium vel interrumpendum, vel deserẽdum omnino, fortè sollicitat. Sed habeant illi & hanc secundam responsionem.

An putant fortasse se hac solos affici molestiâ, sibique tantum aduersos reflare ventos, cæteris omnibus fauentes? si id quidem censent, toto errant cælo. Sanctorum quippe omnium vestigijs trita est hæc via iam inde ab æuo condito, non semper frui amplexibus sponsi, nec in cellam vinariam introduci, nec repleri ab vberibus diuinæ consolationis. Omnia tempus habent, tempus

amplexandi & tempus longè fieri ab amplexibus, tempus plangendi & tempus saltandi: tempus flendi & tempus ridendi: non se semper ostendit sponsus, stat nonnumquam post parietem, respicit per fenestras, prospicitque per cancellos, abscondit facié suam, se simulat abesse, nos aridos, tristes, desertos relinquit ad breue tempus: periculum facit, num verè & sincere à nobis diligatur: an verò in bonis tantùm rebus ei adhæreſcamus, cuius quidem perfidiæ sanctum Iob criminabatur dæmon. Eccles. 3.5. Cant. 2. 9.

Quoties compellat apud Salomonem sponsum sibi dilectum pia mens? Quoties magnis illum vrget vocibus vt ad se redeat? *Reuertere dilecte mi, similis esto capreæ hinnuloq; ceruorum super montes Bethel. Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris & deosculer te, & iam me nemo despiciat?* Aberat ergo aut latebat, cum neque reuertatur, neque inueniatur nisi aut absens, aut absconsus. An non idem Salomon inducit sponsam per vicos & plateas quęrentem quē diligit anima eius? Ex quibus conficitur non sese semper fruendum exhibere sponsum, habet stata tempora, viceſque quibus sui copiam facit. Habet & varia cubicula (tria quidem statuit Bernardus) ad quæ cuilibet Cant. 2. 17. Cant. 5. 1. c. 8. 1. Cant. 3. 2.

Serm. 23. in Cant. libet pro ratione meritorum patet ingressus. In primo exercet magisterium, in altero iudicium, in tertio amorem. primum seruit doctrinæ, secundum timori, tertium quieti & delectationi: in quo quidem verè quiescitur, cùm tranquillus Deus tranquillet omnia, & quietum aspicere sit quiescere, ait idem Bernardus; Qui licet eximiæ sanctitatis vir si quis alius, nihilominus se ad istud tertium infrequentius admitti queritur, queritur autem his verbis. Sed heu rara hora & parua mora, ô si duraſſet!

Et miraris tibi sæpiùs huius sacratioris cubiculi atque thalami occlusas fores? ô quoties eas vel præstantissimi & sanctissimi quique frustra pulsauere? Quoties Iobi verbis Deum inclamauere? Clamo ad te, & non exaudis me, sto, & non respicis me, mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. Subtrahit se verbum (vt pulchrè Bernardus) quo auidiùs reuocetur, teneatur fortiùs, & postquam vigiliis & obsecrationibus & multo labore & imbre lacrymarum quæsitus adfuerit, subitò dum teneri putatur, elabitur, & rursum lacrymanti & insectanti occurrens comprehendi patitur, sed minimè retineri, dum iterum subitò quasi è manibus euolat. Et si institerit precibus & fluctibus deuota anima, denuò reuertetur, & voluntate labiorum eius non frau-

Iob. 30. 20.

Serm. 74. in Cant.

fraudabit eam, sed rursum mox disparebit, & non videbitur nisi iterum toto desiderio requiratur. Dulce quidem commerciū cum verbo, sed breue momentum, & experimentum rarum: potest quidem esse in hoc corpore de præsentia sponsi frequens lætitia, sed non copia; quia etsi visitatio lætificat, sed molestat vicissitudo. Et hoc necesse est tamdiu animam pati, donec semel positâ corporeæ sarcinâ molis, auolet & ipsa leuata pennis desideriorum suorum, liberè iter carpens per campos contemplationis, & mente sequens expedita dilectum quocumque ierit.] Hæc Bernardus; quo duce & auspice & tertiam subiiciam rationem. Serm. 85.

Huiusmodi querulos, quibus spiritualis oblectationis detractio molesta est, velim animum attendere num ea præstent quibus ea prouocatur, quibusq; allicitur Deus ad eam exhibendam. Fortè appetis & tu (inquit Bernardus) contemplationis quietem, & bene facis, tantùm ne obliuiscaris flores quibus lectulum sponsæ legis aspersum. Ergo cura & tu tuū similiter circumdare bonorum floribus operum, virtutum exercitio tamquam flore fructum, sanctum otium præuenire. Alioqui delicato satis otio dormitare voles si non exercitatus quiescere appetas, & Liæ fœcunditate Serm. 46. in Cant.

neglecta, ſolis cupias Rachelis amplexibus oblectari, ſed & præpoſterus ordo eſt ante meritum exigere præmium, & ante laborem ſumere cibum, cùm dicat Apoſtolus; qui non laborat non manducet. A mandatis tuis intellexi, inquit Dauid, vt ſcias niſi obedientiæ mandatorum, contemplationis guſtum penitus non deberi. Non igitur putes de propriæ amore quietis, ſanctæ obedientiæ actibus, ſeniorumúe traditionibus præiudicium vllatenus faciendum: alioquin non dormiet tecum ſponſus in lecto vno, illo præſertim quem tibi pro obedientiæ floribus, cicutis atque vrticis inobedientiæ aſperſiſti.

2. Theſ. 3.

Pſalm. 118.

Bonâ veniâ lectoris, atque in gratiam Religioſorum ſubdam, quæ habet de ijs qui licet impatientes ſint, ſingulares, contumaces, & moderatoribus ſuis minùs obſequétes, optant nihilominus cæleſtis conſolationis ſolatia, quaſi gens, quæ fecerit iudicium & iuſtitiam. Miror valde (ita ipſe) impudentiam aliquorum, qui inter nos ſunt, qui cùm omnes nos ſuâ ſingularitate turbauerint, ſuâ impatientiâ irritauerint, ſuâ contumaciâ & rebellione contempſerint, ſuâ inobedientiâ coinquinauerint, audent nihilominus ad tam fœdum concupiſcentiæ ſuæ lectulum, omni orationum inſtantiâ totius puritatis Dominum inuitare. Quid enim? lectulus non

non est floridus, magis autem & putidus est, & tu illuc gloriæ regem trahis? ad pausandum hoc facis an ad causandum? Et quid me vis facere inquis? profecto vt primo quidem emundes conscientiam ab omni inquinamento iræ & disceptationis, & murmuris & liuoris & quidquid omnino aduersari cognoscitur aut paci fratrum aut obedientiæ seniorum, de cordis habitaculo eliminare festines. Deinde etiam circumdare tibi flores bonorum quorumcumq; actuum & laudabilium studiorum, atque odoramẽta virtutum: id est quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quęcumque sancta, quæcumque amabilia, quęcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogita, in his exerceri curato: ad istiusmodi securè vocabis sponsum, quoniam cùm introduxeris eum, veraciter dicere poteris & tu, quia lectulus noster floridus, redolente nimirum conscientiâ pietatem, sed pacem, sed mansuetudinem, sed iustitiam, sed obedientiam, sed hilaritatem, sed humilitatem. Hæc Bernardus.

Atque vt ab eodem dulci sanè melliflúque fonte reliqua nostra manet oratio, subijciam quę idem habet de superbia, quâ nulla vel diuinæ visitationi cælestibusq́; solatijs vel virtutibus capitalior pestis existit. Non sine causa sanè, inquit, ab heri & nudiustertius Serm. 54.

tius inuasit me iste languor animi & mentis hebetudo, & insolita quædam inertia spiritus. Currebam bene, sed ecce lapis offensionis in via, impegi & corrui. Superbia inuenta est in me & Dominus declinauit in ira à seruo suo. Hinc ista sterilitas animæ meæ, & deuotionis inopia quam patior. quomodo ita exaruit cor meum, coagulatum est
Psal. 118. sicut lac, factum est sicut terra sine aqua, nec compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis. Non sapit psalmus, non legere lubet, non orare delectat, meditationes solitas non inuenio.

Vbi illa inebriatio spiritus? vbi mentis serenitas & pax & gaudium in spiritu sancto? Ideo ad opus manuum piger, ad vigilias somnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, linguæ & gulæ indulgentior, segnior, obtusiorq; ad prædicationem. Heu omnes montes in circuitu meo visitat Dominus, ad me autem non appropinquat. Num collis non sum ex illis quos transiliit Dominus sponsus? Nam alium quidem intueor singularis abstinentiæ, alium verò patientiæ admirandæ, alium autem summæ humilitatis & mansuetudinis, alium multæ misericordiæ & pietatis, illum in cõtemplatione frequenter excedere, hunc pulsare, & penetrare cælos orationum instantiâ, aliósque in aliis præuenire virtutibus. Hos in-

quam

quam considero omnes foruentes, omnes deuotos, omnes in Christo vnanimes, omnes donis cælestibus & gratiâ affluentes, tamquam spirituales reuera montes, qui à Domino visitantur, & sponsum in se salientem frequenter recipiunt. Ego autem, qui horum in me inuenio nihil, quid me aliud putem quàm vnum de montibus Gelboë, quem præterit in ira & indignatione sua ille cæterorum omnium benignissimus visitator.]

Ex his habes superbiæ admodum inimicas esse cælestes oblectationes, nec frui verbo, vt cum Bernardo loquar, magna & alta de se sentientes. Absconditur id à sapientibus & prudentibus & reuelatur paruulis. Matth. 11. Magna fratres (ingerit se ferè nolenti Bernardus) magna & sublimis virtus humilitas, quæ promeretur quod non docetur (quis enim doceat quid sit frui verbo: illud licet experiri sed minimè loqui) digna adipisci quod non valet addisci (neque enim id docet lingua sed gratia) digna à verbo & de verbo concipere, quod suis ipsa verbis explicare non potest.] Hæc Bernardus. Sermone 86.

Neque verò vna superbia cęlestes excludit consolationes, verũ & inuidia & detractio, atque potissimùm mens terrenis satiata voluptatibus. Nemo omnium id luculentiùs explicat ipso Bernardo. Quomodo potes

Epist. 2. ad Fulconem puerũ.

(inquit) esurire vel sitire Christum plenus quotidie siliquis porcorum? non potes bibere simul calicem Christi & calicem dæmoniorum. Calix dæmoniorum superbia est, calix dæmoniorum inuidia, & detractio est: calix dæmoniorum crapula & ebrietas est. Quæ cùm impleuerint vel mentem vel ventrem tuum, Christus in te non inueniet locum. Non mireris quod dico. in domo auunculi tui non potes inebriari ab vbertate domus Dei. Cur inquis? quia domus delitiarum est, quomodo ignis & aqua simul esse non possunt, sic spirituales & carnales delitiæ in eodem se non patiuntur: vbi crapulam ructantis inter pocula senserit Christus, vina sua dulciorâ super mel & fauum menti propinare non dignatur: vbi curiosa ciborum diuersitas, vbi diuitis supellectilis discolor varietas oculos pariter pascit & ventrem, cęlestis panis ieiunam deserit mentem.] Ad extremum, diuinis solatiis officit vehementer cordis incuria, quâ fit vt eo neglecto non inueniat cælestis sponsus vbi cómoretur. Idem qui cæpit perficiet D. Bernardus cuius melle dulcior fluens oratio numquam satiat. Omnes (inquit) causamur deesse gratiam (deuotionis scilicet) sed iustius forsitan ipsa sibi queratur gratia deesse nonnullos. Nempe res cordis est gratia deuotionis quam quærimus, & hoc munere ipse

Serm. de triplici custodia manus, linguæ & cordis.

ipse se fraudat, qui internum ei dissimulat receptaculum exhibere. Cæterùm vnde illi cura cordis, cui ne ipsa quidem oris circumspectio, seu manus custodia subest? non sibi miretur deesse consummationem, qui nec initium apprehendit, sed ne is quoque, qui initium iam tenere videtur, si ad medium non peruenit.]

Ex quibus intelligitur manus ab omni peccato, linguámque continendam, ceteráſque quæ superiùs commemoratæ sunt vitiorum pestes, carnisque voluptates procul à se amandandas ei quidem, qui inter orandum cælestibus optat pasci delitiis, sponsique amplexibus licet momento perfrui expetit.

CAPVT XVIII.

Iisdem respondentur & alia quædam.

NON pauci neque vulgares eo tenentur errore, vt orationis fructum sensibili deuotione metiendum arbitrentur: quasi verò ab ea destitutus atque aridus omnino oleum atque operam perdat dum sic orat. Apage istam inscitiam, neque enim orationis vel bonitas vel laus aut actionum quæ ab orante fiunt, doloris peccatorum, charitatis in Deum, gratiarum actionis, & cæterarum

rarum huiuſmodi perfectio aut meritum hac ſenſu percepta deuotione cõtinetur, vt communi ſanctorum omnium calculo receptum eſt. Quis enim ignorat ſenſibilẽ iſtam deuotionem, ad appetentem facultatẽ, quæ corporea eſt, referri, cùm voluntas potentia ſit ſpiritualis, neque ab ea dependeat? quare non eſt opus vt ſuperiùs commemoratæ actiones appetentem facultatem afficiant, verùm ſatis eſt, vt voluntatem ipſam feriant atque commoueant.

Theologorum ſanè omniũ commune eſt placitum, qui de Deo offenſo concipitur dolorem ſummum eſſe oportere, nõ intenſiuè quidem (vt loquuntur) ſed appretiatiuè: vt licet vehementiore quis teneatur animi ægritudine, triſteturque magis ob iacturam verbi gratiâ rei familiaris, aut propinquorũ mortem, eamque lacrymis & eiulatu proſequatur, quam ob iniuriam Deo, peccando irrogatam, multo malit tamen millies etiam eandem rurſum ſubire iacturam copiiſque omnibus atque amicis priuari, quàm diuinæ bonitati eſſe iniurius. Itaque qui ſic animo eſt affectus, ſummè is quidem dolet de peccato, ſummè Deum appretiat, eiq; poſt habet omnia, quamquam neque lacrymetur, neque clamores edat, neque exteriore ſignificatione vlla dolorem prodat ſuum, dolore omni intus contento.

Ita qui orando, ſuperiùs recenſitis actionibus diuini amoris, reliquarumque virtutum, mentem exercet ſuam, Deoq; ſupplicat, quamquam huiuſmodi exercitio ſenſus non moueantur, nihil id refert, neque illi ob id pars vlla fructus detrahitur: Deo quippe qui renes ſcrutatur corda, & ſatis ſuperque eſt voluntate, quæ potiſſima hominis pars eſt, ea omnia perfici. Et certè quî à nobis exigeret Deus, quod in nobis non eſt? quod extra immò vero ſupra nos, vireſq; noſtras poſitum eſt? Neque enim in hominis poteſtate eſt, orando inferiores animi vires ad ſuas actiones ciere, verbi causâ ad dolorem, ad mœrendum, multoq; minus eas ad fletũ ad eiulatum ſingultuſq; prouocare. At ſi quando ea Deus impertit, cum gratiarum actione admittenda quidẽ ſunt, at non tanti pendenda, vt eorum ſubtractione mens cõcidat, animumque deſpondeat, atque orandi ſtudium quaſi fructu omni detracto abiiciat.

Quin vt benè monent etiã, rerũ ſpiritualium periti, haud rarò vberiorem colligi fructum, amplioraque meritæ, pluſque effici precatione aridâ, ſiccâ, ieiunâ quæque omni vacat ſolatio ſenſibilis deuotionis, quam eâ quæ horum plena eſt atque affluens: quod hæc illâ longè ſit fortior, purior item, atque ab omni philautiæ ſorde defæcatior. Addit doctor Auila, haud obſcurum

esse illud ipsum, præstantioris solidioris{que} virtutis argumentum, arctiús{que} illum Deo coniunctum firmiús{que} adhæresce re, nec ita facilè ab eo diuellendum, qui superiore quàm qui priore vtitur oratione. Etenim quandoquidem per se (non excipit Dei gratiam) absque vllo spiritualium solatiorum præsidio tam fortes celsas{que} exercet virtutum omnium inter orandum actiones: quid eum demum putemus facturũ, si cælestium delectationum adsit copia, quâ tum excitetur tum roboretur? Si decertat, si vincit hostem inermis miles, quid faciet armatus? si portum tenet nauis solâ remorum vi quamquam tempestate iactata ventis{que} reflantibus, quid pacato mari iis{que} obsecundantibus?

Idem porrò Auila priores cum pueris confert, qui matrum aut nutricum vlnis gestantur adhuc: posteriores iis qui nullo fulti adminiculo per sese ambulant. Abbas autem Blosius postquam dixisset (quod etiam in rem præsentem facit) neque distractionem mentis, quæ præter orantis voluntatem accidit, orationi fructum detrahere, neque item mentis ariditatem dum adest bona voluntas, subijcit hæc Christi Domini planè aurea ad B. Gertrudem. Vellem electis meis persuasum esse, quòd eorũ bona exercitia & opera, mihi omnino placeant quando

Monilis spiritualis c. 3.

do ipsi seruiunt expensis suis. Illi autem mihi expensis suis seruitium præstant, qui licet saporem deuotionis minimè sentiunt, fideliter tamen (vt possunt) orationes & alia exercitia pia peragunt, confidentes de pietate mea, quod ego illa lubenter & gratè suscipiam. Plerique autem sunt quibus si sapor & consolatio interna concederetur, non eis prodesset ad salutem, & meritum ipsorum valdè minueretur.] Hæc Christus Dominus, quæ quàm sint consentanea superiùs dictis, nemo non videt.

Nobis itaque posteriori oratione assuescendum, nauclerique imitandi, qui dum in alto nauigant, si eos ventus deficiat; Labore, remisq; triremem promouent. Ad eũdem planè modum diuinorum solatiorum, cælestiumq; delitiarum suauiter afflante aurâ destitutis, ad remos confugiendum. Proprioq; labore & industriâ, facultatúmq; animi voluntatis atque intellectus applicatione, res omnis gerenda, perficiendaque est: quamquam non excludo sancti Spiritus opem, ventumque, qui nullo vmquam cessat tempore, vela nostra licet non ita vehementer inflare.

Concludam hoc caput aliâ, eâque postremâ responsione, magno, vt spero equidem, futura solatio, iis qui inter orandum minus sunt deuoti, minúsque feruentes. His qui-

quidem ſupplendum bona voluntate, èn-tendumq́; quàm maximè vt quod reipſa nõ aſſequuntur, affectu vehementi, deſiderioq́; ſequantur. Non eſt minùs Deo accepta (quæ quidem eius eſt in nos ſumma benignitas) bona voluntas quàm res & factum ipſum, quando id quidem vires noſtras excedit. Non minus (inquit quidam) lætatur Deus voluntate ſanctoque deſiderio, quàm ſi tota anima amore liquefacta, plenè ſibi iungeretur. Sed & idipſum diuino cõfirmatum oraculo traditur à Bloſio. Cùm enim, inquit, S. Virgo Gertrudis aliquando cõquereretur quòd tãtum deſiderium ad Deũ habere non poſſet, quantũ habere debebat, diuinitus edocta eſt, optimè Deo ſufficere, ſi homo verè velit & optet habere magnum deſiderium, quando modicum vel nullum deſiderium in ſe ſentit, quia quàm magnum vellet habere, tam magnum habet coram Deo. Et Deus in corde continẽte huiuſmodi deſiderium (ſcilicet volũtatem habendi deſiderium) libentiùs habitat quàm homo poſſet habitare, in vernantibus amœniſſimiſque floribus.] Hæc Bloſius.

Barthol. à martyribus Archidiac. Brachar. in cõpend. ſpirituali c. 19.

c. 2. monilis ſpiritualis.

Et ſanè non eſt opus Deo noſtra deuotione q; feruentior oratio, nõ niſi cor quærit, ad illud attendit maximè, illudq́; ipſum, eiuſq́; deſideria ab ipſo pro factis habentur. Orando itaque totum te offer Deo, præbe illi cor tuum,

tuum, ardēter votisque omnibus expete, eo feruore, animóque diuinæ maiestati supplicare quo id præstant maximè accensi Seraphini. Desiderium hoc tuũ (ne dubita) respiciet Deus, & pro facto habebit, remunerabiturque. Quod vt enucleatiùs explicem sic habeto.

Quoties tibi animi languor obrepit, ita vt nec orare, nec contemplari valeas, nisi perfunctoriè admodum, frigidè, & oscitanter: perpende etiam atque etiam, quot, quãtique eadem ipsa horâ existãt in quorũ meditatione exardescit ignis, quorumq; adipe Psl.38.4. & pinguedine repleta mens, currit in odorem cælestium vnguentorum. Illis te cogi- Psl.62.6. tatione ipsa, quia re non potes, adiũge, eundem tibi infundi & affectum, & sensum rerum diuinarum, atque ipsis vehementer opta: certò certius tibi persuadeas, non abiturum in auras hocce desiderium tuum, exaudiet illud, & remunerabitur qui desiderium pauperum, & præparationem cordis eorum exaudit pius & benignus pater, quamquam ad opus ipsum non valeat pertingere.

Ad hæc intuere subinde, qua animi tum demissione, tum feruore, cęlestes spiritus cõtinenter Dei maiestatem laudibus, canticisq; prosequantur: quàm suaui, pioque concentu occinant illud suum Trisagion Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth;

Vide

Vide quibus facibus amoris ardeant, quamque promptos, agileſque ſe præbeant ad diuina iuſſa complenda minimo etiam nutu, ſignificationeq; voluntatis. Tum vſurpabis illud Eccleſiæ. Cum quibus & noſtras voces vt admitti iubeas deprecamur ſupplici confeſſione dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Itaque Deum affaberis.

Ex meipſo, ô Domine, nihil poſſum, nullus ſum, orare nequeo niſi oſcitanter admodum: ſed me ad beatarum mentium preces, & laudes cõuerto, quod fit ab ipſis, idipſum facere ſummè expeto: vtinam quemadmodum te diligant ipſi, & prædicant, poſſim & ego te eorum imitatione amare, & prædicare. Subinde operæ pretiũ erit cogitationem ſuã referre ad ea tempora, quibus videmur nobis non indignas Deo preces fudiſſe. Hoc enim aut ſimili modo compellando. Quæ tum, ô Domine, tuo afflatus numine cogitaui, volui, dixi, ſenſi, perfeci, eadem ipſa modò tum cogitata, tum dicta tum perfecta peruelim. Quemadmodum me tum magno animi ſenſu affectúſq; ad omnia quamquam grauia tui cauſa perpetienda obtuli. Ita & modò offero.

Memini quàm me olim piguit peccaſſe, memini lacrymarum quibus ſtratum meum non ſemel irrigaui, noctium quas tum gemendo & ſuſpirando, tum ſcelera mea plangendo

gendo transegi. Idem mihi modò animus, voluntas eadem, licet non factum idem: sed id est supra vires. Hoc attende, ô Domine, placeat tibi desiderium meum, illo contentus esto modo, cum aliud nequeam præstare. Facillima est eiusmodi praxis, nec meriti minoris, magnóque sanè solatio futura iis, qui præ spiritus ariditate, cælestiumq; inopiâ voluptatum eum tenere non possunt orandi cursum, quem optarent, quemque sibi initio proposuerant.

CAPVT XIX.

Responsio ad eos qui queruntur defectum attentionis.

NON paucis id vsu venire certum est quod de se ipse querebatur Dauid, & cor meũ dereliquit me. Neque tamẽ omnibus id contingit quod de se prædicat. Inuenit seruus tuus cor suũ vt oraret te oratione hac: Adeò procliue est animo distrahi dissipariq́ue in varia, adeoq; difficile vel ad perbreue tempus colligere sese, cogitationesq; suas omnes ad interiora atque ad Deum solùm intuendũ reuocare. Nihilominus Sanctorum Patrum auctoritate, ipsaque ratione constat, oranti imprimis enitendum, vt sibi sit ipse præsens. Valde enim indecens est, inquit

Psal. 38. 13.

2. Reg. 7. v. 27.

Lib. de perfect. vitæ c.5. inquit S.Bonauentura, vt quis cum Deo loquatur ore,& aliud meditetur corde.In quâ sententiam ita D.Cyprianus. Segnitia est alienari & capi ineptis & prophanis cogitationibus dum Dominum deprecaris.Orabo

Lib. de oration.

1.Cor. 14. spiritu,orabo & mente,psallam spiritu psallam & mente; si enim orem lingua, mens mea sine fructu est,inquiebat D.Paulus.Ar-

Isa.29. guuntur item à Propheta Iudæi inertiæ,quin etiam impietatis, quòd labijs Deum honorarent, ab eo autem longè esset cor eorum,

Enarratione ad psal. 39. dicant labia quod habet cor inquit D.August. & D.Bernardus præscribit plus orandũ

Serm. 13. in Cãtica. medullis cordis quàm labiis oris.Immò verò tantam exigit ab orante attentionem ad id quod agit,vt ne pia quælibet inter orandum velit cogitari,si ad rem præsentem nihil faciunt, alienaque sunt ab oratione, quæ in manibus est. Salubria,inquit,sunt,sed minimè illa salubriter inter psallendum reuoluitis: spiritus enim sanctus illa hora gratũ non recipit, quidquid aliud quàm debes,neglecto eo quod debes obtuleris.] His accedat

Lib. 22. moral. c.18. D.Gregorius. Vera,inquit,postulatio non in oris est viribus,sed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra,sed desideria,si enim æternam vitam ore petimus,nec tamen corde desideramus,clamantes tacemus: si verò desideramus ex corde

etiam

etiam cum ore conticescimus tacentes clamamus.] Hæc Gregorius.

Verùm non est quòd quis immoderatè angatur ob hęc & huiusmodi sanctorum Patrum testimonia, quæ facilem ex modò dicendis habere possunt interpretationem. Bipartitò diuiditur à Theologis attentio (vt ceteras eius omittam diuisiones) altera est actualis, altera virtualis: ac priorem non semper necessariò requiri, sufficereq́; posteriorem communi Doctorum sensu receptum videtur: cuius ratio ea esse possit; quòd priori quidem attentioni necessaria sit actualis animi applicatio cognitioq́ue & cogitatio, de oratione vel de Deo (vt fusiùs ab ijs explicatur) fit autem non rarò vt hominis dum voce orat animus, ita præter voluntatem & naturali quadam incogitantiâ distrahatur, vt nullam huiusmodi habeat cogitationem: Atqui si voluntatis absit consensus, nullam in partem peccabit: ad vitandum igitur peccatum non erit opus hæc attentio.

Altera quidem attentio omnino à vera oratione abesse nequit, sed ea perfacilis est, qui enim ad orandum se confert omninoq́; statuit, ac proponit animum attẽdere, in eoq́; proposito constanter perseuerat (vtiq́; virtute) neq; illud retractat, neque reuocat (aut actualiter, aut interpretatiuè, vt loquuntur,

ſpontaneâque negligẽtiâ) is ſanè & verè dicitur & eſt attentus virtualiter. Et quamquam (vt verè Caietanus) velle attendere non ſit reipſa & facto attendere, eſt tamen attendere quoad propoſitum ac votum. Atque huiuſmodi voluntas, quantum eſt ex parte hominis, eſt moralis cauſa efficiens attentionis. Quocirca quoad huiuſmodi voluntas exiſtit, cenſetur etiam durare attentio, non quæcumque ſed virtualis, & moralis. Quam autẽ minimo conatu poſſit ab homine (Dei quidem præſidio quod numquam abeſt) hæc attentio adhiberi, in confeſſo eſt.

Et ſanè ad ſuauem Dei ſpectabat prouidentiam, cuius oculi ſole lucidiores vident imperfectum noſtrum, non imponere hominibus iugum ita graue, & oneroſum, atque eoque exigere quod vix præſtari poſſit. Attendere autem actualiter (verba ſunt P. Soarés) & ſine diſtractione eſt moraliter impoſſibile, vt plurimum loquendo de hominibus, iuxta illud pſalmi: Cor meum dereliquit me, hæc vir doctiſſimus. Qui item eadem ratione confirmat orationis fructus (de quibus nobis infrà diſſerendum) etiam abſque actuali attentione colligi, ad idque ſatis eſſe virtualem. Quis enim credat Deum, cuius natura bonitas, quique dives eſt miſericordiâ, paratiorque ipſe ad dandum, quàm mortales ipſi ad recipiendum: conditionem

De religione tom. 2. Lib. 3. de orat. c. 5. Pſal. 38.

tionem ab orante quam prestare non possit, exegisse? quáque non præstitâ, esset inanis atque infructuosa eius oratio?

Quis enim quæso mortalium phantasiam suam valeat intra præscriptos rationi fines continere? aut, vt loquitur Bernardus, irruentia corporearum imaginum phantasmata quæ suppeditant vel sensus egens vel cura pungens, vel culpa mordens amouere? sed quis non experitur illud Augustini. Plerumque, inquit, orationes impediuntur varijs cogitationibus, ita vt vix stet cor ad Deum suum: & vult se tenere vt stet; sed quodammodo fugit à se nec inuenit cancellos quibus se includat, aut obices quibus retineat auolationes suas, & vagos quosdam motus suos. Vix occurrit vlla stabilis oratio inter multas orationes.] Hæc Augustinus. Quæ ita quotidiana sunt, vt vsu ipso, quàm vllo sermone notiora sint.

Serm. 23. in Cant.

Citatur à Blosio c. 3. monilis spiritualis.

His autem subiicit idem Augustinus, quã se prodat Dei bonitas in eiusmodi erraticis orationibus tolerandis. Et tolerat inquit corda precantium Deus, & diuersas res cogitantium, omitto dicere & noxias aliquando, & peruersas & inimicas Deo. Porrò quæ magna est Dei misericordia dicamus ei. Iucunda animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui. Et quomodo eam leuaui? quomodo potui,

quomodo tu vires dedisti.] ita Augustinus.

Quibus quidem non parum erigitur eorum animus, qui variis inter orandum tamquam in alto iactati cogitationum procellis nusquam cõsistere, nusquam quiescere possunt. Sed videndum ne nobis excidat Blosius, qui ex paulo antè commemoratis verbis Augustini hęc colligit non minori quàm superiora solatio futura orantibus. Igitur, inquit, qui bonæ voluntatis est non perturbetur inordinatè propter instabilitatem cogitationum suarum, sed placidè faciat quod in se est dum orat, & humiliter patienterque perseueret, ita enim Deo plurimùm acceptus erit.] Quod ipsum probat fortissimo argumento, diuinâ scilicet auctoritate. Hinc, inquit, B. Gertrudem edocuit Dominus, quod cùm quispiam orando, meditando, contemplando sanctè dirigit mentem & cogitationes suas in Deum, tunc ante thronum gloriæ præsentat Deo quasi speculum miri splendoris, in quo Dominus bonorum omnium immissor imaginem suam iucundissimè speculatur. Et quando homo propter impedimenta, cordisque instabilitatem maiori difficultate hoc facit, quantò grauiùs & patientiùs laborat, tantò speculum illud in conspectu venerandæ Trinitatis, omniumque Sanctorum venustius atque ornatius apparet, sed in adhibenda attentio-

ne

ne cauenda est nimia vehementia, ne caput lædatur & spiritus impediatur.

Maneat igitur, actu & re ipsa non necessario oranti attendendum, satis est vt virtute modo superiùs explicato. Neque aliud volunt allata Sanctorum Patrum testimonia. Verùm quia actualis attentio eximios parit fructus, oranti suauiter ad eam enitendum est. Suggeram in eum finem quibus ad eam rem præsidiis vtebatur P. Petrus Faber, qui quamquã sæpe Principum tereret limina, quibus & erat longè gratissimus, secum nihilominus religiosæ solitudinis secretum assiduè circumferebat. Inter psalmum & psalmum (inquit Orlandinus) breuem quãdam orationẽ raptim iaculabatur ad Deum, cuius generis erat illa solemnis ac frequens: Pater cæleſtis da mihi spiritum bonum, qua in prece totis scilicet missa præcordiis, sensit ad reuocandam & colligendam mentem multum latere præsidij. Lib. 3. historiæ Societ. Iesv.

Interdum decies augustissima Iesv & eius matris nomina piè ad horas singulas orandi canonicas appellabat, vt ad memoriã decem illa sibi redigeret & in psalmis spectãda proponeret. Primùm vnã Dei gloriam, deinde sanctorum honorẽ, tum incrementa iustorũ, postea liberationem eorum qui noxis essent implicati mortiferis, adhæc rei Catholicæ progressionẽ, mutuam etiam inter Principes

Christianos pacem, atque concordiã. Denique leuationem eorum, quos ea ipsa hora, vel dolor aliquis perfoderet corporis, vel animæ solicitudo perederet, vel aduentantis mortis horror inuaderet, vel purgans apud inferos ignis exureret. Hæc ille decem ad horæ cuiusque canonicæ carmen, piè sanctèque recolebat. His mentem lubricam ne quà efflueret cohibebat.

Nec verò illa ad comparandam attentionem minùs efficax ratio erat, quod in inchoandis iisdem canonicis horis, in acerbissimos Christi cruciatus, indignamque necem, suæ mentis figebat aspectum, & vt canendo, psallendoque progrediebatur, ita in reputandis acrioribus eius pœnis, atque doloribus procedebat. Et quod suos olim Monachos Basilius monuit, ideo mentis gigni in oratione desidiam, quia non satis præsens Dei numen agnoscitur, id Faber etiam suo vsu didicit, & scriptis monuit, ad coërcendam in orationibus mentem valere plurimum si quis Deum, Deique Angelum præsentem agnoscat, qui quemadmodum in precatione se gerant, animaduertant. Itemque stantem ex aduerso malum angelum, qui quo plures habeat ad accusandum ansas, inuido curiosoque oculo cuncta eius obseruet & rimetur errata. Hæc & alia plura, quæ commodiùs alibi commemorabuntur,

Regulis bre. q. 21.

tur, factitabat P. Faber, quæ quidem de longioribus orationibus dicta, proportione ad haſce noſtras breuiores accommodanda ſunt. Sequitur vt abſolutis iis, quæ ad earum frequentiam, aliiſque eodem ſpectantibus pertinent, quo eas loco, quoúe ſitu exerceri oporteat diſſeramus.

CAPVT XX.

Quis locus breuioribus hiſce orationibus ſit adhibendus.

MONET S. Paulus nullum omnino locum ab oratione vacare debere. *Volo vos orare in omni loco.* In quæ verba ita Anſelmus. In omni loco orandum eſt, quia Deus vbique eſt. His conſentaneè ſcribit Chryſoſtomus. Neque (inquit) mihi dicat quiſpiam quod nequit homo ſecularis affixus foro, continuò per diem orare, & ad Eccleſiam concurrere. Poteſt enim & quàm facillimè. Nam licet in Eccleſiam non ſit facilè concurrere, illic ante fores conſtitutus, & affixus tribunali poteſt orare. Et hoc multi fecere frequenter, & intus clamante magiſtratu comminante, contendente, furente, pro foribus ſtantes ſigno muniti, & pauca verba per cogitationem orantes, (en tibi orationes noſtras iaculatorias) ingreſſi mutauerunt

1. Tim. 2

Homil. 79. ad populũ.

nerunt eum atque mitigarunt & mitem ex fero reddidêre, nec à loco, nec à tempore, nec à clamore ad hanc orationem impediti sunt. Ne nos excusemus dicentes quòd non esset facile quempiam orare secularibus negotiis implicitum, prope se domum non inuenientem oratoriam: nam vbicumque sis, potes altare tuum constituere. Nihil enim locus prohibet, nec locũ Deus veretur, sed vnum exquirit, feruidam mentem, & continentem animam: non est quærendus locus sed loci principium. Hieremias erat in cœno & Deum exorauit. Iob erat in stercore & Deum reddidit propitium. Ionas in ventre cæti & facilem habuit; licet in balneo sis, crã. Templum es, ne locum quæras. numquid enim est Deus homo vt locum petas? Deus semper prope est, si mentẽ mundam habeas ab immundis motibus, licet in foro sis, siue in via, siue in mari, siue in diuersorio, siue in officina positus, siue sis vbicumque, Deo poteris inuocato petitionem obtinere.] Hæc & alia plura Chrysostomus.

Hier. 38. Iob 2. Ionæ 2.

In eandem sententiam Basilius magnus, Non locus (inquit) ad orandum, sed propositi initium requiritur. Hieremias enim in luto erat & Deum attraxit. Tres pueri in camino Deum promeruêre. Latro non cruce prohibitus quin paradisum assecutus fuerit. Iob in stercore Deum ad misericordiam pro-

Exhortatione ad baptismũ.

prouocauit. Igitur vbicumque fueris ora, vel si ante Iudicem ora: Mare ante aderat, retro Ægyptij insectabantur, medius Moses in loci angustia orabat. Tu quoque cum ante iudicem & Præsidem minantem aut vim afferentem fueris constitutus, ora Deum: te namque orante laborum ac tribulationis fluctus contrahentur, Dominus prope est. Non hominem esse putes, continuò adest, vbique adest & omnia complet.] S. Ephrem Basilio æqualis idem cum illo sentit. Siue, inquit, opereris, siue dormias, siue iter facias, siue comedas, siue bibas, siue decumbas, caue orationem tuam intermiseris: Nescis enim quando veniet, qui animam tuam est repetiturus: ne exspectes diem dominicum aut festum, locíue differentiam, sed vt inquit, Propheta Dauid. *In omni loco dominationis eius.* Siue igitur in Ecclesia fueris, siue domi tuæ, siue in agro, & si oues pascas, & si ædificia construas, & in symposio verseris, ab oratione caue desistas.] Hæc quidem Patres Græci.

Serm. de orando Deum.

Psal. 102

Neque verò ab his dissentiunt Latini. Ambrosius enim, grauis imprimis auctor, ita scribit. Cùm dicat Paulus; Volo viros in omni loco orare, leuantes puras manus sine ira, & disceptatione: & Dominus dicat in Euangelio; Tu autem cùm oras, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio

Lib. 6. de Sacram. c. 3.

Matth. 6

ora patrem tuum. An aliud voluit Paulus, aliud Dominus? non vtique. quâ ratione? quia non contrarius interpres est. Quid ergo? potes vbique orare & in cubiculo tuo semper orare. Habes vbique cubiculum tuum. Etsi inter gentes inter Iudæos positus sis, habes vtiq; secretum. Cubiculum tuum mens tua est. In populo licet positus, tamen in interiore homine arcanum tuum, secretumque conseruas.

De Cain & Abel l. 1. c. 9.

Et alio quodam loco eadem Christi verba explanans hæc habet. Intellige cubiculum non inclusum parietibus quo tua membra claudantur, sed cubiculum quod in te est in quo includuntur cogitationes tuæ, in quo versantur sensus tui. Hoc orationis tuæ cubiculum vbique tecum est, & vbique secretum est: cuius arbiter nullus est nisi solus Deus.

Libro de virginibus, de orationis loco ita disputat? sed etiam in ipso cubili volo psalmos cùm oratione dominica frequenti contexas vice, vel cùm euigilaueris, vel antequâ corpus sopor irriget, vt in ipso quietis exordio rerum secularium curâ liberum diuina meditantem somnus inueniat. Denique etiam ille qui philosophiæ ipsius nomen inuenit quotidie priusquam quiesceret tibicinem iubebat molliora canere, vt anxia curis sæcularibus corda mulceret. Sed ille sicut

is

is qui laterem lauat, ſecularia ſecularibus fruſtra cupiebat abolere. Magis enim ſe obliniebat luto, qui remedium à voluptate quærebat. Nos autem terrenorum vitiorum colluuione deterſa, &c. Quæ quidem Ambroſij præceptio etiam orationis tempus ſpectat de quo ſuperius.

D. Bernardus idem præcipit his verbis: Vbicumque (inquit) fueris intra teipſum ora, ſi longè fueris ab oratorio ne quæras locum, quoniam ipſe locus es.] Hæc Bernardus. Quibus ſanè vt & Ambroſij monitis egregiè obſecutam D. Catarinam Senenſem prodit S. Raymundus qui fuit illi à confeſſionibus eiuſque admirandam conſcripſit vitam. Cùm enim, inquit omni ſecreto loco ei parentes eius interdixiſſent, & ſeruitiis domus eam perpetuò voluiſſent occupatam, ne poſſet ſe ſponſo ſuo Chriſto coniungere, & precibus vacare: atque ob id amota ancilla culinaria, eius ſordida officia illi demandaſſent, ipſa nihil his permota, docente eam ſpiritu Dei, intra ſeipſam fabricauit ſibi conclaue, ſiue ſecretam cellulam, vnde numquam vellet cuiuſcumque rei causâ egredi. Ita factum, vt quæ hactenus vſa externa cella, nonnumquam fuiſſet egreſſa foras, iam deinceps maneret ſecum perpetuò in cellula animi ſui, quam illi eripere nemo poſſet, planèque cæleſti victoriâ

In lib. meditationum.

triumm-

triumphauit de Diabolo in interiori homine, vbi Christus habitat per fidem in cordibus nostris, sibi constructens spiritale domicilium.]

Neque verò sibi tantùm prodesse volebat cæleste illud secretum de fabricanda in seipso cellula seu oratorio; verùm etiam cum aliis communicatum volebat. Ita enim pergit S.Raymundus de seipso quasi de alio scribens. Solebat postea crebrò admonere Raymundum patrem cùm negotijs externis prope obrutum videret, vt sibi tale non manufactum in suo pectore fabricaret domicilium, nec inde vmquam euagaretur, ibi enim vt diximus per fidem Christus habitat in nobis, ibi regnum Dei intra nos est. Apoc. 3. Ibi numquam non præsto est ille qui dicit; Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipse mecum. Hoc ergo suauissimo hospite contenta & freta sacra virgo, vicit diabolum & omnes machinas eius. Hæc S.Raymundus.

Quibus non solùm probatur propositum nostrum, nullum omnino locum orationi esse inopportunum, verùm etiam quemadmodum id sit præstandum luculentè docetur.

Quod facilè mihi quidem persuadeo à superioris memoriæ Patribus illis, quorum omnis

omnis vita erat oratio vsurpatum obseruatumque. Quis enim credat Bartholomæum quem centies interdiu, centies noctu certas precationes genibus flexis iterasse accepimus, ad vices singulas templum, aut oratorium aliquod adiisse? Erat sibi ipse templũ; Et sanè mentem quæ Deo adhæresci t, Dei viui templum appellant sacræ litteræ. Nec fit verisimile Apollonium Abbatem & Martham, quos idem Bartholomæi imitatione factitasse produnt historiæ, alio vsos oratorio quàm seipsis, aliamque ingressos cellam quàm mentem quemque suam, atque eam quidem ab humanarum rerum cogitatione, curâque expeditam. 1. Cor. 6. Invitis Patrum.

B. porrò Gregorium tradit non obscurus auctor, etiam dum naturæ necessitatibus famularetur, cibiq; reliquias purgaret, psalmos recitare solitum. Ex quo cùm diabolus quæsiisset quid demum rei eo loco & tempore, turpique naturæ famulatu factitaret, ventrem, inquit, purgo, Deumque meum laudo. Hæc Gregorius. cuius factum & responsum laudans idem auctor. Naturæ (inquit) necessaria opera perfectis non sunt turpia: nec locus vllus turpis est orationi, dum orans mundus fuerit atque purus: Nec infernus ipse, orationi non congrueret, si ibi exstaret qui orandi haberet affectum. Hæc Gabriel. Gabriël Biel in canonẽ. Lætare 62. ex Alexan. Alensi.

Quo-

Quorum omnium hæc poteſt afferri ratio, quòd oratio ſit de genere ſpiritualium rerum, quare non videatur eius honeſtas pendere à conditione loci corporei. Tum quia vbique optimum eſt Deum. Opt. Max. colere, adorare, venerari, eiq́ue gratias agere. Id ipſum continetur canone ſacræ liturgiæ. Quæ quidem, vt & quæ ſuperiùs commemorata ſunt ex Patribus, P. Soarez cenſet maximè accipienda de breuioribus hiſce mentis aſpirationibus. Hæ namque (affero eius verba) cùm non requirant permanentem attentionem, non ſolùm ex natura talium actionum, ſed etiam ex parte noſtra accommodatè fieri poſſunt in omni loco: at verò diuturna & quieta oratio, licet ex parte ſua non determinet peculiarem loci conditionem, ex parte noſtra requirit ſaltem locum ſolitarium & quietum. Hęc Soares. Quibus addo, etiam ſacrum: ſi is quidem poteſt haberi quandoquidem eo loci fuſæ preces, exaudiuntur faciliùs, atque ob alias cauſas, quas fuſiùs perſequi non eſt huius inſtituti.

Lib. 2. de orat. c. 5.

C A-

CAPVT XXI.

Quis situs, habitusue corporis sit in aspirationibus ad Deum seruandus.

DIVVS Chrysostomus nullum omnino statum, aut certum corporis situm breuioribus hisce orationibus præfigit. Non tam, inquit, voce opus est quàm cogitatione, neque tam manuum extensione, quàm animi intentione, neq; figura, sed intellectu, licet genua non flectas neque percutias pectus, nec in cælum manus extendas, si mentem tantùm feruentem exhibeas, orationis perfectionem consummaueris. Licet enim & forum petentem & ambulantem, per se prolixas tenere orationes. Licet & in officina sedentem & suentem pelles, animam Domino dedicare: licet & seruo & ementi, & ascendenti & descendenti, & astanti coquo orationem facere prolixam & solertem. Nam & Paulus in carcere iacens supinus, neque stans erectus neque flectens genua, non enim sinebat lignum quo pedibus vinctus tenebatur: quoniam cum studio iacens orauit, carcerem concussit & labefactauit fundamenta, carcerisque custodem ligauit, & post hæc ad sacram initiationem deduxit. Et Ezechias haud stans rectus Homil. 79. ad popul.

ctus neque genua flectens, sed supinus, propter ægritudinem lectulo recubans, cùm ad parietem seipsum cõuertisset, quoniã Deum feruenter inuocauit, & anima continente prolatam reuocauit sententiam, & multam adeptus est beneuolentiam, & ad pristinã rediit valetudinem. Et latro in cruce distentus, paucis verbis cœleste regnum assecutus est. Et Hieremias in cœno & in lacu, & in lacu ferisque Daniel, & Ionas in ipso cæti ventre Deum deprecati, circumstantia quęque mala dissoluerunt, & gratiam inuenêre diuinam. Hæc Chrysostomus.

Quæ quidem non ita accipienda sunt, quasi non admodum consulendum sit orantibus, vt eo sint inter orandum corporis habitu, gestuque, qui tum reuerentiam, tum animi demissionem testari solent: sed quod ij nõ sint planè necessarij, neque ab illis omnino pendeat oratio: Etenim & Christus ipse flexis orauit genibus, imò prostratus humi. Et protomartyr Stephanus oraturus pro sese lapidantibus accidit in genua. Quod idem præstitum à D. Petro Tabitham vitæ reddituro apostolica tradit historia. Atque item à Paulo dum Ephesios suos valere iuberet. Huncautem vsum tum Christum tum Apostolos anteceſſisse liquet ex Daniele & ex sacra Regum historia: atque perpetua multorum seculorum traditione in Ecclesia retentum

Luc. 22.
Matth. 26.
Mar. 14.
Actor. 7
Actor. 9
Actor. 20.
c. 6.
3. Reg. 8.

tum constat ex variis, quæ ab huius memoriæ scriptoribus sunt annotata, quibus ne sim longior, supersedeo.

Quod autē de genuflexione est traditum, hoc idem de ceteris vel signis vel gestibus corporis, animi demissionem Deiq; venerationem testatā facientibus omnino videtur accipiendum. Huiusmodi sunt manuū eleuatio, aut extensio, capitis apertio, atq; alia huius generis, de quibus grauissimus auctor Tertullianus ita scribit. Illuc suspicientes Christiani manibus expansis quia innocuis, capite nudo quia non erubescimus, denique sine monitore quia de pectore oramus, &c. Et Hieronymus corpus pariter & animus tendatur ad Dominum. Canisius in Catechismo. In Apolog c. 30 Epist. 4.

Et sanè diffiteri nemo potest, quin animo commouendo, afficiendoque multum valeant exteriora hæc signa, mentemque Deo subiici magis, maiorique eum cultu prosequi corpore pariter demisso, & exteriùs ad venerationem diuinumque cultum composito. Verè enim Augustinus: Orantes (inquit) de membris sui corporis faciunt quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt, quamuis eorum inuisibilis voluntas & cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, Lib. de cura pro mortuis c. 5.

vt humanus ei pandatur animus, ſed his magis ſeipſum excitat homo, ad orandum gemendumque humiliùs atque feruentiùs. Et neſcio quomodo cùm hi motus corporis fieri niſi motu animi præcedente non poſſint, eiſdem rurſus exteriùs viſibiliter factis, ille interior inuiſibilis, qui eos fecit, augetur, et per hoc cordis affectus, qui vt fierent impræceſſit, quia facta ſunt creſcit. Hæc Auguſtinus.

Iam verò cùm ſint multiplices corporis & membrorũ eæq; aptæ omnes orationi compoſitiones, vt ſtatio, genuflexio, proſtratio & huiuſmodi, operoſum foret ſtatuere quæ de illis præferenda videatur omnibus. Et quia potiſſimùm breuiores precationes ſpectamus, exiſtimo quemlibet corporis habitum, ſitumue ijs aptari poſſe, vt ſuperiùs dictum ex Chryſoſtomo: quamquam negari non poteſt eum cęteris vtilitate præſtare, qui vel eſt maioris demiſſionis argumentum, vel corpori laborioſior exiſtit, modò ne luce palàm fiat, ne ſit cuiquam offenſioni. Atque hæc de tempore, frequentia, loco, ſitu harum orationum dicta ſint: ſequitur vt de alia quapiam earundem conditione paucis diſſeramus.

C-A-

CAPVT XXII.

Sintne huiusmodi orationes, voce, an mente tantùm perficiendæ.

QVANDOQVIDEM qualibet occasione, quouis loco, & in media turba & quouis tempore aspirandum ad Deum; id multò quidem cõmodius videtur fieri sola cogitatione quàm vsu vocis ne aliis innotescamus: atque sancti Patres præferunt (spectata quidẽ rei natura, atque si cætera sint paria) orationem quæ solâ mente completur, illi quæ vocis formationem strepitumque desiderat, pauculos autem, exempliq; tantũ causa adferam. Qua de re Ambrosius quidẽ ita scribit: Qui in silentio orat fidem defert & confitetur, quòd Deus scrutator cordis & renis sit, & orationem tuam ante ille audiat, quàm tuo ore fundatur. Lib. 6. de Sacram. c. 4.

Chrysostomus superiore capite allatus non tam (inquiebat) voce opus est quàm attentione.

Tertullianus vtroque antiquior, mentalẽ orationem commendat præ vocali, eamque damnat quæ fit palam clariore voce. Sonos etiam vocis (inquit) subiectos esse oportet, aut quantis arteriis opus est si pro sono audiamur? Deus autem non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector. Dæmonium o- Lib. de oration. c. 13.

raculi Pythij: Et mutum, inquit, intelligo, & non loquentem exaudio. Dei aures tonum exspectant? quomodo ergo oratio lonæ de ventre cæti per tantæ bestiæ viscera ab ipsis abyssis per tantam æquoris molem ad cælum potuit euadere? Quid amplius referent isti qui clarius adorant, nisi quòd proximis obstrepunt? Imò prodendo petitiones suas quid minus faciunt quàm si in publico orent? Hæc Tertullianus de oratione quæ in oculis hominum, quæ quidem ad priuatam etiam possunt accommodari.

Cur autem præstet mentalis oratio vocali, ea potest afferri ratio. Quia cessatio a exteriore locutione liberiorem relinquit animum tum ad attentius cogitandum, tum ad vehementiores feruentioresque voluntatis motiones. Eo fit vt rei naturâ per se spectata sit illa hac longè excellentior & fructuosior. Adde esse etiam plurimùm magis arduam, in eâque exercenda plus laboris subire corpus, vt admonet Bonauentura, & ipse confirmat vsus. Etenim mentis exercitio, corpus auocatur magis à sensibus, viribusque suis ac quodammodo ipsum supra se fertur, quare dum exteriùs ab omni actione feriatur, ab interiori interim mentis attentione debilitatum propè languet ac concidit.

Processu 7. relig.

Cæterùm nullâ ratione negandũ, quin vocalis oratio suas etiã, easque non exiguas habeat

beat vtilitates: immò sit quandoq; etiam necessaria, quando nobis maiorũ præceptione vel publicè vel priuatim certæ precationes indicuntur. Est quidẽ vtilis, quandoquidem (vt asserit Augustꝰ.) interdum voce nosipsos ad deuotionẽ acriùs excitamus. Ad hęc quia mirificè famulatur piis affectibus iã excitatis, ac deuotioni, quæ solet nonnumquã erumpere atq; emicare, iuxta illud Dauidis: *Lætatum est cor meũ, & exultauit lingua mea.* Itẽ, *Cor meũ & caro mea exultauerunt in Deum viuũ.* Denique vtilis est vt non mordò corde, verùm etiam corpore Deo debiti famulatus præstemus obsequium, iuxta illud cuiusdam Prophetæ: Omnem aufer iniquitatem & reddemus vitulos labiorum nostrorum.]

Epist. 121. c. 9.

Psal. 15. Psal. 83.

Oseæ cap. vlt.

Quas quidem orationis quæ voce perficitur vtilitates laudatâ priùs præ ea mentali, his verbis complexus est S. Laurentius Iustinianus: Vt ad orationis, inquit, perfectionem & spiritus perspicuitatẽ pertingere possint, quicũque Deo vacare cupiunt, studeant cùm orationi insistunt, mentali exercitationi incumbere, & à vocali oratione cessare. Nam iuxta incarnatæ veritatis sententiam adoratores Dei, Deum in spiritu & veritate adorant. Non tamen semper vocalis oratio ab adoratoribus veris repudianda est orationis tempore aut cõdemnanda, frigescente namque spiritu, & ab interioribus

De disciplina monasticæ conuersationis c. 18.

Ioan. 4.

ad exteriora redeunte, opportunum adminiculum ad deuotionem excitandam est vocalis oratio. Accenso verò deuotionis igne, ori silentium imponendum est, & à vocali oratione cessandum, ne pro exiguo, maximum præpediatur bonum: seducitur enim quisque, cùm superuenientis gratiæ perfruitur dulcedine, si oranti linguæ non interdicit loquelam, excepto dumtaxat illo tempore, quo diuinorum officiorum persoluit debitum ad quod tenetur. Tunc enim (si valet) oret spiritu, oret & mente: omnibus namque modis nitendum est, atque subsidia inuenienda sunt siue per vocalem orationé, seu per prostrationes, aut manuum extensiones, vel quomodolibet vt mens absque impedimento eleuetur in Deum quum orationi insistit. Nam orationis finis hic est, vt anima Deo vniatur per pium caritatis affectum præuio lumine diuinæ agnitionis. Hæc S. Iustinianus.

Ex cuius extremis verbis illud colligere licet, vocalis orationis adminiculo vtendum illi, cuius ope tum velocius orationis finem qui est adhærere summo immensoque bono tum faciliùs consequitur. Atque hæc de aspirationum conditionibus sufficiant. Deinceps de earum tum effectis tum adminiculis atque impedimentis disputandum.

LIBER

DE ORATIONIBVS IACVLATORIIS LIBER IV.

CAPVT I.

De tribus orationum iaculatoriarum effectis.

TRADVNT Theologi, harum orationum, vt & cæterarum quæ ab homine charitate prędito fiunt, primarios fructus esse tres. Vnus est satisfactio, alter impetratio, deinde meritum: satisfaciendi quidem vi pollet oratio iaculatoria, quia & actio bona est & exercetur (id enim ponimus) à persona Deo grata, estque opus laboriosum: Etenim si sola fiat cogitatione, eâ se mens in Deum erigit, quod cum nisi vehementiori mentis applicatione non perficiatur, magnam in ea necesse sit tum carneæ molis ac sensuum, tum animi luctam, certamenque interuenire. Vnde il-

3.12.12. illud Ecclesiastis frequens. *Meditatio carnis est afflictio.* Si verò orationi vox adhibetur cùm ea peculiarem laborem, corporíque fatigationem accersat, non est ei quidē certè satisfaciendi facultas adimenda; quam sibi ex sacris scripturis etiam vindicat. *Bona est* (inquit Angelus ad Tobiam) *oratio cum ieiunio & eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere.* Et quamquam illico subijciatur: *Quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam:* quasi verò mortis liberatio, purgatioque peccatorum vni eleëmosynæ ascribenda videantur. Falsò, cùm enim tria hæc generatim æquiparentur, quod de vno, idem de cæteris asserendum.

c.12.

Alterum propositū erat impetratio, cuius quidem tot Christi extant promissa, vt de ea nisi incredulus dubitare nemo possit. *Petite,* inquit, *& accipietis:* Et, *omnis qui petit accipit, qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* Item, *si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* Quæ quidem de oratione vniuersè dicta, iaculatoriis neganda non sunt; iis itaque tum animi corporisque beneficia, eaque vniuersa (vt verbo complectar) quæ nobis, aut necessaria sunt aut vtilia impetrantur.

Matth.7 Luc. 11. Ioan.16.

Quemadmodum enim vt præclarè Chrysostomo est obseruatum, quarum rerum corpori necessarius est vsus, earum nullam natu-

Lib. de oration.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tura homini impertit, at eum quidē nudum omnino, rerumq́; omnium egentissimum in lucē emittit. Verùm largitur ei manus, quarū vsu omnia sibi ipse arte industriâq́; suâ prouideat: quæ propterea scitè à nōnullis organum organorum appellantur, quòd earū adminiculo tum vniuersa confici instrumenta, tum cibus, vestis, tectum, arma etiam, quidquid denique desiderat mortalium vita, facilè queat apparari: sic etiam in ea vita, quæ mente animoque continetur, planè est homo rerum omnium inops, nec quidquam nisi diuinâ ope fultus non modò operari, sed ne effari quidem, aut cogitare potest. Verùm datum est ei organum organorum, id est, oratio, cuius præsidio, dummodo eâ norit vti, vniuersa quantumlibet ardua, atque supra humanas vires, facilè consequatur.

Meritum (is enim erat tertius orationis effectus) ita arctis cum ea vinculis cohæret, vt numquam absit; impetret necne quod postulatum est. Oratio itaque meretur semper vberiorem cùm gratiam, tum gloriam, si modò ab homine iusto, & quemadmodum oportet fusa sit. Cuius rei testimonium extat grauissimum in sacris litteris; *Cùm oraueris* (inquit Christus Dominus) *intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.* Matth. 6

Ex quibus sanè verbis Dominus vult intelligi orationem esse opus bonum, cui si benè, decenterque fiat, sua sit merces: vnde rursus efficitur orationem esse meritoriam, quandoquidem merces merito iustè proprièque respondeat.

CAPVT II.

Fusior explicatio tertij effectus, & vtrum orationes iaculatoriæ minùs mereantur, quia breuiores.

EX iis conditionibus, quibus studiosæ actionis qualiscumque augetur mèritum, aliæ augent etiam eius bonitatem moralem (vt vocant) actionémque ipsam intrinsecus efficiunt meliorem: Aliæ non superioris quidem generis sunt quantitas maior, ad hæc intensio, tum libertas, postea difficultas, denique finis præstantior. Posterioris ferè sunt tum mora, quæ adhibetur actioni, tum sanctimonia efficientis eam; quò enim hęc vtraque tam vnius, quàm alterius generis maiora existunt, & ampliora, hoc etiam (si cætera quidem sint paria) quam perficient studiosam actionem, ea sanè maiorem promerebitur tum gratiam, tum gloriam.

Quæ quidem doctrina haud parum (atque illud maximè de diuturniore mora) videtur derogare de iaculatoriarum quæ plurimum

rimum breuiores sunt, tum merito, tum auctoritate. Etenim si vt quisque orat diutiùs, ita meretur, magis: quantulum mereatur is qui idipsum momento aut breuissimo aliquo tempore præstat? Verùm benè res habet non constare meritum omne temporis mensurâ, neque verò præcipuam eius partem: quandoquidem ab ijs quæ prioris sunt generis, dependeat imprimis studiosæ actionis meritum, quæ quidem hisce nostris aspirationibus non deesse, sic paucis explico.

Quantitas auget, exaggeratque meritum operis (plus namque meretur qui dat aureos centum egeno, quàm qui vnicum modò) quia ab ea ipsa efficitur studiosæ actionis materia præstantior, à qua quidem pendet imprimis ipsius meritum. Quocirca si iaculatoriæ quamquam perbreui, nobilior subiecta sit materia quàm sit ea in qua versatur longior oratio, maiorem profectò tum laudem, tum mercedem consequetur; Occupetur itaque illa diuini amoris actionibus, hæc autem inferiori alicui virtuti insistat, tum planũ est illã (cæteris paribus) huic, & gloriâ & merito longè esse superiorem.

Quamquam id quidem negari non potest actionem, quâ diligitur Deus super omnia toto corde, mente, anima atque viribus omnibus, longiori tempore productã, magis valere, quàm ea quæ momento abrumpi-

rumpitur. Verùm quotuſquiſque eſt, qui poſſit inter orandum, diutiùs diuini amoris exercitio, immorari? cùm id ſit potiſſima contemplationis pars, quæ tum ob corporis vi magna deorſum nitentis pondus, tum ob virium imbecillitatem, tum ob rei celſitatem, penè temporis puncto perficitur.

2. 2. q. 180. art. 8. Quod quidem variis locis traditur tum à Sancto Thoma, tum à Gregorio in hæc verba. Mens noſtra ſtare in cogitatione non valet, ſed omne quod de æternitate perſpeculum & in ænigmate conſpicit; quaſi furtim hoc, & per tranſitum videt: loquitur autem Gregorius, non modò de intelligentia, ſed multo maximè de voluntate, amoriſque affectione, cuius exercitio, finis, perfectioque contemplationis omnis continetur. Atque id ipſum docet ad illa Iobi verba: *quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius*. Venas (inquit) ſuperni ſuſurri, auris cordis furtiuè ſuſcipit, quia ſubtilitatem locutionis intimæ, afflata mens, & raptim & occultè cognoſcit.

Hom. 5. in Ezechiel.

Lib. 5. moral.

Et non ita multò poſt. Vix ſuſurri venas apprehendimus, quia ipſi quoque mira eius opera raptim, tenuiterque penſamus. In eádem ſentétiam Bernardus, qui poſteaquam contemplationem vocaſſet ſilentium in cælo, id eſt in anima iuſti, alludens ad certum de Apocalypſi locum hæc habet. Quamdiu ſumus

Lib. de amore Dei c. 4.

sumus in hac vita, hoc fœliciſſimæ pacis ſilentio in cęlo, id eſt in anima iuſti, quæ ſedes eſt ſapientiæ, aliquando fruitur affectus, ſed hora eſt dimidia, vel quaſi dimidia, intentio verò de reliquiis cogitationis, diem feſtum perpetuum agit tibi.

Quo loco per dimidiam vel quaſi dimidiam horam accipe cùm P. Soarez, non quidem quod verba ipſa ſonare videntur, ſed breuiſſimam huiuſce actionis morã. Quod quidem haud parum tum excellentiam tum præſtantiam, tum meritum iaculatoriarum commendat, quod ipſum contemplationis apicem extremum iam tandem poſt multos ſudores adeptus animus eas ferè ſolas adhibeat, iiſque exiguo licet paſcatur tempore, quandoquidem ob rationes dictas tam ſublimi amoris operatione, quæ eſt contemplationis quaſi adeps, nemo valeat diutiùs diſtineri, neque in hac vinaria cella longiores moras trahere. Lib. 2. de orat. c. 10.

Neque verò id proprium eſt contemplationis, vt eius actiones iaculatorijs conſtent; verùm quælibet oratio, maximè quæ mente perficitur, vt frugifera ſit ac ſalutaris, illas ipſas iaculatorias adhibeat neceſſe eſt. In confeſſo namque eſt omnes apud ſpiritualis vitæ peritos, tum demum res diuinas meditanti ſuum operæ conſtare fructum, quando poſt diuturniorem mentis inueſtigationem

ac

ac ratiocinationem, prorumpit tandem in pium aliquem affectum erga Deum: qui quidem affectus cùm modico duret tempore, vt experientia cõstat (neque enim ferre possit humana imbecillitas diuturniores illas animi motiones) meritò ad iaculatorias orationes est reuocandus. Quæ quidem meditanti, scilicet voluntate iam excitatâ atque commotâ, frequentiùs iterandæ sunt. Quod sanè ita est vtile, vt in eo positum sit totum meditationis momentum.

Atque hoc ipsum est quod cælestes facitant ciues apud Isaiam, cùm diuinæ maiestatis admiratione suspensi creberrimè quasi eiaculantur illud: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum:* eò fit, vt à D. Ioanne
Apoc. 4. dicantur requiem non habere die, ac nocte, id est nunquam omnino cessare à laude Dei. Neque verò vlla erat SS. Dauidi orandi ratio familiarior, quàm hæc quæ iaculatoriarum repetitione constat. Siquidem complectebatur is animo vnam aliquam excellentiam earum, quę diuinam naturã perficiunt, quâ benè intellectâ, menteque iam cælesti lumine completâ, erumpebat is, breuioribus hisce aspirationibus in vehemẽtissimos voluntatis affectus, quarum frequenti repetitione eandem continuabat animi motionem. Cuius quidem rei tam occurrunt frequentia exempla, vt superfluum videatur ijs re-

recenſendis diutiùs immorari.

In ijs illuſtre admodum eſt, quod ex pſalmo quinto & triceſimo ſupra centeſimum ducitur, in quo frequentiſſima huiuſce diuini elogij (*quoniam in æternum miſericordia eius*) repetitione ſe ipſum mirificè excitat ad diuina miſericordiæ miracula, prædicanda. Quid, quod ipſa item Chriſti domini ſponſa Eccleſia, columna & firmamentum veritatis, nos ad frequentem hanc affectuum repetitionem inuitat, dum in ſacro-ſancta liturgia vel ad excitandam contritionem, vel ad iam excitatam luce palàm depromendam, ter percuſſo pectore ingeminat *mea culpa*? dum poſtea expetendæ Dei miſerationi nouies κύριε ἐλέησον adhibet? dum ſolemni publicoque diuini officij concentu decies alleluia ad Dei laudes cumulandas; vnius Antiphonæ ſpiritu pronuntiat? Quid tot quæſo tamque frequentes vnius eiuſdemque rei repetitiones? Aliudne ſunt quàm orationes iaculatoriæ crebriùs vſurpatæ? In laudibus paſch. offic.

Neque verò ab hac orandi ratione abhorruêre ſancti Patres: Serò te amaui (ita exclamat Auguſtinus) pulchritudo tam antiqua, & noua, ſerò te amaui. Et alibi. Et cognoſcam te cognitor meus, cognoſcam te. Sanctum verò Franciſcum orando toties hæc iteraſſe: Deus meus & omnia, Deus meus & omnia, vt eâ exercitatione noctes ipſas trãſegerit l. 10. confeſſ. c. 17. c. 1.

egerit ſuperiùs commemoratum eſt. Nimirum eſt hæc crebra affectionum repetitio, recta, certaque via ad eam cum Deo conſuetudinem, quam ſcopum eſſe orationis, atque imprimis contemplationis; à maioribus noſtris accepimus. Neque verò eſt via tantùm, ſed eius ipſius compendium etiam, ad veræ ſolidæque deuotionis habitum comparandum, qui niſi frequentibus actionibus non efficitur: qua de re ita grauiſſimus teſtis D. Bonauentura;

1. de myſtica Theol. quæſt. vltima.

Si quis, inquit, per viam purgatiuam benè præparatus frequentiſſimè hoc dictum corde frequentaret. ô domine quando te diligam; quando te conſtringam? citiùs ſe ſciret experimentaliter inflammari, quàm ſi de ſecretiſſimis cæleſtibus, vel de æterna generatione vel proceſſione millies cogitaret. hæc S. Bonauentura. Maneat ergo contemplationis, meditationis, orationiſq; omnis fructum atque meritum, precatiunculis iaculatorijs, quæ affectu iam commoto, excitataque voluntate fiunt, colligi potiſſimùm. ſed ad propoſitas maioris meriti cauſas redeundum.

Intenſio maior actionis (quæ quidem altera erat cauſa augens meritum, plus enim meretur qui feruidè, quàm qui remiſsè Deū amat) propria videtur harum orationum, quæ ob ſui breuitatem maiore animi tum

conatu,

conatu, applicationeque, tum incitatione perficiũtur, quæ eadem in longioribus non existunt: tum quòd non possit animus tamdiu quasi arcum contentum tenere, feruoremque conceptum producere: tum quòd vt inquit Cassianus, dæmon nobis semper infestus, tunc maximè adsistit infestior, cùm contra se offerre nos preces Domino velle peruiderit, cogitationibus excitatis, abducere mentem nostram à supplicationibus intensione festinans, & per hoc eam tepefacere à cœpto feruore contendens. Quamobrem vtilius censent breues quidem rationes sed crebertimas fieri, illud quidẽ vt frequẽtiùs Dominũ deprecãtes, iugiter eidẽ cohærere possimus, hoc verò vt insidiãtis diaboli iacula, quę infligere tũc nobis præcipuè cùm oramus insistit, succinctâ breuitate vitemus. Hæc Cassian. Qui quidẽ breuiorũ precationũ vsum vtpote feruentiorum de communi Patrum Ægypti sententia, longioribus præfert, quas ipsa mora animique imbecillitas non patitur esse tam vehementes. lib. 2. instit. c. 10.

Pulchrè quidem sanctus Nilus de hac ipsa re: non spectat inquit, ad laudem orationis, quanta sit, sed qualis: quod quidem non ita accipiendum quasi verò nihil omnino laudis à quantitate moraque temporis consequatur oratio, sed quòd potissima eius excellentia, qualitate, intensio- De oratione c. 145.

ne feruoreque contineatur. Equidem præ-
tulerim vnicam inuocationem sancti Spiri-
tus, quæ fit solemni illo Ecclesiæ hymno
Veni Creator, qualem accepimus fuisse beati
Francisci Xauerij, cuilibet vel longissimæ
orationi si tepidè & oscitanter fiat. Verùm
audiamus quid de eo Tertullianus noster.

Lib. 6. vitæ c. 5. Ad mentis (inquit) attentionem, ac pie-
tatem vehementiùs accendendam hymnus
Veni Creator ante singulas ecclesiastici offi-
cij horas pronuntiato, haud segniter sancti
Spiritus exposcebat opem, quemquidem il-
le hymnum tanto semper pronuntiabat ar-
dore, vt ei cor è pectore exilire, animusque
deficere videretur.

Sed ne quempiam ab orandi studio illud
abducat, quòd non eximium illum precan-
di feruorem in se ardoremque experiatur,
id imprimis intelligendum est quod à pe-
rioribus quibusque Theologis traditur: ne-
mirum, neque ab oratione, neque ab alia
quapiam studiosâ actione certum vllum aut
statum requiri gradum mensuramque in-
tensionis aut feruoris, vt si eò fortè non per-
tingat, desinat ea promereri tum gratiam,
tum gloriam: Neque verò eorum recipien-
da est sententia, qui id negant esse opus me-
ritorium, quod est remissius habitu à quo
promanat. An non pollicetur Deus ope-
bus etiam minimis, (quę quidem eius in nos
est

est benignitas) æternam beatitudinẽ, dummodo ab amico ipsíque accepta persona fiant? *Qui recipit Prophetam* (inquit) *in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet*. Num hîc exigitur vt magnâ id fiat animi seu contentione, seu vehementiâ? Et alibi. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: seruantur autem etiam operibus habitu ipso à quo fiunt multo remissioribus. Ad hæc œcumenicũ Concilium habitum Tridenti, vniuersè definit, iustorum opera, à gratia profecta merendi vi pollere, nec vllum petit certum intensionis gradum: eiusque definitio cùm dogma contineat, decretumque fidei, Theologorum quidem sensu, æquiualet definitioni vniuersali. Postremò cùm peccatum mortiferum, quantumuis remissum paruóque affectu commissum, supplicium mereatur æternum, cur quodlibet virtutis officium, ab amico præstitum, non valeat ad vitam æternam. Num erit igitur procliuior Deus Opt. Max. ad vlciscendum, quàm ad remunerandum, proniórque ad pœnam quàm ad gratiam?

Matth. 10.

Matth. 19.

Sess. 6. can. 32.

Atque ex proximè dictis videre licet, quàm incredibili fructu frequententur hæ ad Deum aspirationes, quamque vberem possit quisque meritorum, cælestiumque donorum segetem in dies, imò in horas propè singulas colligere. Etenim si is, qui

diem totum extrahit frequentibus exemp
gratiâ in Deum blaſphemiis, animo licet di
ceptis tantũ, variiſque item actionibus ob
in proximum, cupiditatibuſq; vindictæ ac
bidinũ generibus ſponte cogitatis, quas ex
animo ac voluntate approbet ſtatuatque
ita res ferat re exequi: ſi hic, inquam, perd
tus & flagitioſus exacto die toties ignis æ
terni reus exiſtit, quoties mentem prauo a
liquo deſiderio fœdauit? quoties quæſi
per diem, & quàm innumerabiles ob cau
ſas æternâ dignus erit mercede is, cui dies
ipſa abiit tota, ad Deum aſpirando? mo
dò quidem actionum amoris exercitio, mo
dò verò petitione virtutum, aliàs anteactæ
vitæ dolore, aliàs propoſito melioris? Quàm
ſe is ad veſperam ratione ſecum initâ, com
Iſaiæ 60. periet diuitem meritorum, cæleſtiumque
donorum? tunc videbit ſanè & affluet &
mirabitur & dilatabitur cor eius: mira
bitur tantillâ re tantùm feciſſe quæſtum; mi
rabitur ſe tam exiguo labore, breuiculiſque
precationibus tam ingentem perennis fa
licitatis mercedem præmiumque conſe
cutum. Vt verbo abſoluam, mirabitur (quod
ſuprà monuit non ſine admiratione Bo
De per- nauentura) ſe id oratiunculâ vnicâ ade
fect. vi- ptum, quo vel mundus ipſe quantus quan
tæ c. 2. tus eſt longè & dignitate & fructu eſt in
ferior.

Ad

Ad intensionem porrò, reuoco attentionem, quæ plurimum conducit etiam ad orationis meritum, quæque faciliùs breuiore quàm longiore habetur: pluris enim facit Deus (Basilio teste) breuem precationem attentè fusam, & quemadmodum decet, quàm longiorem his vacuam qualitatibus: neque is orationum vel multitudine vel morâ, verùm earum pondere feruoreque vincitur.

Ad libertatem & difficultatem maiorem quod attinet (quæ duo erant reliqua capita augendi meriti) nihil occurrit proprium harum orationum: Atque etiam communia sunt cum omni oratione, quæ de orantis sanctitate (quæ quidem erat altera causa quæ extrinsecus merito amplificando deseruit) fusè possent disputari.

Altera autem erat quantitas temporis de qua Tullius. Recta, inquit, affectio, quam Græci κατόρθωσιν vocant non fit maior productione temporis; quæ quidem de maiori rectitudine seu bonitate interiore accipienda sunt, quam productione temporis non crescere constat inter omnes. Verùm ne deest quidem ipsa breuioribus hisce aspirationibus, quamquam enim frequenter interrumpantur, nec productiores moras continentis temporis patiantur, nihilominùs post modicam quietem resu- De finibus l. 3.

muntur frequentiùs, vt ſi eas tempore continuò metiamur, parùm quidem durent: multum autem ſi tempore diſcreto vt philoſophi loquuntur: quas vniuerſas temporis diſcreti partes, ſi in vnum conferes, vtique continuati temporis non exiguam partem portionemque confeceris.

Quod vtinam obſeruent ij, qui inualetudine corporis, aut capitis imbecillitate, aut negotiorum multitudine præpediti longioribus orationibus, quas vel religioſa diſciplina, vel pia conſuetudo præſcribit, non ſufficiunt. Etenim ſi breuiores haſce frequentent, in iiſque ſint creberrimi (vt ſuprà monebat Caſſianus) rationibus actitéporis ſecum ipſi ad veſperam ſubductis, comperient ſanè ſe nihilominus temporis, licet ſecreti diuulſique, precationi dediſſe, quàm qui idipſum continuato tempore præſtiterunt. Quocirca non minùs quàm hi orationis tempus à regula præſtitutum & fortè vtilius atque vberiore fructu, meritóque expleuerint.

Vter enim, dic, amabò, horum duorum regi gratior exiſtit, an qui ei totum diem adſtat, verùm oſcitabundus, & aliud agens, an verò qui ſe certo tempore & ex interuallo regi ſiſtit ſupplex magnaque animi promptitudine amoriſque ſignificatione, voce denique, geſtu, habituq; corporis atque vni-

uerſis

uersis ad obsequium comparatis, se eius obsequio deuotum testatur? Clarior est ea res, quàm vt à me indicetur. Neque verò obscurum esse potest creberrimè ad Deum aspirantem posteriori annumerandum, quem priore longè Deo acceptiorem esse crediderim, quòd longiori orationi eam quæ decet quamque rei præstantia exigit adhibere tum attentionem tum intentionem, sit admodum arduum, & quod inde sit parum vsu ipso receptum probatumque his addo longioris meditationis fructum post diuturnam veri inuestigationem, tum demum percipi, quando mens (vt etiam suprà obseruatum est) in affectus feruentioresque iaculatorias erumpit.

Sed ne exigua earum mora angatur quispiam, quasi parui omnino sit meriti tantillo tempore supplicare. Intelligat is se huic incommodo (si quod est) desideratione longioris orationis supplere posse; optet itaque & sincerè atque ex animo expetat diutiùs orare: cùm id (quæcumque sit demum eius rei causa) præstare non possit, sanè diuturnioris illius precationis seu laudem, seu meritum consequetur: solent enim diuinæ litteræ laudem humanarum actionum omnem, voluntati ascribere. Argumento sit illud Angeli personam Dei agentis ad Abraham, quem ob efficacem dumtaxat voluntatem,

tatem, natum ex se sacrificandi Deo citra effectionem tamen, ita compellat. *Per memetipsum* (inquit) *iuraui, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris*; Nihilo scilicet minoris æstimans eximiam illam animi promptitudinem, atque si illam opere præstitisset.

Gen.22. 16.

An non Apostolus promptam voluntatem asserit acceptam esse secundùm id quod habet, non secundùm id quod non habet? In quam sententiam præclarè D. Cyprianus; In opere (inquit) etiamsi per mediocritatem minus fiat, ipsa voluntas satis est. Et D. Ambrosius. Affectus (inquit) diuitem collationem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit. Idipsumque dicet Cassianus his verbis. Dominus non solum pro operationis effectu, sed etiam pro voluntatis ac voti desiderio, vnicuique aut præmium reddet aut pœnam. Atque item Gregorius. Dominus cor non substantiam pensat: nec perpendit quantum in sacrificio, sed ex quanto proferatur. Hinc Psalmista dicit. *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi.* Ac si apertè dicat. Etsi exteriùs munera offerenda non habeo, intra memetipsum tamen inuenio, quod in ara tuæ laudis impono. quia quic nostra

2.Cor.8

1.3.ad Quirin. c.4.

1.1.Officc.30.

1.8.Inst. c.19.

Hom.5. in Ezech.

nostrâ datione non pasceris, oblatione cordis placaris. Nihil enim offertur Deo ditius voluntate bonâ.

His non absimilia cæteri Patres, quæ quidem res magno solatio sit oportet tum ægris corpore, tum negotiosis hominibus, quorum seu valetudo seu occupationes, productiores orationes non ferunt.

Atque hæc de præcipuis tribus harum iaculatoriarum effectis.

CAPVT III.

De aliis earum sed secundis effectis, ex Græcis Patribus.

MIRVM est quàm sint tum frequentes tum diserti sancti Patres in explicãdis orationis fructibus; qui quoniam omni cõueniunt orationi, suam etiam sibi partẽ vendicant orationes iaculatoriæ, atque eò fortè maiorem, quàm longiores, quod illarum vsus sit maior & frequentior à pluribusque vsurpetur, feruidioreque plurimùm fiant affectu vnde & vberior fructus colligatur. Atque ordiar à sancto Gregorio Nysseno, cuius hæc sunt orationis seu encomia seu fructus. Oratio pudicitiæ præsidium atque tutamen est, iræ moderatio, superbiæ sedatio atque repressio, iniuriarum tenacis memoriæ expurgatio, inuidiæ pro- l. de oratione sub initium.

profligatio, iniuſtitiæ ſublatio, impietatis correctio. Oratio corporũ robur eſt, abundantia domus, recta iuris ac legum in ciuitate conſtitutio, regni vires, belli trophæũ, pacis ſecuritas, diſſidentium conciliatio, coniunctorum conſeruatio. Oratio virginitatis ſigillum eſt, matrimonij fides, viatoribus ſcutum, dormientium cuſtos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, nauigantium ſalus. Oratio reorum, & cauſam dicẽtium patrona, noxiorum ac vinctorum relaxatio atque ſolutio, fatigatorũ requies, mœrentium conſolatio, gaudentium animi delectatio, lugentium ſolatium, nuptias contrahentium corona, natalitij feſti celebratio, morientium funus. Oratio conuerſatio, ſermocinatioque cum Deo eſt, viſum effugientium contemplatio, eorum quæ concupiſcuntur certa fides, eiuſdem cum Angelis honoris conditio, bonorum progreſſus, & incrementum, malorum ſubuerſio, peccatorum emendatio, præſentium fructus, futurorum comprehenſio. Hæc Sanctus Nyſſenus, qui poſt allata aliquot è ſacris litteris exempla, quibus propoſitum ſuum probat, ita concludit. Atque ſexcenta (inquit) præter hæc ex iis, quæ iam acciderunt exempla licet inuenire, quibus palàm fit, nihil ex iis, quæ per hanc vitam cóluntur & in pretio ſunt, orationi præſtare. Ita

Nyſſe-

Nyssenus, quæ eadem ad verbum ab eo mutuatus est Sanctus Ephrem. Lib. de oration.

Sed Chrysostomi aurea verba de tota hac re audiamus. Deprecatio (inquit) caput est bonorum omnium, basis ac radix vitæ frugiferæ, basis inquam quæ cæteris omnibus substernitur. Neque secus ac nauem, ac domum ea quæ substrata sunt valida reddunt, ac ne soluatur continent, ita nostram vitam orandi studium & continet, & vbique firmam reddit, adeò vt absque hoc nihil nobis boni possit contingere, neque quod ad salutem conducat. Decet igitur nos cum precatione, vitæ cursum peragere, atque hac mentem rigare. Si quidem hoc omnes homines non minus opus habemus quàm arbores aquarum humore. Neque enim valent illæ fructus producere, nisi bibant humorem radicibus, neque nos pretiosis pietatis fructibus poterimus esse grauidi, nisi precibus irrigemur. Hactenus Chrysostomus. Ex quibus habetur non modo quantorum bonorum sit efficiens precatio, sed quàm sit etiam Christiano homini necessaria. Lib. 1. de oration.

Atque Chrysostomus quidem quasi nihil à se ante dictum, rursus posteriore de oratione libro aggreditur ad eius laudes. Omnium maximum (inquit) quod de precatione dicere possumus, est quod quisquis orat,

orat, cum Deo colloquitur. Quantæ enim dignitatis sit hominem cum Deo miscere sermonem, neminem latet: ceterùm eam dignitatem oratione consequi, nemo prorsus valet: quandoquidem hic honos etiam Angelorum superat maiestatem. Orantes itaque existimemus nos in Angelorũ medio cõsistere, idemque sacrificium cum illis peragere. Orare namque commune opus est Angelorum pariter & hominum, neque quidquam interest inter naturam nostram & illorum, dumtaxat quod attinet ad precationem. Hæc te sociat Angelis. Quin facilè fiet vt quis in illorum ciuitatem transferatur, in illorum vitam & consortium, ad illorum honorem, nobilitatem, sapientiam & intelligentiam, qui per omnem vitam precibus ac diuino cultui vacare studuerit. Quid enim inueniri possit, sanctius his qui cùm Deo commercium habent, quid porrò iustius? quid ornatius? quid sapientius? Etenim si qui cum sapientibus viris colloqui solent propter assiduam consuetudinem, breui sic transmutantur, vt illorum prudentiam referant: quid dicere conuenit de his, qui cum Deo colloquia miscent, ei sua vota deferentes? quanta sapientia, quanta virtute, quanta prudentia, quanta bonitate, quanta sobrietate, quanta morum æquitate replet illos precatio & obse-

obsecratio? proinde nequaquam aberrarit à vero, si quis affirmet depreçationem esse causam omnis virtutis, & iustitiæ, neque quidquam eorum quæ conferunt ad pietatem, venire posse in animum, cui non adsit deprecatio & obsecratio. Hæc & alia plura Chrysostomus de eximiis orationis fructibus & effectis, quibus si quis animum diligentius aduertat, fieri non poterit quin eorum vtilitate allectus, orationem deinceps tot tantorumque causam bonorum studiosè atque assiduè colat.

Sed nihil frequentius incurrit in stylum sanctissimorum virorum, quàm huiusce virtutis præconia & effecta; Sicut panis (ait Beatus Nilus) est alimentum corporis & virtus animæ; sic spiritualis oratio alimentum est mentis. Diuus Dionysius Areopagita, eam comparat cathenæ magna luce nitenti (ita enim loquitur) atque è summo cælo pendenti, & in terram vsque demissæ. Item funi anchoræ alligato.

c. 95. de orat.

c. 3. de diuinis nominibus.

At Nazianzenus, Non leue (inquit) momentum ad augendum animi robur iis affert oratio, qui ad virtutis studium accinguntur. Sed extremum Origenem audiamus, Sicut (inquit) firmamentum cælum appellatum est, ex eo quòd diuidat inter aquas quæ super ipsum, & aquas quæ sub

Orat. in laudem Cypriani.

In Genesis c. 2

sub ipso sunt: ita homo in corpore positus, diuiserit superiora & cælestia ab inferioribus, & terrenis (in oratione scilicet & consideratione) & ipse cælum, id est cęlestis homo appellabitur.

Hæc Origenes & patres Græci, veniendum modò ad Latinos.

CAPVT IV.

Prosecutio superioris capitis ex Patribus Latinis.

TAM fuit Diuus Augustinus orationis amans, vt in eius laudes qualibet captata occasione frequenter excurrat: neque id mirum sanè, quippe qui eius tum vim, tũ necessitatem proprio vsu experientiáque didicerat. Oratio sancta (inquit) columna est sanctarum virtutum, deitatis scala, viduarum maritus, Angelorum cognata, fundamentum fidei, monachorum corona, cõiugatorum leuamen. Beatus qui te amat, beatior qui te frequentat. Beatus qui te astringit, sed beatior qui in te perseuerat. Beatus qui tecum lacrymas fundit; quoniam holocaustum sanctum Deo & immaculatum offerre non dubitamus.

Ad fratres in heremo serm. 22

Ostendit alibi facto Ionæ, quanta sit orationis vis, quomodo omnia peruadat, nihilque

In Psal. 129.

hilque sit ei imperuium. Clamauit (inquit) de profundo Ionas, de ventre ceti. Erat non solùm sub fluctibus, sed etiam in viscerибus belluæ: nec tamen illud corpus, & illi fluctus intercluserunt orationem, ne peruenirer ad Deum, & venter bestiæ non potuit tenere vocem deprecantis. Penetrauit omnia, dirupit omnia, peruenit ad aures Dei: si tamen nunc dicendum est, quia diruptis omnibus peruenit ad aures Dei quando aures Dei in corde precantis erant. Item probat oratione, castitatem, seruari illibatam, fortissimumque esse aduersus hostes præsidium. Orationis (ait) fauore castitas pudorem proprium seruauit intactum, ac quietum, decepitque alienum. Omnis erat in ciuitate victoria, & in hostilibus castris tremor erat & fuga. Iudith in ciuitate cum securis secura. Vbi enim assiduis pulsatur orationibus cælum, potentia semper calcatur armorum. Ecce glorioſæ fæminæ castitatem seruauit oratio, & hostem seruare non potuit multitudo.

Serm. 66. tom. 10. in appendice.

Hieronymus qui sæpiùs noctes totas orando duxit, tantùm tribuit orationi, vt asserat ab ea Dei potentiam impediri. Quando (inquit) Dominus dicit, Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos, ostendit se teneri posse, ne faciat quod minatus est. Dei enim potentiam, serui preces impediebant.

Epist. ad Gaudẽtium.

Exo. 32.

In Ezechiele c. 3.

Atque

Atque quemadmodum murus hosti opponitur, & aduersario occurri solet ex aduerso contraque venienti, ita Dei sententia, sanctorum precibus frangitur. Cui enim dicitur, dimitte me, ostendit quod tenendi habeat facultatem. Hæc Hieronymus & verè si de Dei sententia, decretoque non eo quidem absoluto, sed positâ conditione accipiantur.

Ambrosius & ipse eximius orationis cultor, finem non facit eius prædicandæ & celebrandæ. Si indecorè inquit, alicuius rei cupiditate langueſcis, obserua Dominum, fidem defer, nec vllam timeas moram: vbi adest, omnino adest verbum, fugatur cupiditas, libido discedit. Item, armatura ecclesiæ est oratio, quæ aduersarium vincit.

lib. de viduis.

Ibidem.

Hæc Ambrosius, & plura in eandem sententiam, quæ à nobis superiùs vt se res dabat, commemorata sunt. S. Ioannes Climachus vir eximiæ tum sanctitatis, tum doctrinæ, aureo illo tractatu qui ab eo climax appellatur, hæc admiranda recensèt orationis effecta.

Gradu 28.

Oratio (inquit) constantia est mundi, ornatus collectio, reconciliatio Dei, lacrymarum mater, earumque item filia, peccatorum propitiatio, tentatorum pons, tribulationum interpositus paries, bellorum confractio, Angelorum opus, incorporearum omnium

omnium virtutum cibus, futura lætitia, infinita operatio, virtutum fons, gratiarum ministra, profectus inuisibilis, nutrimentū animæ, mentis illuminatio, desperationis amputatio, spei & fidei demonstratio, tristitiæ solutio, monachorum diuitiæ, solitariorum thesaurus, iræ minutio, speculum profectus, mensurarum indicium, status insinuatio, reuelatio futurorum, clementiæ significatio, Oratio eis qui rectè orant, curia & iudicium & tribunal Domini ante futurū tribunal est. Hactenus Climachus, iuxta piè ac disertè de orationis fructibus, in quibus illū censeo longè maximum, maximeque æstimandum, quòd qui ritè orat, sibique in hac vita Deum propitium reddit, tremendo eius tribunali, exactoque examini sese subtrahit, vt nec illi videatur timendum ab auditione mala, nec à verbo illo longè asperrimo; Ite maledicti in ignem æternum. S. Isidorus præscribit vt precatio cuiuis opponatur tentationi; hoc est., inquit, remedium eius qui vitiorum tentationibus exæstuat, vt quoties quolibet tangitur vitio, toties ad orationem se subdat, quia frequens oratio impugnationem extinguit dæmonum. lib. 3. de summo bono. c. 7.

Claudet Latinorum agmen B. Laurentius Iustinianus, qui tractationem suam de oratione concludit eâ pereleganti amplificatione, quam vocant rhetores ab his quæ De disciplina monasticæ cõuers. c. 18.

sunt orta de causis, quam eandem adhibuit etiam suprà B. Climachus. Oratio (inquit) est beatissima virtutum nutrix, vitiorum interemptrix, culpæ venia, peccatorum abolitio, interuentrix mundi, salus hominum, caritatis mater, castitatis robur, iustitiæ regula, prudentiæ speculum, sanctitatis decus, scientiæ lumen, sapientiæ cellarium, domestica Dei, fiducia animæ, medicamentum pusillanimitatis, gaudium cordis, fida huius peregrinationis comes, mœstorum consolatio, impugnatorum impenetrabile scutum, secretorum Dei cognitrix, humilitatis norma, fidei clauis, honestatis præuia, obedientiæ plenitudo, securitatis fons, Angelorum imitatrix, iustorum exultatio, temperantiæ magistra, pacis pelagus, dæmonum fugatrix, quiescentium refugium, conscientiæ ornamentum, additamentum gratiæ, amoris incendium, porta cæli, petitionum nuncia, auxiliatrix strenua, mediatrix præcipua, & cælestium sacramentorum relatrix optima. In ea nihil sordidum, nihil curuum, nil reperitur coinquinatum; & cùm tota sit pulchra, & omnium donorum secunda, semper hilarem, semper iucundum sui exhibet dilectorem. Clamat hoc oratio sacrosancta virtutum regina, & gratiarum nutrix dicens: Venite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus (id est fructibus

ctibus meis) adimplemini: fructus etenim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Ego vtique mater pulcræ dilectionis & timoris & magnitudinis & sanctæ spei. In me omnis spes vitæ. In me omnis plenitudo gratię; propterea qui me inuenerit, inueniet vitam & hauriet salutem à Domino. Eccles. 24.

Quid his quæso vel eloquentiùs dici vel diuinius proferri vel maiori cum efficacitate potest? quis orator vllo vmquam tempore tot, tamque appositè conglobauit causæ cuiuspiam effecta, atque hic Iustinianus? sed quis tam ferreus, qui se ab huius sapientissimi, sacratissimique viri sermone tam diserto tamque efficaci, non sinat flecti, atque ad orationis studium, consuetudinemque capiendam permoueri? si vtilitatem consectaris, eam verò tibi summam præstabit oratio. Si dignitatem atque honestatem, quid eâ dignius, quę socios facit beatorum spirituũ? quæ ad Dei cõsortium clientes euehit suos? quæ ab eo denique quantumlibet ardua facillimè exorat?

Quibus quidem rationibus existimo impulsos olim viros sanctissimos ad mentem assiduâ oratione excolendam, quos accepimus nullo vmquam tempore ab hac salutari sacraque exercitatione feriatos. Pastumius quidẽ Abbas vsque adeò orandi studio du- In vitis patrum.

cebatur, vt nulla eũ corporis imbecillitas ab eo reuocaret, adeò vt aduersâ etiam pre valetudine, cùm de lectulo surgere non v leret, iacens oraret & quam quã ei vehem tior dolor, expeditiùs loquendi adem facultatem, tacitus tamen labiorum mot etiã tum illum orare fidem faciebat. De que morti proximus cùm esset, non prius rationem quàm vitam reliquit. Illum itaq orantem adhuc Angeli exceperunt, idem penè momentum habuit illum tum orãte tum orationis suæ fructu, æternâ nimirum beatáque vitâ perfruentem. Quid hoc homine beatius, quid hoc statu fortunatius cogitari ne dum dici potest? Ea videlicet orationis vis, vt quem sui assiduum cultor nacta sit, eum numquam deserat, sed illi ipso etiam mortis articulo adsit, opemque ferat, denique in beatorum cœtum domicilium qúe inuectum, porrò ad Dei Optimi Maximi conspectum euehat.

In eius vita. Testatur B. Sulpitius, Diuum Martinum sanctissimũ Antistitem Turonensem, ne ti quidẽ cùm quid operis manibus exerceret linguam ab orãdo cohibuisse. Atque illius 1. Thes. 5 præcepto Apostoli seu consilio (sine intermissione orate) licet simpliciter & planè dictũ accipiatur, cumulatè atque omni ex parte obsecutum esse; Qui autem in omni vita tantus orationis cultor extiterat, quis put

ea

eam sub mortẽ neglexisse? Extremum enim (inquit Sulpitius) obiturus diem, quamquã frigescentibus iam membris immotus iacebat, labia tamen ad preces mouebantur. Denique orare non priùs desiit, quàm subitõ circumfusus lumine reddiderit spiritum. Dum ergo moriendo orat, & orando moritur, mortis tenebras non sensit. Hæc Seuerus Sulpitius.

O quàm se quisque vellet tam beatâ, tam piâ, tam sanctâ, tam præclarâ morte defungi! O si tam fœlix ex hac ærumnosa vita exitus venum exponeretur, quot haberet licitatores; verùm nec auro, nec argento is, vllóq; pretio comparatur: quisquis autem talẽ sibi optat exitum in oratione sit totus, ab ea numquam se, quantum mortalis quidẽ patitur infirmitas, reuocari sinat, noctes diesque ei studio consecret, dicet, deuoueat: illa sit ei cibus, potus, somnus. Illa quies, vigiliæ, voluptas, omnia denique: Fieri omnino nequit, vt qui eam in omni vita adhibuerit, ab ea se extremo eius momento, deseri sentiat. Orando itaque morietur, moriendoque orabit: quâ morte (si ea mors dicenda sit) quid magis expetendum! Atque hæc de orationis effectis & fructibus non tam dicta quàm delibata sint.

CAPVT V.

Quibus externis præsidiis opus habeant orationes iaculatoriæ vt benè fiant.

QVÆ dicturi sumus deinceps, ea ferè omnia nō minùs orationi vniuersè sumptæ, quàm hisce breuioribus aptari possunt. Sed non ideo omittēda, imò verò eò inculcanda magis; quò vberior eorum fructus ex eis futurus. neque verò est id nouum vt de parte disputationem instituenti, plurima inferenda, ingerendaq; sint, quæ ipsius generi conuenire videatur. Ac primùm quidem occurrit sermo, atque de diuinis rebus collocutio, magnum sanè orationis adiumentū de quibus ita S. Bonauētura, lectio, & collatio bonæ, sunt quasi seminaria, & materia orationis. Vnde qualia vis tibi oranti occurrere in cogitatione, talibus colloquiis, lectionibus aut negotiis priùs occupare stude memoriā quia qualis liquor vasi infunditur taliter redolebit, & quales herbas in horto cordis tui plantaueris, talia semina germinabunt. Collatio spiritualis instruit intellectum, affectū inflammat, memoriam bonæ & sanctæ cogitationis prole fœcundat: sicut è conuerso otiosa fabulatio tempus perdit infructuosè, affectū infrigidat, inutiles cogitationes cordi inserit, conscientiam rodit, profectū spiritualem

De profectu religiosorum l. 2. c. 58.

tualem impedit, pœnam meretur. Lectio talis frequentetur de qua postea non sit inutile in oratione cogitare, quę illuminet ad Dei notitiam, accendat ad eius amorem, mores bonos instruat, animet ad tollerandum aduersa, mundi contemptum ingerat, desideriũ patriæ cælestis inferat, doceat discernere inter vitia & virtutes, & vincere tentationes, & alia vtilia ad salutem.

Quæ quidem D. Bonauenturę pręceptiones hoc magis in breuioribus orationibus seruandæ videntur, quo sunt illæ frequẽtiores: longioribus enim verbi causa quę matutino tempore fiunt, non ita officiunt aut pridiana lectio, aut sermones inutiles, cùm à nocturna quiete phantasmata inde collecta, vniuersa ferè obliterentur: verùm si tibi statim vel ab inutili lectione, vel à vana confabulatione sit aspirandum ad Deum, vel etiam in iis ipsis, eas scilicet interrumpendo, interpellandoque: quàm tibi distracta, quamque dissipata sit mens futura, satis credo intelligitur.

Sed pergit monere Bonauentura ne immoderata sit lectio, nimiaque cum auiditate suscepta, neuè orationibus iaculatoriis tempus præripiat. Lectionem (inquit) sæpe interrumpat oratio, sicut & alias actiones, vt sæpe mens ad Deũ eleuetur, à quo omne bonũ fluere necesse est. Hæc D. Bonauent.

Occurrebat alia etiam lectio, eius scilicet rei, quam inter orandum quisque sibi mente agitãdam proponit, quæ quidem vel pridie sub noctis tempus, vel eo ipso die instituenda est: Nam quemadmodum fieri non potest, vt qui tabulam pingit simul penicillum aptet sibi, coloreśque misceat, temperet́que: Ita rarissimum est bene meditantem illum, qui inter meditandum, materiã quærit quàm menti repræsentet. Præpara (monebat olim Salomon, quod idem & modò vsui esse potest) foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, & postea ædifices domum tuam. Verùm spectat hoc monitum longiores orationes: breuioribus enim nostris sua semper est in promptu materia qua versentur.

Prou. 24.

Alterum earum adiumentum est corporis mortificatio, de qua hæc S. Augustinus: Ieiunia (inquit) & ab aliis voluptatibus (sine salutis neglectu). carnalis concupiscentiæ refrenatio, maximæq; eleëmosynæ multùm adiuuant orationem, vt possimus dicere: In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis, nocte coram eo, & non sum deceptus. Quomodo enim Deus incorporalis & impalpabilis manibus exquiritur, nisi operibus exquiratur? Hæc Augustinus. Et sane quemadmodum aromata, nisi igne non accenduntur. Ita orationem (quæ spirituale

Epist. 121.

Psal. 76.

tuale quoddã est aroma, vt multis locis tradidêre Sancti Patres) igne sponte assumptæ mortificationis, feruere necesse est. Quocirca qui in orationis studium incumbit, mortificationis curâ abiectâ, perinde facit atq; is qui per se igneque nõ adhibito aromata velit nihilominus ignẽ concipere. Quid? an nõ prædicat in Canticis sponsus demessuisse se myrrham suã cum aromatibus; Alterũ alteri videlicet coniugandum est, & mortificationis myrrha, orationis aromatibus socianda. Quid? An non iisdem in canticis nuntiat se conscensurum sponsus montem myrrhæ & collem thuris? Insolubilibus nimirũ vinculis sibi myrrha & thus, maceratio corporis, orationisq; fragrantia cohærent, nec Deũ mulcent delectántve aromata orationis, quę nõ myrrhâ, vniuersoque puluere pigmentario promanant, id est ex corporis maceratione quâ paruæ animi appetiones ita tunduntur, vt in tenuissimum puluerem redigantur.

Cant. 5. 1.

Cãt. 4. 6

Cant. 3. 6.

Haud parum etiam ad bene orandũ habent momẽti exteriores occupationes, operáve, si quemadmodum oportet assumãtur, obeanturque: quod mirum sanè videri posset, nisi id tum vsu ipso, tum grauissimorum virorum auctoritate constaret. Ac Cassianus quidem de ea re ita disserit. Ægypti (inquit) Monachi pariter exercentes corporis animæq; virtutes, exterioris hominis stipendia

l. 2. inst. c. 14.

cum emolumentis interioris exæquant, lubricis motibus cordis & fluctuationi cogitationum instabili, operum pondera, velut quandam tenacem, atque immobilem anchoram præfigentes, cui volubilitas ac pernagatio cordis innexa, intra cellæ claustra, velut in portu fidissimo valeat contineri, atque ita spirituali meditationi tantùm, & custodiæ cogitationum intenta, non modò ad cõsensum prauæ cuiusque suggestionis, peruigilem mentem corruere non sinat; verùm etiam ab omni superflua otiosaque cogitatione custodiat: Ita vt quid ex quo pendeat haud facilè possit à quoquam discerni: id est vtrùm propter meditationem spiritualẽ, incessabile manuum opus exerceant, an propter operis cogitatem tam præclarum spiritus profectum, scientiæque lumen acquirant. Hæc Cassianus.

Queruntur quidem plerique obrui sese, extinguique quidquid in iis est deuotionis, distrahique animum in varias partes, ab exterioribus hisce negotiis, ita vt iis statotempore vel non libeat ad Deum aspirare, vel si libeat id oscitanter admodum languideque ab illis fiat: Verùm immeritò eos queri non est difficile probare, neque enim tam est ea negotiorum culpa, quàm ipsorum, qui in iis obeundis neque debitum modum, neque ordinem tenent. Maximâ vtique sunt inter

se

se propinquitate iũctæ Maria & Martha, vtpote germanæ, quia nec contemplatiua vita actiuam, neque hæc illã impedit: immò verò altera alteri vt sorori & præsidio est & solatio. Oratio enim actioni opitulatur, & illa ab hac benè obita, non parum iuuatur. Atque hinc etiam Monachis Ægypti teste Cassiano solemne erat inter operandum etiam mente in Deum erigi, manibusque quidem Martham, animo verò Mariam æmulari, ita vt & operando contemplarentur, & contemplando operarentur. Sed præstat ipsemet loquatur Cassianus. l. 3. inst. c. 2.

Ita inquit ab Ægypti monachis incessanter operatio manuum priuatim per cellulas exercetur, vt psalmorum quoq; vel cæterarum scripturarum meditatio numquã penitus omittatur, cui preces & orationes per singula momenta miscentes, in his officiis quæ nos statuto tempore celebramus, totũ diei tempus absumupt. Atque plus est id quod incessanter ab iis offertur, quàm quod per temporis interualla persoluitur: & gratius est volũtarium munus, quàm functiones quæ canonicâ compulsione redduntur. Et sanè (vt præclarè dictum à Bernardo) hoc maximè curant, spiritualibus exercitationibus dediti, taliter se circa exteriora occupare, vt deuotionis spiritum non extinguant; vnde licet extrinsecus bonorum operum exer- Serm. ad solitarios.

exercitiis fatigentur in corpore, intrinsecus tamen reficiuntur in mente.

Vtinam horum similiumque vestigiis insistant, religiosi potissimùm, quorum quidem vitam omnem spiritu constare oportet, atque in iis sint quos modò commemoraturus sum ex Sancto Ioanne Climacho tum ex historia ordinis D. Francisci.

c. 4. non procul ab initio.

Non præteribo silentio, (ita quidem Climachus) coqui monasterij cuiusdam admirabilem, singularemque virtutem (alebat id monasterium ordinariè ducentos & triginta extra hospites) cùm enim illum animaduerterem in tam frequenti, perpetuoque ministerio, iugiter secum habitare, gratiamque possidere lacrymarum, oraui supplex, vt mihi quonammodo meruisset huiusmodi gratiam, reuelare dignaretur. Qui tandem precibus fatigatus meis ita respondit. Numquam me hominibus seruire arbitratus sum, sed Deo, & indignum meipsum quiete omni iudicans, ex huius ignis contemplatione, sempiterni incendij iugi memoriâ compungor.

Vides quâ ratione actio orationi adminiculatur, quando quas res in manibus habemus ita tractamus, vt iis tamquam quibusdâ gradibus ad cælestia cogitanda sustollimur. Mirabilis planè res est oratio, omnibus omnino rebus vtitur rectè, omniaq; ad sui v-

sum

sum conuertit, & quod cæteris aut impatientiæ aut murmurationis ansam præberet, illud ipsum adhibet ad sui demissionem, ad peccatorum expiationem, ad diuinæ miserationis impetrationem.

Parte 3. hist. l. 10 c. 19. citatur à Iatre Aria 3. parte orationis mẽtalis. c. 5.

Historia Franciscana de altero item coquo, aliud haud absimile narrat, quod compendio recitabo. Cõsueuerat is coquinæ officiis, ministeriisque perfunctus se in cellam suam recipere orandi cælestiaq; meditandi causâ, quo quidem tempore tantâ cęlestium gaudiorum donorumq; copiâ mentem eius complebat diuina bonitas, vt se ipse miraretur: quare in eam venit cogitationem, vt sibi persuaderet, si coquinæ ministeriis liberplus temporis sermocinationi cum Deo tribuisset, vberiora etiam in dies singulos dona, Dei liberalitate percepturum. Adito itaque moderatore suo, req; totâ, atque imprimis voto suo missionis accuratè exposito, eaq; haud egrè impetratâ, omnibus iam exterioribus solutus curis, precationi se dat totum, ratus præclarè secum actũ esse, quod deinceps omni vacuus curâ, cogitationeque pereuntium ciborum, eum operaretur cibum qui non perit, sed permanet in vitam æternam; Verùm spe suâ miser falsus, proprio didicit vsu quanti ad rectè orandum interfit, charitatis, ac demissionis sui obire actiones. Tantum enim abest vt ei in quiete illa

Ioan. 6. 27.

illa à coquinæ laboribus vlla fieret aut sensus gustusúe cælestium, aut diuinarum accessio voluptatũ, vt etiam numquam earum tam fuerit egens. Quare prioribus coquinæ ministeriis reddito, reddita est item pristina orationis gratia: quin etiam eadem nouo est feruore cælestiumque incremẽto charismatum, oblectationumque cumulata. Atque hæc historicus; quò spectant etiam quæ suprà memini allata de sanctissima virgine Catharina Senensi, quæ licet vili, operosoq; coquinæ famulatu in varias distracta partes, ita nihilominus sibi, Deoque præsens erat, vt numquam à secreto illo, quod sibi in seipsa erexerat conclaui sui sponsi, ne momento quidem, pedem efferret.

Ex his conficitur, non officere negotia otio spirituali, modò ne iis quispiã se immergat totum: atque non minùs verè quàm scitè dictum à Bernardo. Piæ operationis, orationem deuotum esse reclinatorium, & deuotæ orationis exercitationem, præbere bonorum operum fulcimentum.

Homil. 2. de discipulis eũtibus in Emaüs.

Denique iuuantur iaculatoriæ orationes exterioribus & sub aspectum cadentibus signis, quorum vel intuitu, vel perceptione excitetur quis ad orãdum, & ad Dei memoriam; memoria enim cogitationem parit, cogitatio desiderium, hoc postulationem, quâ orationis natura constat. D. quidem Bernardus

nardus magnum ponit momentum in Christi Domini sacra imagine, cuius vel solo intuitu vehementer eos permoueri dicit, qui erga eius corpus, eaque omnia quæ in corpore gessit, potissimùm afficiuntur. Hoc (inquit) repletus amore, facilè ad omnem de huiusmodi amore sermonem compungitur, nihil audit libentius, nil legit studiosius, nil frequentius recolit, nihil suauius meditatur. Inde holocausta orationum tamquam ex adipe vituli saginati impinguat. Adstat oranti hominis Dei sacra imago, aut nascẽtis aut lactentis, aut docentis, aut moriẽtis, aut resurgentis, aut adscendentis & quidquid tale occurrerit, vel stringat necesse est animũ in amorem virtutum, vel carnis exturbet vitia, fugat illecebras, desideria sedet. Ser. 20. in Cant.

D. Augustinus, pluribus etiam cõmendat Christi cruci affixi aspectum, & sacra historia, fidem facit maioribus nostris solemne fuisse ad crucis simulacra, diuorumque imagines preces suas fundere, neque id in templis modò, verùm etiam in priuatis ædibus, quæ res præter religiosum sanctorum cultum, christianæque fidei professionem, tum deuotionem ciet. tum mentem tacitâ quapiam voce sed efficaci ad orandum sollicitat. Atque hæc de iis externis rebus, quibus iaculatoriæ orationes non parum iuuantur, dicta sunt. lib. 50. homil. hom. 20. Vid. Gretserum de cruce.

CA-

CAPVT VI.

De internis earundem præsidiis.

QVÆ ab animo, interioribusq; viribus ducuntur harum orationum adminicula, & longè plura sunt iis quæ à rebus petũtur sensibilibus & multo etiam operosiora, atque eius generis vt superiora illa parùm valeant nisi ab his roborentur viresque sumant. Ordiamur itaque ab amore tum Dei, tum rerum cælestium, maximèque diuinæ voluntatis; Cui quidem amori nihil procliuius, quàm continenter ad Deum aspirare: numquam enim ei tædio est, cogitatio, de dilecto, ea vna viuit, ea pascitur, ea oblectatur, neque eius cogitationem potest vel momento deponere. O quoties quantoq; animi sensu, & ardore inclamat sponsa in Canticis dilectum suum? Quoties ingeminat illa sibi vsitata; Trahe me post te. Indica mihi vbi pascas. Reuertere, similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloque ceruorum. Veniat dilectus meus in hortum suum: Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica. Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris

tris meæ, vt inueniam te foris & deosculer te. Facit scilicet amor, vt aliud non cogitet, vt alia omnia præter dilecti recordationem abdicet & reiiciat, vt nullo exteriore opus habeat signo ad eius refricandam memoriam, quem posuit vt signaculum super cor suum, vt signaculum super brachium suum. Atque Dauid quidem tanto se prædicat sanctissimam Dei voluntatem amore prosecutum, vt aliud ei non liberet meditari. Cant. 8.

Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est: Cùm cætera omnia mihi desipiant, illa mihi vnica sapit & placet, in ea mihi refrigerium, quies, solatium, oblectatio, mœrorisque omnis abstersio. Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi. Ita vt si oblitus fuero tui, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis si non meminero tui, si non proposuero te in principio lætitiæ meæ. Omnino non est potentius quidquam Dei memoriæ perpetuandæ, quàm feruida & sincera ipsius dilectio. Psal. 118. 97. Psal. 118. 47.

O si vel minima cælestis huius ignis scintilla arderet in nobis, aliud sanè nihil occurreret præter Deum, non nox, non dies, non cibus, non potio, non negotia quælibet nos ab huiusmodi cogitatione auocarent, neque verò vmquam deesset materia de eo cogitanti, cui quidem nihil deesse potest atque

est omni ex parte immensus infinitusque? Quo igitur animo nos, quibúsve possumus spectare oculis, matrem de filio sibi vnicè dilecto assiduè & summa cum animi suiue voluptate cogitantem nobis tam à Dei memoria alienis! non indiget illa quidem multa ratiocinatione, neque longiore mentis agitatione, vt eius recordatione afficiamur: vel simplex eius obtutus etiam solâ mentem incredibili eam mulcet suauitate: si de eo verba facit, commouetur tota, necà lacrymis se abstinet: tanta est, tamque efficax vis amoris: qui quamquam intra naturæ limites constitutus. Si tantùm valet, quid igitur præstabit is amor, qui naturæ viribus longè superior fertur non in creatarum rerum fœditatem, verùm in eximiam illam diuini vultus venustatem, in quam desiderant etiam Angeli prospicere: quæ candor est lucis æternæ, & speculum sine macula: quæque sui intuitu satiat, reficit, beatque, cælestis domicilij ciues vniuersos! cui denique pulchritudo omnis creata, quamlibet cumulata & perfecta, fœda est & deformis?

Et cùm negare possit nemo, nisi impius, longè plus efficacitatis inesse gratiæ quàm naturæ, consequens est, vt qui Deum diligit, de eo numquam non cogitet. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Ita enim Matth. 6.21. naturâ comparatum, vt in id cogitatione ferarur

catur humana mens, quod adamarit. Pondus meum amor meus, inquiebat B. Augustinus illò feror, quocumque feror. Nec immeritò coniungunt sacræ litteræ gustum seu amorẽ visioni (ita in Prouerbiis, Gustauit & vidit, quoniam bona est negotiatio eius. Et psalmographus. Gustate & videte quoniã suauis est Dominus) gustus enim seu affectus cognitionem antecedunt: quibus consentaneè scribit sanctus Thomas, dum ait vitam contemplatiuam licet essentialiter cõsistat in intellectu, principium tamen habere in affectu, esseque orationem, amoris filiam, in quantum videlicet quis ex Charitate ad Dei contemplationem incitatur: esse tamen eundem ipsum amorem, orationis fœtum & fructum: etenim quoniam finis respondet principio, inde fieri vt terminus seu finis contemplationis in voluntate existat, dum scilicet quis visione rei amatæ delectatur, ipsaque delectatio rei visæ, ampliorem excitat amorem. Vnde ait Sanctus Gregorius: dum quis ipsum quem amat viderit, in amore ipsius ampliùs ignescit. Hæc Sanctus Thomas.

c. 31, 18.

Ps. 32. 9.

2. 2. qu. 180. a. 7. ad 1.

In Ezec. hom. 14.

Obedientia etiam Climacho teste non parum item conducit orationi. Vidi (inquit) quosdam obedientiæ virtute fulgentes, Deique memoriam pro viribus non negligentes, promptè ad orationis studium occurrere,

Grad. 28.

currere: mentemque suam citò colligere, lacrymasque fontium in morem, profundere. Erant enim præparati per sanctam obedientiam.

Atque hoc in gratiam religiosorum dictum sit.

Tertium orationis adminiculum est animi puritas, conscientiæque nitor. Beati (ait ipsa Veritas) mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: atque vt præclarè Cassianus. Vnaquæque mens in oratione sua erigitur aut formatur secundùm puritatis suæ meritum ac mensuram.

Collat. 10.c.6.

Neque verò teste Vgone Victorino, affectum suæ dulcedinis solitus est exhibere Deus, nisi mentibus Ioanni Euangelistæ simillimis, id est, mundis corde.

De claustro animæ c. 10.

Quartum sit perturbationum animi sedatio atque compressio, de qua ita Cassianus: Si volumus orationes nostras non solùm cælos, sed etiam quæ super cælos sunt penetrare, curemus mentem ab omnibus terrenis vitiis expurgatam, cunctisque mundatam fecibus passionum, ad subtilitatem perducere naturalem, vt ita ad Deum oratio nullo vitiorum pondere prægrauata conscendat. His consentit B. Nilus. Si orare vis (inquit) repudia omnia (id est immoderatas animi motiones) vt totum, hoc est Deum, possideas.

Collat. 9.c.3.

c.34. de oration.

Item

Item si orare vis vt decet, ne animam dolore afficias, alioquin frustra curris. Dolorem interpretor animi perturbationes dolorem inferentes. c.18. v.221. in vita Aloysij.

Iam verò ex vniuersis hisce perturbationibus, iram cauendam diligentissimè, tamquam orationi inimicissimā monet B.Nilus, cùm orationē definit esse mansuetudinē, & fœtum ex vacuitate iræ prouenientem. c.12. de oration.

Quintum sit mentis solitudo, quâ peregrinæ cogitationes, irruentiaque variarum rerum phantasmata, aut non admittuntur, aut admissa, vtique orationis tempore comprimuntur, ne erumpant. Atque ea quidem mentis solitudo caput est eorum omnium quæ oranti profutura suggerunt spiritualium rerum periti. Quales orantes volumus inueniri (inquit Cassianus) tales nos esse oportet ante tempus orandi: necesse est enim mentem in tempore supplicationis suæ de statu præcedenti formari. Et quidquid ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est vt orantibus nobis per ingestionem recordationis occurrat. Collat. 10. c.13. Collat. 9. c.3.

Porrò fontem euagationum animi non male quis indicarit curiositatem, & terrena desideria: de priore quidem, ea multis ante damnata, allatisque variis eius rationibus & partibus. ita Augustinus. Verumtamen in l.10. confess. c.35.

quàm multis minutissimis & contemptibilibus rebus, curiositas nostra quotidie tentatur, & quàm sæpe labamur, quis enumeret? Et tandem cùm in huiusmodi rebus conceptaculum sit cor nostrum & ipsum copiosæ vanitatis cateruas; hinc & orationes nostræ sæpe interrumpuntur atque turbantur.

Trac. de grad. humil.

Opportunissimum ad eam si quæras remedium, consule Bernardum apud quem hæc leges: Anima inquit dum à sui circumspectione torpescit, incuriâ sui, curiosa fit in alios, quia enim se ipsam ignorat, foras mittitur vt pascat hædos, id est oculos & aures. Itaque curiositate obuiatur indagine sui, rerumque suarum accuratâ consideratione.

l. 5. moral. c. 21.

Alter erat distractionum fons, terrenorum desideriorum multitudo, non parua sanè orantium remora, quà de re ita Gregorius. Nullo modo quis ad vim intimæ contemplationis rapitur, nisi studiosè prius à terrenorum desideriorum tumultu sopiatur. Hæc Gregorius.

l. 30. moral. c. 12.

Ex quibus habetur curiositatis cohibitionem, terrenorumque desideriorum compressionem, efficere solitudinem illam mentis ad orationem accedenti, adeò necessariam, multoque magis quàm sit corporis solitudo & turba hominumque consortio secessus. Quid enim (vt præclarè S. Gregorius)

rius) prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Qui enim corpore remotus viuit, sed tumultibus conuersationis humanæ terrenorum desideriorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine. si verò prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur non est in vrbe. Itaque benè conuersantibus, primùm solitudo mentis tribuitur, vt exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, vt ebullientes ab infimis curas cordis, per superni gratiam restinguant amoris, omnesque motus importunè se offerentium leuium cogitationũ, quasi quasdam circumuolantes muscas ab oculis mentis abigant manu grauitatis, & quoddã sibi cum Domino intra se secretum quærant, vbi cum illo exteriori cessante strepitu, per interna desideria, silenter loquantur, hæc Gregorius.

Quintum sit actiuæ vitæ cultus, exercitatioque, quæ quidem virtutum omnium Ethicarum studio continetur. Constans est doctrina sanctorum, actionem hanc contemplationi viam sternere, Gregorij quidem. Qui contemplationis arcem (inquit) tenere desiderant, priùs se in campo operis per exercitium probent. Et Isidori. In actiua vita priùs per exercitium boni operis, 6. moral. c. 17 l. de sum. bono, c. 15.

cuncta exhaurienda sunt vitia, vt in contemplatiua iam purâ mentis acie ad cõtemplandum diuinum lumen quisque pertranseat. Exhauritur autem vitiorum sentina, Ethicarum virtutum exercitatione.

Cassianus multus est in hac commendanda, verè enim princeps est ad ritè decenterque orandum.

Collat. 14. c.2. Quisquis (inquit) ad Theoreticem, voluerit peruenire, necesse est vt omni studio atque virtute, actualem primùm scientiam consequatur. Nam hæc practica absque theoretica possideri potest: theoreticè verò absque actuali omnimodis apprehendi non potest. Gradus enim quidam ita ordinati ac distincti sunt, vt humana humilitas possit ad sublime conscendere, qui si inuicem sibi eâ quâ diximus ratione succedant, potest ad altitudinem perueniri, ad quam sublato primo gradu non potest transmolari. Frustra igitur ad conspectum Dei tendit, qui vitiorum contagia non declinat. Spiritus namque Dei effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sap.1.

Hæc Cassianus, qui quidem non tam de grauioribus agit criminibus quàm de minutioribus, quibus contra morales virtutes peccatur, vt humilitatem, mansuetudinem, modestiam, temperantiam, cæteráque consimiles. Pergit item explicare

care quibus rebus perficiatur vitæ huius actiuæ exercitatio.

Hæc autem (inquit) actualis perfectio duplici ratione subsistit. Nam primus eius modus est, vt omnium natura vitiorum & curationis ratio cognoscatur. Secundus vt ita discernatur ordo virtutum, earumque perfectione mens nostra formetur, vt illis non iam velut coacta, & quasi violento imperio subiecta famuletur, sed tamquam naturali bono delectetur, atque pascatur, & arduam illam atque angustam viam cum oblectatione conscendat. Cap. 3.

Vides quanta vitæ actiuæ perfectio orationem antecedat, vt ita scilicet capiatur virtutum exercitio mens nostra, vt in deliciis habeat earum studium & vsum, nec inuitâ (quod aiunt) Mineruâ aut repugnante, sed volente & præcurrente naturâ ad eas exercendas, colendasque feratur. Cuius quidem hanc affert causam.

Quo enim modo (inquit) vel virtutum rationem, qui secundus in actuali disciplina gradus est, vel rerum spiritualium & cælestium sacramenta, quæ in theoriæ gradu sublimiore consistunt valebit attingere, qui naturam vitiorum suorum, nec potuit intelligere, nec nisus est extirpare? Consequenter enim pronuntiabitur

progredi ad excelsiora non posse, qui non euicerit planiora, multoque minus ea quæ sunt extrinsecus apprehendet, quisquis intelligere ea quæ sibi sunt inserta non quiuerit.

Et quia hoc in genere peccatur vtique à quamplurimis: qui neglectis vitæ actiuæ exercitijs, virtutumque studio valere iusso, superbiâ tumidi, irâ inflammati, acediâ graues, innumerabiliumque perturbationum pondere prægrauati, ad arduum montem præruptumque contemplationis connituntur. operæ pretiũ erit quæ idem alibi disputat in eandem sententiam hoc loco afferre.

69. Absque hac inquit, (id est ethica exercitatione atque virtutum studio) illa quam diximus Theoretica puritas (id est contemplatio) non potest apprehendi, quam hi tãtùm qui non aliorum docentium verbis, sed propriorum actuum virtute perfecti sunt, post multa operum ac laborum stipendia, iam quasi in præmio consequuntur, non enim à meditatione legis scientiam, sed de fructu operis acquirentes, cum psalmographo canunt: A mandatis tuis intellexi. Et excoctis passionibus vniuersis, fiducialiter dicunt: Psallam & intelligam in via immaculata. Ita Cassianus.

Psal. 118

Ps. 100.

Longè igitur falluntur qui vel in primo ipso vitæ spiritalis limine se contemplatio-

nis

nis orationisque donum consequi putant: cùm teste Cassiano multorum laborum antesusceptorum, diuturneque exercitationis virtutum merces sit & præmium. Denique hisce orationibus iaculatoriis opitulatur admodum, vsus quotidianę meditationis, imò ratio hæc frequenter orandi per momentaneos actus (inquit P. Soares vsum quietæ, diuturnioris que orationis præsupponit: ex qua, continens illa Dei recordatio nascatur: Quemadmodum etiam ab animi facilitate actiones emanant, atque in ferro ignito remanent quædam quasi ignis vestigia, vel multo post tempore quàm ab eo remotum est, vt pulchrè Dionysius Cartusianus.

c. 2. de relig. l. 2. c. 5.

1. de perfect. charit. art. 44.

Quare omnino est necesse aliquantum temporis à cæteris actionibus curisque vacui, eum in singulos dies dare mentis orationi, qui volet hisce breuioribus inter quotidianas occupationes negotiorumque molestias curasque mentem exercere, & recreare. Qui namque otiosus & quietus non cogitat Deum (verba sunt Augustini) quomodo inter actus multos & laboriosa negotia poterit de illo cogitare? Meditetur ergo quæ Dei sunt fidelis, cùm vacat, & benè operandi substantiam quærat, ne in actione deficiat.

1. Sent. Prosperi sentent. 218.

Sed neque breuioribus hisce orationibus poterit animum exercere is, qui meditandi pla-

planè est imperitus, nã vt præclarè Bernardus. Ascendimus (inquit) velut duobus quibusdam pedibus, meditatione & oratione, meditatio siquidem docet quid desit, oratio ne desit obtinet: illa viam ostendit, ista deducit. Meditatione denique agnoscimus imminentia nobis pericula, oratione euadimus.

Serm. 1. de S. Andræa

Hinc illud Augustini: Intellectus cogitabundus est initium omnis boni. Qui enim cogitatione complectitur tum diuinam bonitatem, tum suam ipse miseriam, innumeraque demerita: eum sanè ad orationis confugere præsidium necesse est, quæ quidem origo est & fons omnis boni. Meditatio denique (teste Gerſone) soror est lectionis, nutrix orationis, directrix operis, omniumque pariter perfectio & consummatrix virtutum. Suntque hæ iaculatoriæ quasi residua longioris meditationis, manè aut alio oportuno tempore institutæ: iuxta illud. *Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Quod ita accipio, vt cogitatio sit ipsa meditatio, eius reliquiæ seu cælestis cibi quo ab ea refectus est quasi micæ quædam, sint orationes iaculatoriæ. Atque hæc pauca de multis quæ de tota hac quæstione afferri possent dicta sint. rectus autem ordo postulat, vt deinceps de earum impedimen-

Ps. 75. 11

tis

tis tum externis, tum internis breuiter disseramus.

CAPVT VII.

Quibus externis rebus impediantur.

In præcipuis orationis impedimẽtis habet Gregorius, exteriores occupationes, ita enim ait quodã loco; Nequaquã mens ad superna attollitur, si curarũ tumultibus continuè in intimis occupatur. Quid enim de Deo occupata obtineat, quæ de illo apprehendere aliquid, etiam vacans laborat.] Hæc Gregorius. Qui & negotiosos homines eos quidem qui oratione actiones suas non interrumpunt & quasi condiunt, piscibus confert, quos lex vetus, immundos neque ad cibum adhibendos pronunciabat. Hinc per Moysem dicitur (verba sunt Gregorij) vt pisces qui pinnulas nõ habent, non edantur. Pisces quippe qui habent pinnulas, saltus dare super aquas solent, soli ergo in electorum corpore quasi pisces transeunt, qui in eo quod in imis deseruiunt aliquando ad superna conscendere mentis saltibus sciunt, ne semper in profundis curarum lateant, & nulla eos amoris summi, quasi liberi aëris aura contineat. 3. moral. c. 6.

Tradit deinceps quâ ratione quis se in mediis

diis occupationibus gerat. qui ergo (inquit) rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt, cùm sollicitè ad interiora refugiunt: cùm nequaquam foris perturbationum strepitus diligunt, sed apud semetipsos intus in tranquilitatis sinu requiescunt. Hos eosdem confert cum Iacob patriarcha de quo sacræ litteræ produnt eum in tentoriis habitare solitum. In tabernaculis enim (ait) aut in domo habitare, est se intra mentis secreta restringere, & nequaquam interius per desideria dissipare, nec dum ad multa foris inhiant, à semetipsis alienati cogitationibus recedant.]

3. Mor. c. 7.

Gen 25.

Sed quanta sint harum occupationum damna, quamque officiant oranti, Bernardo quidem nemo meliùs exponit, in iis libris quos de consideratione ad Eugenium Pontificem summum. Vnde iam ergo incipiam? (sic enim orditur) libet ab occupationibus tuis, quia in his maximè condoleo tibi, condoleo dixerim si tamen doles & tu nouisti quibus deliciis, dulcis quietis tuæ non longè ante hac fruebare, non potes diffuuisse tam citò, non potes ita subitò non dolere nuper subtractas. Inuitus (ni fallor) auelleris à Rachëlis tuę amplexibus, & quoties id pati contigerit, toties dolor tuus renouetur necesse est. At quando non contingit? Quoties vis & incassum? quoties moues,

L. 1. c. 1.

moues, nec promoues? quoties conaris & non datur vltra? eniteris & non obtines? parturis & non paris? rentas & abriperis? Et vbi incipis ibi deficis, & dum adhuc orditis succiduntte. Venerunt filij vsque ad partum (ait Propheta) & vires non habet parturiens. Hacteaus ille. Isai 38.

Quis hæc quæso non in se experitur occupationum effecta? Quoties ab iis interrumpitur oratio? quoties intermittitur? quoties & deseritur? Quàm grauis eam inter & occupationes lucta! Quoties vsu venit occupatis, vt cùm vix dum pedem in orationis stadium, curriculumque intulerint, mox tamen ad eius calcem suspirant? sed quàm hic sit status periculi plenus, ab eodem Bernardo discamus.

Attritæ inquit frontis es (affatur Pontificem, & nos in eius persona) & instar vitulæ Ephraim doctus diligere trituram. Si (pace tuâ) sic se habent res tuæ. Absit: hæc est pars illius qui datus est in reprobum sensum. Ab his sanè cupio tibi pacem, non cum his, nihil plus metuo tibi pace istâ. Miraris si vmquam possit tibi accidere: Etiam dico tibi si res (vt assolet) per consuetudinem in incuriam venerit.

Hæc S. Bernardus, plurimaque alia in eandem sententiam lectu quàm dignissima. Paulò post Eugenium hortatur ne se à male-

maledictis hisce occupationibus (ita enim eas vocat) ita sinat abripi, vt cùm pateat omnibus eius opera, eam quidem se ipse sibi vni deneget, totumque det actioni; considerationi, orationique nihil.

Ergo vt integra sit (inquit) & plena humanitas, colligat & te intra se, sinus qui omnes recipit. Alioquin, quid tibi prodest iuxta verbum Domini, si vniuersos lucrem te vnum perdens? Quamobrem cùm omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus vnus. Quid solus fraudaris munere tui? Vsquequo vadens spiritus & non rediens? vsquequo non recipis te, & ipse inter alios vice tuâ? sapientibus & insipientibus debitor es, & soli negas te tibi? Stultus & sapiens, seruus & liber, diues & pauper, vir & femina, senex & iuuenis, clericus & laicus, iustus & impius, omnes pariter participant te, omnes de fonte publico bibunt pectore tuo; & tu seorsum sitiens stabis? si maledictus qui partem suam facit deteriorem, quid ille qui se penitus reddit expertem? sanè deriuentur aquæ tuæ in plateas, homines & iumenta & pecora bibant ex eo, quin & camelis pueri Abrahæ potum tribuas, sed inter cæteros bibe & tu de fonte patris tui: Alienus inquit, non bibat ex eo. Numquid tu alienus? cui non alienus si tibi es? denique qui sibi nequam cui

Psal. 77.

Prou. 5.

Eccl. 14

cui bonus? Hæc Bernardus grauissimè.

Cuius quidem oratio vtinam omnibus, ac viris religiosis imprimis persuadeat, vt eâ moderatione mensuraq; exteriores obeant actiones, vt non ab iis teneantur, quin potiùs in eas ipsi imperium habeant. Atque iis expediti ad orationis possint quietem portumque confugere, quando ita res feret. Quæ verò de exterioribus dicta occupationibus, multo maximè valent quando nimiæ sunt & supra vires tum corporis, tum animi. Vnicuique igitur expendendũ maturè quid in eo genere possit, citra spiritualis profectus dispendium, illudque demum ei assumendum, cætera vt suis imparia humeris alijs concedenda. Scitè quidam hac nostra ætate. *Nulli plus filiorum quàm lactis, nec plus negotiorum quàm virium esse debere.* Quæ mulier pluribus quàm possit commodè filiis lac præbet, tum sibi tum illis ipsis nocet admodum; propriis quidem se viribus destituit corpusque macie conficit, illos autem alimenti inopiâ imbecillos, ægroque esse corpore necesse est: sic quisquis, qui se negotiis sinit, quibus ferendo nõ est, prægrauari, eum quidem singula ex animi sui sententia conficere est impossibile: tum quod caput est, nullum ei relinquitur tempus ad vires orationis præsidio instaurandas, sed Beatum Iustinianum diuinè de hac eadem quæ-

stione disputantem audiamus.

l. de disc. ipl. & p rfect. mona- sticę cõ- uers. c. 21.

Sunt multi (inquit) qui spiritus leuitate permoti & inordinato feruore sub prætextu caritatis seducti, adeò in exterioribus occupationibus implicantur, vt de se nihil curare videantur. Diem quippe totum in his occupant, mentem dilaniant, corpus atterũt, & spiritualia studia negligunt, sola temporalia cogitãtes. Istorũ autem quale fuerit opus, exitus conprobabit. In diuinis namq; legitur scripturis quòd Moses cùm ex Ægypto egressus esset, & absque interuallo causas populi occupatus audiret, à Iethro suo cognato admonitus est, quòd stulto labore & vltra vires proprias desudaret, cùm minora maioribus anteponeret, & plus debito in exterioribus se dilataret. Et quis Moyse sanctior? quis fuit feruentior? qui à Deo dux populi Israel electus est? qui super omnes homines, qui tunc morabantur in terra mitissimus? Qui causas populi ardentissimo caritatis zelo iudicabat? Vt audeat sine læsione persistere in eo, in quo sanctus Propheta perseuerare non valuit? Audito namq; gentilis viri consilio, prudenter restrinxit negotia proximorum, vt in iis quæ Dei erãt quietiùs suo vacaret tempore. Huius admonitione exempli erudimur operibus exterioribus, spiritualia deuotionum intermiscere exercitia, quatenus gustus eorum resumptis

Exodi 18.

vili-

viribus, & roboratâ mente, vtilius iucundiusq; exteriora agamus. Ita Laurentius Iustinianus. Quo quid efficacius in hoc quidé genere & magis neruosum afferri possit, nō video; præsertim si quæ habet reliquo capite perlegantur, quæ quidem certè lectu sunt dignissima. Alterum quod hisce ad Deum aspirationibus nocet admodum, est scriptitatio, litterarum maximè, rerumque nouarum & curiosarum atque à statu & dignitate spiritualis viri abhorrentium. Audi quid à Bernardo de hacipsâ occupatione scribendi etiam sacra, nobis traditū sit. Cùm enim rogatus esset à Guilielmo Abbate Cluniacensi Apologiam conscribere, quâ se suosq; tueretur aduersus eos, qui Cluniacensibus illos monachis detrahere palàm prædicabant: principiò se multis quidem excusat, tādeminuitus licet, cædit: additâ etiam hac graui testificatione. Scito tamen me nō modico huiusmodi scriptitationibus feriri detrimento, quia multū hinc deuotionis subtrahitur, dum studium orationis intermittitur, præsertim cum nec vsus supperat dictādi nec otium. Hæc Bernardus. Quid ad ea tu qui noctes dieſque inutilia, inania, vana, futilia scriptitans, quæque nescire multò esset melius, existimas nihilominus te orandi spiritum, deuotionisque feruorem posse continere? Toto quidem erras cælo, nimia

Præfat. in Apologiam ad Guillielm. Abbatē.

namque etiam de re sacra scriptio, teste Bernardo, orationis exercitationi inimicissima est.

Quid igitur sentiendum de prophano, de curioso, atque adeò noxio hominũ, eorum studio, qui peruersâ Athenienſium imitatione ad nihil aliud vacant (vt sacræ loquũtur litteræ) nisi aut dicere aut audire (addo ego & scribere) aliquid noui?

Actor. 17.21.

Tertium orationis impedimentũ suggerit Cassianus his verbis. Prætermitto (inquit) illa quibus attonita anima, ac spiritualibus theoriis semper intẽta specialiùs ingrauatur, concursus scilicet fratrũ, susceptionis quoq; ac deductionis officia, mutuas visitationes, diuersarumq; confabulationũ, atque occupationum interminabilem curam. Hęc Cassianus, quæ viris Deo sacris expendẽda maximè: nihil enim tam aduersatur orationi quàm mutuæ visitationes, & non necessaria confabulationes, ad humana tantùm captanda solatiola institutæ. Iis enim tum deuotionis spiritus exhauritur, tum cor variatis in partes distrahitur.

Collat. 19. c.6.

Vnico D. Bernardi testimonio finẽ huic capiti imponam, sciunt (inquit) viri spirituales, qui hoc experti sunt, quantũ auferat deuotionis, quantum afferat dissolutionis, intrinsecus frequens linguę resolutio. Nã sicut fornax, cuius os semper apertum est, nó po-

De passione Domini c.27.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

test in se retinere feruorem: sic nec cor deuotionis in se poterit gratiam conseruare, cuius os non fuerit ianuâ silentij reclusum. Claudamus igitur os nostrum, vt cum deuotionis feruore Christum deuotionis largitorem in feruenti affectu possimus cõseruare. Hæc Bernardus. Atque hæc de iis impedimentis orationis, quæ ab exteriore causa proficiscuntur.

CAPVT VIII.

De iis quæ ab interiore causa ortum habent.

PRIMVM se offert, peccatum, maximè si mortiferũ sit & grauioris noxæ. Ita Gregorius ad illa Iobi verba. *Tunc leuare poteris faciem absque macula*. Faciem (inquit) leuare est in Deo animum per studium orationis attollere. Sed eleuatam faciem macula inquinat, si intendentem mentem reatus sui conscientia accusat, quia ab spei fiducia protinus frangitur, si intenta precibus, necdum deuictæ culpæ memoria mordetur, diffidit namque accipere se posse quod appetit, quæ profectò reminiscitur, nolle se adhuc quidẽ facere quod audiuit. Hæc Gregorius. cuius sensu, peccatum oranti impedimento est, quod ei spem fiduciamque, sine qua similis est fluctui maris, qui à vento circumfertur, vel eripit, vel infirmiorem efficit. l. 10. moral. c. 17.

1.Ioan.3 Præclarè enim D.Ioannes; Si cor nostrũ non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum, & quidquid petierimus, ab eo accipiemus. Et multò ante Salomon. Qui

Prou. 28. auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Quæ explanans Greg. Cor quippe (inquit) nos in petitione reprehendit, cùm resistere se præceptis eius quem postulat, meminit, & oratio fit execrabilis, cùm à censura auertitur legis, quia dignum profectò est vt ab eius beneficiis sit quisque extraneus, cuius nimirum iussionibus non vult esse subiectus.]

Sed quoniam parum refert hoc impedimentum indicasse, nisi qua ei sit ratione obuiam eundum doceatur, idipsum à Gregorio petendum. Qua in re (inquit) hoc est salubre remediũ, vt cùm se mens ex memoria culpæ reprehẽdit, hoc priùs in oratione defleat quod errauit, quatenus cũ erroris macula fletibus tergitur, in petitione sua cordis facies ab auctore munda videatur.

18. moral.c.3. Idem, ad illa Iobi verba. Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Fusius tradit quantum orantis interfit, vt is ex præscripto diuinæ legis vitam ducat. Si enim (inquit) quod præcipit facimus, id quod petimus obtinebimus. Vade enim apud Deum, vtraque hæc sibi necessariò congruunt, vt & oratione operatio,

ratio, & operatione fulciatur oratio.

Cùm autem peccatum omne quale quale id sit, orationis cursum remoretur tum maximè odium proximi acceptaſque ab eo iniurias meminisse. Cùm stabitis ad orandũ (monitum est Christi Domini) dimittite si quid habetis aduersus alterum. Et iterum: Cùm offers munus tuũ ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuũ: De quo quidem argumẽto hæc Gregorius quodam loco: Quid hac (inquit) doloris maculâ (id est seruato in proximum odio) inueniri deterius potest, quæ in conspectu iudicis Charitatem non inquinat, sed necat? Vitam quippe animæ, quælibet culpa polluit, seruatus verò contra proximum dolor occidit. Menti namque, vt gladius figitur, & mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur. Qui scilicet à trãfixo corde si priùs nõ educitur, nihil in precibus diuinæ opis obtinetur, quin & vulneri membrorum imponi salutis medicamina nequeunt, nisi ferrum à vulnere antea subtrahatur. Hinc est enim quod per semetipsam dicit Veritas, Nisi remiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester qui in cælis est, remittet vobis peccata vestra. Hinc circa institutionem postulatio-

Matth. 6

10. Mor. 13.

lationis, conditionem posuit pietatis dicés, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, vt bonum profectò quod à Deo compuncti petimus, hoc primùm cum proximo conuersi faciamus. Hæc Gregorius, qui sese tandem adinstitutam Iobi explanationem referens, sic eam concludit. Tunc igitur verè sine macula faciem leuamus, cùm nec nos prohibita mala committimus, nec ea quæ in nos à proximis commissa sunt, ex proprio zelo retinemus: graui namque mens nostra orationis suæ tempore confusione deprimitur, si hanc aut sua adhuc operatio inquinat, aut alienæ malitiæ seruatus dolor accusat. Neque verò mirum sit proximi odium ita Deo inuisum & exosum, cùm neque martyrium ipsum, morsque eius amore obita, ipsi, nisi charitate fulta placere possit. Cuius quidem rei fidem facit historia miranda sanè Nicephori & Sapritij, quam legere licet apud Surium.

Febr. 9.

Odium proximi, sequitur proximè superbia; orationis, & ipsa inimicissima, tantus enim à sapientibus, & prudentibus absconditur thesaurus, reuelaturque paruulis. sed de ea occasione humilitatis, oranti admodum oportunæ memini suprà à me dicta esse non pauca. Impedimentum denique postremum, non eorum quidem quæ exi-

stunt

stunt (cùm sint innumera) verùm quæ nobis impræsentiarum occurrunt, sunt mentis euagationes, quæ plurimum rerum sunt ante orationem cogitatarum, & fructus, & fœtus. Sæpe (verba sunt Magni Gregorij) immunda quædam, vel illicita animo versamus, quoties à precibus vacamus: sed cùm se mens ad studium orationis erexerit, earum rerum imagines reuerberata patitur, quibus libenter priùs otiosa premebatur, & quasi iam faciem anima ad Deum leuare non sufficit, quia in se nimirum inquinatâ mente, maculas pollutæ cogitationis erubescit: sæpe curis mundi libenter occupamur, cumque post hæc studio orationis intendimus, nequaquam se mens ad cælestia erigit, quia pondus hanc terrenæ solicitudinis in profundum mersit, & in prece facies munda non ostenditur, quia cogitationis infimæ luto maculatur. l. 10. moral. c. 17.

Idem ad Iobi verba; *Cùm ponerem nubem vestimentum eius*, &c. vult hasce animi distractiones nisi Deo sinente non accedere, quibus permittat quidem orantem affligi, quòd ipse aliàs ab eo aliena salutique inimica animo versare solitus sit. Sed ipsummet præstat audire suis id verbis præclarè exprimentem, sic enim Deum compellat. Menti nostræ (inquit) terrenis voluptatibus 28. moral. c. 15.

assuetæ curarum suarum phantasmata iusto iudicio obijcis, quibus eam in ipsa orationis sua intentione confundis, & quam desideriis infimis deditam non ignoras, rectè cæcatam ab intuenda lucis tuæ perspicuitate reuerberas, vt cùm in te intenditur, ipso à te cogitationum suarum nubilo reflectatur, & quæ terrena hæc assiduè cogitat, quia vult, hæc etiam toleret in oratione cùm non vult.

Hactenus Gregorius. Ex his conficitur permagni interesse quid interdiu quisque, quid ante orationem agitet animo: earum namque rerum quas cogitaueris, importuna recurrent phantasmata, quæ te inuitum licet atque repugnantem contraque nitentem pellicient ad sui considerationē: quod quidem pulcrè molæ similitudine à Cassiano (quem sequuti Anselmus, & Bernardus) illustratur. Mola (inquit) quam meatus aquarum præceps impetu rotante prouoluit, nullatenus quidem cessare potest ab opere suo, aquarum impulsibus circumacta. In eius verò qui præest situm est potestate, vtrumne triticum molat, an hordeum, loliumque cōminuat. Ita igitur etiam mens per vitæ præsentis incursus, vndique ingruentibus tentationum torrentibus circumacta, vacua quidem cogitationum æstibus esse non poterit, quales verò vel admittere vel parare

Collat. 1. c. 18.

sibi

sibi debeat, studij ac diligentiæ suæ prouidebit industria. Si enim vt diximus, ad sanctarũ scripturarum meditationem iugiter recurramus, ac memoriam nostram ad recordationem spiritualium rerum & desiderium perfectionis, spemque futuræ beatitudinis erigamus; necesse est, vt ortæ cogitationes inde spirituales in his quæ meditati sumus, mentem faciant immobilem; sin verò negligentiâ seu desidiâ superati, vitiis & otiosis confabulationibus occupemur, seu curis mundanis, & superfluis solicitudinibus implicemur, consequenter exinde velut quædam zizaniorum species generata, operationem quoque nostro cordi noxiam ministrabit, & secundum sententiam Domini Saluatoris, vbi fuerit thesaurus operum nostrorum, seu intentionis nostræ, ibi & cor nostrum necessariò permanebit. Hæc præclarè Cassianus. Quibus bellè consentit quod D. Bonauentura. Qualis (inquit) liquor vas infunditur, taliter redolebit, & quales herbas in horto cordis tui plantaueris, talia semina germinabit. De profectu relig. l. 1. c. 58.

Res est clarior quàm vt pluribus explicetur. Eò factum vt qui seriò in vitæ spiritualis studium incumberent, orationisque perfectionem sequerentur, nihil haberent antiquius, quàm mentis suæ hortulũ frugiferis conserere plantis, animumq; suum ab omni non

non solùm noxiarum contagione cogitationum, verùm etiam ab inutilium, leuiumque appulsu intactum seruare. Atque in hoc quidem genere planè mirabile est factum cuiusdam monachi apud Cassianum, de quo ipse in hæc verba. Nec minùs quoque hoc opus fratris erga puritatem sui cordis intenti & erga contemplationem diuinam valdè solliciti commemorare necessariũ reor: qui cùm ei post annos quindecim, patris, ac matris, amicorúmque multorum de prouincia Ponti, complures epistolæ delatæ fuissent, accipiens grandem fasciculum litterarum, diuque apud semetipsum voluens. Quantorum (inquit) cogitationum causa, erit mihi harum lectio, quæ me vel ad inane gaudium, vel ad tristitias infructuosas impellet? quot diebus horum recordatione qui scripserunt, intentionem pectoris mei à proposita contemplatione reuocabunt? Post quantum temporis dirigenda est hæc mentis concepta confusio, quantoque labore rursus iste tranquillitatis reparandus est status: si semel animus litterarum permotus affectu, eorumque recensendo sermones ac vultus, quos tanto tempore dereliquit, iterum eos reuisere, ipsisque cohabitare, & animo, ac mente cœperit interesse? quos profectò corporaliter deseruisse nihil proderit si cor-

de

de eos incipiat intueri, ac memoriam quam sæculo huic renuncians quisque velut mortuus abdicauit, reuiuiscens eandem rursus admiserit. Hæc voluens in corde suo non solùm nullam resoluere epistolam definiuit, sed ne ipsum quidem fasciculum resignare, ne scilicet eorum qui scripserant, vel nomina recensendo, vel vultus recordando, à spiritus sui intentione cessaret, itaque vt eum constrictum susceperat, igni tradidit concremandum. Ite (inquiens) cogitationes patriæ, pariter concremamini: nec me vlterius ad illa quæ fugi reuocare tentetis.

Præclarum sanè facinus, heroicam virtutem, diuinam animi fortitudinem, cuius quidem plures extabunt subuereor laudatores quàm imitatores. Quid hîc agant ij, quibus nisi quæ ad alios mittuntur litteris aut perlectis, aut cognito earum argumento, nulla animi quies? qui vrgent, instant, satagunt, efflagitant? nihil non tentant vt suæ curiositati, eiusque (vt cum Augustino loquar) prurigini obsecundent, cùm hic nec ad se scriptas quidem legat? tanti scilicet erat illi mentis tranquillitas, animique libertas, quam sibi litterarum illarum reseratione, lectioneque detractum iri, vt solers erat, præuidebat. Metuis forte tu, ne tibi causæ desint distractionum, nisi eas extrinsecus aduoces? falsò: earum plus satis

Medit. c. 1.

satis ferax est ager tuus, non est quod eas tibi accersas aliundè.

Et quoniam maius quàm vulgo existimatur, momentum habet, ad mentē dum oratur colligendam, sibi superflua omni cognitione, inaniumque litterarum lectione interdicere, addam aliud eiusdē generis, cuius eò debeat esse vis permouendi maior, quod patrum contigerit memoria.

Orantem in cubiculo B. Ignatium ostio clauso (ita de illo Ribadenieyra) importunè Ianitor interpellauit aliquando, cui semel atque iterum pulsanti nihil respondit Ignatius; cùm molestus esse pergerer, & perseueranter obtunderet, ostium aperuit. Et quid (inquit) tibi vis? cui Ianitor, en inquit pater litteræ quas qui reddidit, tua ex patria allatas dicit, simulque literas in manus Ignatio tradit, qui recluso ostio, literas in lucentem caminum (erat enim hyems) cremandas coniecit, & continuò ad intermissam orationem rediit. Hæc Ribad. Quam vereor ne hæc magno religiosis stent viris præclara collecti animi exempla, quibus quidem curiosâ nouorum, tum auditione, tum narratione, tum lectione, tum scriptione, id vnum propositum videtur, vt mente in varias dissipatâ partes, tot orationi, religiosæque quieti apparent hostes, quot sunt res quarum phantasmata in animum admittunt.

l. 5. vitæ eius.

tunt. Num hic finis est religiosæ vitæ quam ducimus? Instituti cursusque vitæ quem sequimur? Siccine ætas omnis, bonique & heu numquam redituri anni nugis, vanisque ac futilibus aut excipiendis aut exhibendis transigendi? curâ interim omni precandi positâ, quasi ea ad nos nil pertineret? omnique colligendæ mentis studio valere iusso, quasi eo etiam neglecto, possit spiritualis vita consistere? Heu quàm malè religiosum nomen, dignitatemque tuetur quisquis est huiusmodi. Quàm accedit proximè ad eius, qui in sæculo degit, vitam & mores. Quàm metuendum ei, ne quemadmodum eum pranè æmulatur, ita & illi societur, atque à sanctorum cœtu tranquilloque religiosæ disciplinæ portu, tamquàm eo indignus aliquando segregatus, rursumque in mare sæculi reiectus, naufragiis, tempestatibus, certæ denique morti exponatur. Vtinam & non euomatur aliquando ex ore Dei, tantoque sit iis qui in sæculo degunt & deterior Deoque inuisior, quò (vt loquitur Cassianus) id quod nausea compellente proiicimus, odibilius detestamur. Collat. 4. c. 19.

CA-

CAPVT IX.

Epilogus ad laicos.

TE primùm lubet compellare quisquis nullis adhuc initiatus sacris, mundique sequens castra, tam quam pullum onagri liberum natum putas, neque vllo orationis egentem præsidio arbitraris. Et cùm quæ hactenus generatim de precationis necessario vsu dicta sunt, euincant nemini non capiendam eius tum exercitationem tum consuetudinem: tum eam tibi capiendam potissimùm, idque ob innumeras status, institutique tui difficultates & pericula, extremum hîc persuadere conabor. Et quando magna parte tecum hactenus collocuti sunt Sancti Patres me ferè silente (id enim decorum erat, & ea præceptio est Salomonis: loquere maior natu, decet enim te) eosdem ipsos si per te quidem licet extremâ hac parte adhibebo.

Iob 11. 12.

Eccles. 32. 9.

Ac principio quidem illud omnino negari non potest, quin vitæ tuæ cursus eiusq; dirigendæ ratio, innumeris pateat tentationibus, tum iis quæ ab humani generis hoste immittuntur, tum quas mundus, resq; humanæ, atque sua cuique caro, cupiditasque suppeditant. Neque verò illud obscurum est, multò eos ipsos hostes superiores esse vitio-

viribus tuis, atque de salute tua conclamatum, nisi in alienis armis spem ponas, nisi tibi mittat Deus suppetias, quibus te liberet ab inimicis tuis iracundis, & ab insurgentibus in te potenter eruat. Verùm quæ tibi ratio, quis modus cælestem opem promerendi? Si nescis, eam tibi quidem ab oratione petendam, doceat Augustinus. Nullum (inquit) credimus ad salutem nisi Deo inuitante venire: nullum inuitatum salutem suam nisi Deo auxiliante operari, nullum nisi orantem auxilium promereri. Hæc Augustinus. Quæ quidem maximè valent in eo auxilio, quod tentationibus propulsandis necessarium est, quibus vtique cuiusque salutem vehementiùs impediri planum est. Iam verò esse orationem vnicum ad eas præsentissimumque remedium, docent tum sacræ literæ, tum sacri Patres, tum vsus ipse quotidianus.

Psal. 17. 48.

De eccl. dignitatib. c. 56

An non frequentiùs ingerit Christus orãdum, vigilandum, animóque excubandum ne intremus in tentationem? An non Apostolis suis edixit certum esse dæmoniorum genus quod nisi orationi eique ieiunio coniunctæ non cædat? Quidquid capitibus Dominicæ precationis, orandique formula nobis ab ipsomet tradita hæc ipsa tentationum liberatio continetur tamquam orationis fructus & promeritum? quando optimus

Matth. 17. 22.

quisque viribus suis diffisus, Deique fretus ope exclamat. *Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo.*

Et vt paulò altiùs rem repetamus: quid aliud quæso significatum olim iecore piscis à Tobia Angeli iussu exenterati, cuius extabatur fumo genus omne dæmoniorum, quàm hæc orationis in eos ipsos dæmones diuina quædam vis? Cuius quidem potentissimo, suauissimoq; optimiq; odoris vtpote incensi thuris fumo (vt est apud Dauidem) eos sæpe fugatos, luculentam fidem facit sacra ac diuina historia. Neque verò ab his discrepat Sanctorum sensus, quorum omnium atque adeò singulorum ea vnica constansq; vox est, orationis studiũ ei imprimis colendum, qui se tum à dæmonum molestiis impugnationibusque velit securum, tum eorum ipsorum machinis, dolis fraudibusque superiorem.

Tobiæ c.6.8.

Quo in genere præclarum sanè est illud abbatis Ioannis apud Ruffinum (quod quidem de monacho ab eo dictum; cuilibet qui se saluum velit, est optandum) Similis inquiebat debet esse monachus homini sedenti sub arbore, qui respiciens feras diuersas & serpentes ad se venientes, cùm nõ potuerit illis resistere, ascendit in arborem vt euadat. Ita & monachus sedeat in cella sua, & respiciens prauas cogitationes venientes super

l.3. vitæ Patrum.

ſuperſe, & cùm non potuerit eis reſiſtere, confugiat per orationem ad Dominum, & ſaluabitur. Hæc abbas Ioannes. Quod idem aliâ ſimilitudine non minùs aptâ, perſpicuaque ſic explicaſſe accepimus. Similis debet eſſe monachus (dicamus nos ad rem noſtrã quilibet Chriſto initiatus) homini habenti à ſiniſtra ignem, & à dextera aquam: quoties enim ſuccẽſus fuerit ignis tollit de aqua & extinguit illum. Sic oportet & illum facere omni hora, vt quandocumque cogitatio turpis ſuccenſa fuerit ab inimico, tunc aquã orationis effundat, illamque extinguat.

Et ſanè quotquot dæmoni bellum indicentes, ignea nequiſſimi illius tela extinxerunt, non id quidem aliâ ferè quàm orationis aquâ præſtiterunt. Cuius rei tot teſtes exiſtunt, quot Sancti in omni æuo, ordine, ſexuque qui interiorem concupiſcentiæ ignem; fœnum illum quidem atque vſque ad perditionem deuorantem, omniaque virtutum eradicantem genimina, non aliâ vndâ, quàm cæleſti hoc orationis rore cohibitum reſtinxere. Atque imprimis nobile eſt in hoc genere quod de Sancto Ioſaphat Indiæ rege narrat Damaſcenus; Ad quem (inquit) cùm præſtanti forma delectæ puellæ parentis iuſſu inductæ eſſent, cæteriſque eius miniſtris, famulatúque è palatio electo, eorum ipſæ munere fungerentur, atque obſcœnis

Eph. 6. 16.

Iob. 31. 12.

In eius vita.

gestibus, sermonibus, complexuque ad nefaria sollicitarent: cumque ne deesset quidquam ad adolescẽtis mentem tot illecebris allectandam atque permouendam, Theodas quidam magus insignis, atque impostor ei spiritum fornicationis, qui & item alios aliis nequiores secũ assumpsit, immisisset, vbi quidem intus flammam excitarent, puellæ autem venustate suâ, igni concepto exteriùs pabulum, fomitemque suppeditarent. Sed in irritum vniuersi cecidêre eorum conatus, debilitati nimirum, atque fracti orationis virtute, lacrymarum fonte, ac profusione, pectoris tunsione, gemituum valido clamore, quibus improbas illas cogitationes (ait Damascenus) non secus, ac fucos quosdam in fugam vertit. Surgens enim ad manus attollens, calentibus lacrymis, ac gemitibus Dei opem implorabat in hæc fere verba. Omnipotens Domine, qui solus viribus polles, atque ad misericordiam pro-
Psal. 21. cliuis es, erue à dæmonis frameâ animam meam, & de manu canis vnicam meã: Non
Psal. 34. supergaudeant mihi, qui oderunt me inique, nec corpus meum quod tibi castum exhibere promisi, probro & contumeliâ affici permittas. Vixque hanc orationem finierat, cùm diuinam consolationem sibi celitus aduenire sensit, cuius præsentiâ improbæ cogitationes se illico subduxerunt.

Quod

Quod idem vtique experti sunt, quotquot nefariis dæmonis suggestionibus, improbisque telis inuicta orationis arma opposuerunt: Vt non immeritò Sanctus Abraham vt de illo testatur Ephrem item Sanctus, dæmoni exprobrarit ilium à Christianis vinci facillimè, & quemadmodum deficit fumus à facie venti, sic deficere illum à facie eorum. Vna siquidem (inquit) eorum oratio te persequitur ac deturbat, quemadmodũ dum puluis à vento insectatus dispergitur. In eius vita.

Atque vt idipsum penitiùs etiam perspicias, intelligasque, quàm tibi nulla omnino excusatio in peccatis, cùm sit in promptu tam efficax quàm facile ad ea remedium. Audi quid de ea ipsa re apud Athanasium Magnus Antonius. Magna (inquit) dilectissimi aduersum dæmones arma sunt, vita sincera, & intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto, pertimescit satanas rectè viuentium vigilias, atque orationes. Rectè quidem (experto) vt enim idem testatur Athanasius, armis orationum omnem satanæ prosternebat exercitum Antonius: & licet in tam immani solitudine solitarius degeret, quotidieque cum dæmonibus decertaret, nihil tamen sibi ab illis, orationis scilicet munitus loricâ, metuebat. In eius vita.

Quid ad hæc tu qui vel minimo dæmonis flatu concussus non nutas modò, sed &

turpiter concidis. Tu quem oportuit annosâ quercu firmiorem, omniq́ue muro fortiorem, atque adamante ipso validiorem esse, nullisq́ue ne moueri quidem procellosis ventorum, tentationumq́ue flatibus, quomodo ita vel leuissimo auræ flatu minimaq́ue suggestione hostili, miserè es prostratus? Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui manè oriebaris? quomodo corruisti in terram, qui olim vulnerabas gentes; quomodo
Isaiæ 14.12. ad infernum detractus in profundum lacti Verùm vbi antiqua species tua? vbi vbi ornatus atque decor pristinus? olim cùm te nondum tentatio defecisset, Deoq́ue adhæresceres, omnis lapis pretiosus operimentum tuum:
Ezech. 28.13. sardius, topazius, & iaspis, chrysolitus, & onix, & berillus, sapphirus, & carbunculus, & smaragdus, aurum opus decoris tui. At heu heu egressus est à filia Sion omnis decor eius.
Thren. 1.6. Obscuratum est aurum,
Thren. 4.1. mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. Heu filij Sion inclyti, & amicti auro primo, reputati sunt in vasa testea opus manuum figuli. Heu qui vescebantur voluptuosè interierunt in viis, qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Candidiores Nazaræi niue, nitidiores lacte, rubicũdiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum,
vers. 2.
vers. 5.
vers. 7.
vers. 8.

eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus, aruit & facta est quasi lignum.

Vnde dic, amabò, vnde tot tibi tuíque similibus, spiritualia tum damna, tum turpitudo morumque fœditas? Vnde tot cælestium iactura donorum, quæ quidem pretiosi lapides Tyri regis adumbrabant? An non ea dæmoni adscribenda, atque adeò tibi, qui improbis eius, callidisque consiliis imprudens paruisti? qui te repertum inermem non modò vicit ac spoliauit, opibusque omnibus exuit: at necauit etiam, peremit, iugulauit, æternæque morti æternùm addixit? At vnde tanta tibi strages & calamitas? nonne ab oratione neglecta? ab ope diuina non implorata? Hanc quidem si efflagitasses, illam verò si adhibuisses næ super aspidem & basiliscum ambulasses, & cōculcasses leonem & draconem, calcasses, inquam, super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Contriuisses vtique caput serpentis, iaceretque is modò inglorius, & imbellis sub pedibus tuis. Ira res habet, parum dico pro rei dignitate, victoriæque gloria. Lucæ 10.19.

Dico iterum: forti armato (Christo scilicet duce & auspice, comiteque oratione) longè fortior vniuersa abstuliisses arma eius in quibus confidebat, spoliaque eius distribuisses: Lucæ 11.21.

buisses: A quo quidem tu modo (ô indignũ facinus!) turpiter debellatus, ei ipsi fœdè seruis, vilissimi mancipij instar, à quo item
2. Tim. 2.26. captiuus teneris miser ad faciendam eius voluntatem.

Atque vix aliam vllam tibi certo persuadeas velim hisce compedibus, vinculisq; expediẽdis suppetere rationem, quàm orationem. Ipsa est quæ soluit compeditos, ipsa
Psalm. 148.7. quæ principi Apostolorũ arctè conclusoergastulo, ad hæc à quatuor quaternionibus
Act. 12. 4. militum studiosè custodito nõ carceris modò reserauit fores, verùm permulta etiã porrò pergẽti ab eo remouit offendicula, dum in tuto foret. Ipsa est quæ Ionam prophetam ceti absorptum visceribus, & tantùm non mortuum libertati restituit. Ipsa est denique (quando eius generis infinita sunt exempla) quæ Danieli prophetæ obturauit ora leonũ,
Dan. 6. 20. eumque ab iis intactũ, carceris subterranei quelaci angustiis, squaloreque liberauit. Cur igitur eam nõ adhibes ô miser? An tibi forte non videris tetro horridóq; clausus ergastulo, arctissimisq; pressus pedes compedibus? non credo equidem. Si modò tibi vel minimum supersit sensus dolorum tuorũ: si non es traditus in reprobum sensum: si non te planè excæcauit malitia tua, vt videns non videas, & audiens non intelligas.

Si igitur sentis adhuc mala tua, si te dura

ra diabolici famulatus catena premit, si te vinctum doles, peccatique ferreis atque adeò adamantinis loris constrictũ: in promptu est remedium. Tantùm aperi os tuum & dilata illud. Clama in fortitudine vocis tuæ. Clama inquam cum propheta: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meã: Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Cõplaceat tibi Domine vt eruas me, Domine ad adiuuandum me respice. Erue animã meam ex inferno inferiori, vt non pereat. Proijce post tergum tuum omnia peccata mea. Aperi mihi vincto carcerem, libera me de manu pessimorũ, & de manibus quęrentium animã meã. Ne quæso, ne tradas bestiis animam confitentem tibi, & animam pauperis tui ne obliuiscaris in finem. Eripe me de luto vt non infigar: libera me ab his qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suũ. Exaudi me Domine, quoniã benigna est misericordia tua, secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me. Et ne auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor velociter exaudi me. Intende animæ meæ & libera eam, propter inimicos meos eripe me.

Ps. 68. 1.

Psal. 39. 14.

Ps. 85. 13. Isaiæ 38. 17.

Psal. 68. 15.

Quid te prohibet scelerum licet ponderepressum has precationes harumq; consimiles eiaculari, Deique opem appellare? Iob 5. 1. Quin loqueris, & ad Sanctorum aliquem conuerteris? Itane perire placet, cui tam est præsens remedium? Quis periit, vmquam quòd clamare renuisset? An est quidquam homini voce paratius? Est quidquam magis in eius potestate? Ergóne morieris reticentiâ? Peribis æternùm vocis vsurâ tibi ipse denegatâ? Clama miser, clama, ora solue, Deum compella. Inuoca illum in die tribulationis, ne dubita, eruet te de domo carceris, animámque tuam de framea, & de manu canis vnicam tuam. Dæmonis vires franget, vinculáque quibus te tenet colligatum confringet, omnique tentationis dissipatâ nube, priori te, atque adeò maiori restituet luci; nimirum vniuersa hæcaliáque his præstantiora præstabit oratio.

At non sum, inquies, de iis qui grauioribus tenentur irretiti flagitiis, vt mihi sit necesse Deum precari ab iis vt me extricet atque expediat. Credo & gaudeo te in iis esse, qui quamquam in sæculo ætatem degant, at nihil minus quàm quæ sæculi sunt cogitant. Scio equidem quamplurimos reperiri, qui in hac etiam morum corruptela, & vniuerso mundo in maligno posito non curauerunt genua Baal: quique custodierunt Apoc. 16. 14. vesti-

vestimenta sua, nec inquinauerunt ea, ambulántque cum Agno in albis quia digni sunt. Sed num tibi propterea precationis negligendum studium? minimè gentium. Si iustus es (vt suprà monuisse memini Augustinum) ora vt iustificeris adhuc, siquidē voluntas Dei est sanctificatio nostra vt eamus de virtute in virtutem: vt eorum quæ retro sunt obliti, ad ea verò quæ priora sunt extendentes nosmetipsos, ad destinatum persequamur, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.

Apoc. 3.4.

Philipp. 3.13.

Si iustus es, ora iterum atque iterum, vt in accepta inchoatáque iustitia perseueres in finem. Quod quidem cuilibet assiduis votis, supplicibúsque & continentibus precibus à Deo efflagitandum est. Inexplorata enim est incertáque sua cuique perseuerantia. Quis namque scire possit num de iis sit, quos meminit Christus dum ait: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & (quod caput est) ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea? Nemo sanè nisi diuino doctus oraculo exploratam habet suam in bono perseuerantiam; ignorátque an sibi quidem olim aptabitur illud Ioannis: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Licet sancti (ait Augustinus) de suæ perseuerantiæ præ-

Ioan. 10.27.

1. Epist. 2.19.

l. 11. ciuit. c. 12

præmio certi sint, de ipsa tamen perseuerantia sua reperiuntur incerti: quis enim scit quod in finem perseueraturus sit, nisi reuelatione ab illo fiat certus, qui de hacre iusto, latentique iudicio non omnes instruit, sed neminem fallit? In eandem sententiam Sanctus Prosper, cuius quidem rei hanc assignat causam, vt perseuerantem (inquit) humilitatem, vtilis metus seruet, & qui stat, videat ne cadat.

lib. 2. de vocatione gentiũ c. vlt.

Cùm igitur ignoret quisque (Deo iustas ob causas sic statuente) sit necne in finem perseueraturus, quid aliud supereſt quàm vt id à Deo armatis frequentibúsque precibus per infinita Christi Domini promerita contendamus? Si enim ipsemet Christus de Apostolorum salute solicitus pro iis in hunc modum Patrem precatur. *Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.* Si idem Petrum compellans, *Ecce*, inquit, *Simon satanas expetiuit vos, vt cribaret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Si ipsos Apostolos ad orationis vsum cohortatus est, vt pro se orarent ipsi, ne malis cederent, aduersisque quæ quidem grauia imminebant concíderent; quid dormitis (inquiens) surgite, orate, ne intretis in tentationem: si hæc inquam sic habent, quid igitur miserrimo cuique atque infinitum

Ioan. 17.

Luc. 22.

tùm ab Apostolica tum Sanctimoniâ, tum animi fortitudine distanti præstandum est? Quanto animi sensu & contentione adeundus Deus, vt vniuersis viæ quæ quidem ad cælum ducit amotus offendiculis, securus eò tandem aspiret ac pertingat?

Et sanè optimus quisque in eo totus est. Neque verò Dominicæ orationi, quam ex Dei præscripto recitat frequenter, aliud ferè propositum est, quàm perseuerantiæ postulatio. Quid enim aliud innuunt, quid sibi hæ volunt petitiones. Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua, Et ne nos inducas in tentationem, & postrema illa, Sed libera nos à malo: quàm (vt ait Cyprianus) vt in eo quod esse cœpimus perseueremus? Cùm enim, (vt præclarè etiam Augustinus) Dei nomen per lauacrum regenerationis sit sanctificatum in nobis, quare idipsum quotidie à fidelibus poscitur, nisi vt in eo quod factum est in nobis, perseueretur à nobis?

Serm. 6. in orat. Dominicam.

De correptione & gratia c. 6.

Neque verò ea tantùm causa, tibi vt perseueres supplicandum, quod vtrum id necne à te sit præstandũ ignores, sed ex alio item fonte manat hæc orandi necessitas. Quod perseuerantiæ donum tanti sit, tantæq; excellentiæ, vt licet diuinam gratiam bonis factis, amicitiámque promereri possis, atque adeò immortalem gloriam; perseueran-

rantiam non possis. Ipsa quippe est supra omne meritum, opus omne, & quantumcumque arduum officium infra illam est. Nimirum pendet ipsa à diuina motione, quæ principium est omnis meriti, principium autem meriti (ex recepta Theologorum doctrinâ) non cadit sub meritum.

Neque verò id existimandum est, homini iusto vt in accepta primum gratia ad exitum vsque perseueret, ipsam sufficere gratiam, sine nouis auxilijs, quibus porrò excitetur roboretúrque vitandis peccatis, id enim asserere hæresis est Pelagij teste Hieronymo & Augustino, certissimáque fide tenendum est, etiam iusto cuique vt longiore tempore in finem perseueret, tentationesque superet, atque magis arduis Dei præceptionibus pareat, actualia ei insuper (vt loquuntur) auxilia, iterum, atque iterum, ac tertiùm, sæpiusque collata omnino esse necessaria: nec diutius gratiam constanter habiturum, nisi diuinis excitetur atque erigatur inspirationibus ab eo, cuius est (vt loquitur Tridentinum) eum qui stat statuere vt perseueranter stet, & eum qui cadit restituere. Quæ quidem tum inspirationes, tum auxilia, si ea præstantia sint, affluantque, & peculiaris cuiusdam efficacitatis sint ad perseuerandum, sanè non omnibus præstò sunt, sed ea nonnullis tantùm diuina bonitas

Dialogo contra Pelagianos Hæresi 88.

Sess. 6. c. 13.

tas pro suo arbitrio impertit: vt mirum non sit si tot támque vehementes à sanctis à Diuo maximè Augustino adhibeantur cohortationes, quibus persuadeat, enixè cuíque summóque animi conatu istud perseuerantiæ in finem donum postulandum. 1. de bono perseuerãtiæ.

Si verò sermo sit de sufficientibus ad perseuerandum tantùm, & non admodum illustribus insolentibúsque adiumentis, ne ea quidem obtinebit quis, nisi ea ipsa studiosè diligentérque postulet: quibus cùm sua culpa vitióque careat, constanter facere, perseuerareque non possit. Et sanè ea quamplurimis vel ob id denegantur, quia vel non petunt, vel non rectè, & instanter petunt, quòd etiam fit vt iis non potiantur, consentaneè illi Sancti Iacobi. *Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis.* c. 4. Ex his conficitur summa orationis necessitas, vt ea sibi comparet quisque adiumenta, quibus fretus fultúsque vitam suam læto fine optatóque concludat. Deus enim (quantum quidem in illo est) omnibus omnino paratus est ea conferre. Vt enim rectè & doctè Augustinus, Dominus noster Iesus Christus inter nos petitor, cùm Patre dator, non vtique nos hortaretur vt peteremus nisi dare vellet. Erubescat itaque humana pigritia, plus vult ille dare, quàm nos accipere. Et quamquam vt præclarè idem Augustinus potuissent diuinâ munificentiâ Ser. 29. de verbis Domini.

c.7. de dono perse-uerãtiæ.

centiâ etiam non orantibus dari ea auxilia, perseuerantiæque donum: sed oratione nostrâ (inquit) voluit nos admonere à quo accipiamus hæc beneficia. Hactenus Augustinus.

Atque vt tibi magis explorata sit non orationis modò necessitas ad perseuerãdum, verùm etiam quàm ea frequenter in omni vita sit adhibenda, subiiciam grauissima verba Cardinalis Bellarmini. Credendum inquit est quia accipiemus quæ petimus (iuxta illud Marci 11. quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis & fiet vobis) si bona petamus, & si expedit nobis, non absolutè. Porrò perseuerantiæ donum planè expedit nobis, sed non benè petit, qui non assidue petit. Non enim perseuerantia res est eiusmodi, quæ vno die peti & accipi possit: Sed quotidie petenda est, vt quotidie detur, & sic tandem fiat vt in finem vsque perseueremus. Hæc Bellarminus.

l.3.de Iustificatione c.13.

Quæ quidem quàm vellem iis cognita qui Dei suique ipsorum, atque orationis obliuione capti tam sunt ab eius vsu alieni, vt vix eam octauoquoque die idque oscitanter vsurpent. Quanti proh dolor existunt mortales, qui humanis per hebdomadam negotiis immersi, ac penè obruti, numquam inde nisi ea actâ nouaque ineunte caput efferunt, numquam Deo bonorum omnium

largi-

largitori munificentissimo, ritè supplicant, niti quando iis ex Ecclesiæ præscripto ad Missæ Sacrificium est adeundum. Quo quidem tempore quanta sit eorum in orando somnolentia socordiáque, quãta animi colligendi incuria, quàm dissipata mens, quàm vagi errantesque oculi: quàm denique in eos quadret illud prophetæ, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me; procliuius est vtique cogitatione quàm oratione persequi.

Ita bene longi solidique illius abeunt dies, qualibet sui parte oratione vacui: non eos sol oriens, non meridianus, non denique occidens orantes conspicit: abiectos nimirum vel ad vitæ sequendas voluptates, vel intentos opibus suis, copiisque, ac rei familiari omni ratione per fas perque nefas exaggerandæ, vt numquam alia animum subeat cogitatio, hacque vnâ ita teneantur, vt ea aliam omnem excludat & quasi absorbeat. Itaque videas eos mane è strato exilire pecudum instar, vixque signo crucis munitos nullâ omnino actione gratiarum pro nocturna quiete præmissa, accingere se ad opus, eique totum diem insistere constanter, Dei planè immemores; quasi verò non penderet ab eo eorum vita omnis atque industria; quasi vero à se ipsi haberent omnia, neque eius ope vlla in re egerent, omniá-

que illis salua forent, illis denique comperta sua esset perseuerantia ac fœlicitas.

Philipp. 2.12. Quæ, malum, est ista insania? optimi quique cũ metu & tremore multáque oratione salutem suam operantur, quia Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate, columnæque cæli contremiscunt ne non satis constanter faciant, licet ad id ipsum exorandum continenter Deo supplicent: Tu omnia tibi salua fore confidis, nec de perseuerantia magnoperè angeris, qui nec eam à Deo postulas, quod si postulas, id quidem facis turpibus flagitiis inquinatissimus, è quorum cœno vix emergis vmquam. Et adhuc confidis te saluum fore? Toto quidem erras tu cælo, nisi tibi fortè alia quæpiam sit salutis & perseuerantiæ ratio (quam nobis quæso edicas, vt & nos minore operâ saluemur) verùm cùm neque sit alia, neque verò esse possit vlla, hanc que non ineas tu, quippe qui aut rarissimè, aut numquam, aut non vt decet Deo supplices, consequitur quidem certè te perseuerantiæ dono cariturum, ac quod inde existit, æternùm periturum.

Neque verò mihi occurras, tibi orare parato otium deesse, cogique te tum negotiorum multitudine ac varietate, tũ temporis angustiis neglectâ oratione rem tuam agere. Quasi verò nõ salutis ratio cæteris omnibus

bus præponderet? Quasi verò tibi quid profuerit vniuersum mundum esse lucratum, animæ verò tuæ detrimentum passum? Quasi verò liceat tibi reperire quam des commutationem pro anima tua? Vt omittam principes viros quos suprà memini, Dauidem, Carolum V. cæterósque quamquam imperio administrando occupatissimos, orandi tamen extitisse etiam studiosissimos.

Neque verò si ita (vt dicis) negotiosus es, à te quidem longiores exigo precationes: vtaris licet iaculatoriis hisce breuioribus, earumque breuitatem crebritate compensa. Atque iis postula aliàs perseuerantiam in bono (si Deo quidem tum es acceptus) aliàs reditum in gratiam cum eo ipso, si es ei inuisus. Cùm autem in omni vita, in bonis, in aduersis adhibenda sit oratio, tum maximè in tentationibus, atque iis potissimùm, quæ castitatis thesaurum, qualis demum ea sit (licet sit in coniugio) eripere moliuntur. Quoties tu quidem ignita hæc dæmonis tela incolumis elusisses, si in eum validè, hæc breuiorũ orationũ iacula intorsisses? Quanti item ab æuo condito extiterunt, qui si dæmonis frangendis viribus ad orationis præsidium perfugissent, ab eo prostrati non essent, neque modò arderent, æternúmq; arsuri essent? Millia certè millium, imò decies millies centena millia, id est, immensa damnato-

natorum multitudo, neglectæ orationis pœnas iam soluit, persolutura numquam. O ter miseri, ô mortalium omnium infœlicissimi, cur nō tentationum igni extinguendo, cælestem hunc orationis rorem adhibuistis? Quod si præstitum à vobis esset, non essetis modo ipsi æterni, inextinguibilisque ignis pabulum, neque hoc diuinæ sententiæ fulmine percussi: Ite maledicti in ignem æternum.

Eorum tu malo edoctus tandem disce ô infœlix, disce tentatus orare, ne te patiatur Deus induci in tentationem. Clama, exalta in fortitudine vocem tuam ad eum qui te saluum facere potest à turbine, à tempestate, à morte. Num tam tibi vilis est tua salus, vt ei in tuto collocandæ vel vocis præsidium deneges? Ergone te simplex reticentia æternùm damnabit? An non pretium operæ te facturum arbitraris, si vt animæ tuæ securitati consulas, eamque perpetuis subtrahas, Deóque coëuis suppliciis, iterum atque iterum aperias fauces ad opem inclamandam? Quid hoc facilius? Quid autem magis in promptu? Quid magis in hominis potestate quàm sermo; quàm oratio, quàm suæ cuique vocis vsus? Atque hac re tantilla, tamq; facili te, animámque tuam teterrimâ seruitute, acerbissimísque pœnis ereptam in libertatem asseris. Quid tibi te animáque tua charius

rius esse aut possit aut debeat? Quid toto licet orbe mente cogitatióneque peragrato reperias quod ei conferri possit?

Est ea, mihi crede, omni re præstantior, pretio omni superior, æstimatione omni potior. Vniuersa ei cedunt tum dignitate tum vtilitate, tum vsu. Nō dabitur aurum obryzum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo vel sapphiro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri. Excelsa & eminentia non memorabuntur comparatione eius. Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tinctura mundissimæ componetur. Iob. 28. 15.

Quisquiliæ sunt vniuersa hæc, resq; nihili, flocci, naucique facienda, infinitumque dissident ab immensa animæ tuæ tum excellentia, tum præstantia, quam vt saluam velis, te oro atque obtestor per amorem, cultum, obseruantiámque à te Deo optimo, maximo, ob innumera eius in te immeritū licet, merita: per Christi sanguinem tibi in ara crucis effusum, perque immanissimam eius mortem pro te in ipso ætatis suæ flore obitam. Si his nihil moueris, oro te atque obtestor per salutem tuam, atque per salutem illius ipsius animæ tuæ, vt eius saluti bonóque consulas.

Eamnè ô hominum omnium miſerrime detrudi ſines in tenebras exteriores, vbi nihil niſi fletus & ſtridor dentiũ? vbi ad ſummum calorem tranſitur ab aquis niuiũ? Vbi ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis miſerorum, vbi ſtagnum ardens igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda? Vbi denique congregabuntur omnes congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur? id eſt phraſi ſcripturæ vſitatâ, poſt innumeras annorum myriades, infinitáſque ſeculorum reuolutiones punientur adhuc, torquebuntur adhuc, ardebunt adhuc: neque verò quidquam aliud tantæ dolorum acerbitati finem imponet quàm ipſa æternitas, quæ tamen & ipſa cùm finem neſciat, finem vtique imponere non poſſit?

Iob. 24. 19.

Iſa. 24. 21.

Si te vel ſola ſimpléxque tot & tantorum cogitatio malorum percellit: occurre igitur, mi frater, occurre illis. Fac tibi ſi ſapis tantis malis medicinam, ne expecta dum malum diuturnitate firmatum omnem reſpuat curationem. Ora, clama, geme, dum oratio, clamor, gemitúſque proſunt. Erit, erit tempus. (Vtinam ſim augur mendax, vtinam ſim vir non habens ſpiritum, & mendacium potiùs loquerer.) Erit, inquam, tempus cùm ſupplicabis cùm inclamabis, reſpondebitúrque tibi. Quid clamas ſuper contritione

Micheæ 2.11.

Hierem. 30.12.15

tione tua? Insanabilis est dolor tuus. Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. Curationum vtilitas non est tibi. Plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli. Propter multitudinem iniquitates tuæ, dura facta sunt peccata tua.

Quòd si clamare porrò pergas vsurpatâ illâ Iobi querimoniâ, clamo ad te, & non exaudis me, sto & non respicis. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. Hoc quidem referes responsi. Vocaui & ego te, & renuisti. Extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexisti omne consilium meum, & increpationes meas neglexisti. Ego quoque in interitu tuo ridebo & subsannabo, cùm tibi id quod timebas aduenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super te tribulatio & angustia. Tunc inuocabis me & non exaudiam, mane consurges, & non inuenies me, eò quòd exosam habueris disciplinam, & timorem Domini non susceperis, nec acquieueris consilio meo, & detraxeris vniuersæ correptioni meæ.

Iob 30. 20. 21.

Prou. 1. 24.

O acerbum responsum! ô verbum asperum, quo omnis subtrahitur miseris consolatio! quo de eorum salute conclamatum significatur, quo spe omni adiumenti sublatâ, aliud nihil iis supereſt, quàm desperatio,

quàm rabies (uæ dam canina, quàm feritas quâ se ipsi belluis ipsis immaniores lacerent, dilanient, violent, quaque membra sua aduersis dentibus impetant, atque conficiant, fiatque illud quod est apud Dauidem. Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet, desiderium peccatorum peribit.

Hæc est pars, hæc sors, hæc merces, hæc portio miserorum, eorúmque qui ab humani generis hoste ad desertionem solicitati, illicò nulla aut exigua resistentia nihil aut per exiguum reluctati Dei sui signis castrisque desertis, ignauè se ei dedidere: cùm tamen diuinâ ope vel signo tantùm, solâque cogitatione, breuiculâque iaculatoria oratione inclamata, eius conatus, dolos, machinas omnes, vim, fallaciámque vniuersam irritam, nullámque reddidissent.

Itáne ô miseri vos perire iuuat? Itáne æternùm cruciari delectat? doloribúsque confici? nec confici tamen: igne consumi? nec consumi, quando vermis vester non moritur, & ignis vester non extinguitur? Tu quidem si me, atque adeò Deum monentem audies, si te immanium intolerabiliumque cruciatuum æternitati subtrahere voles cùm primum vel eminus tenuissima tentantis dæmonis deprehendes vestigia, illicò ad orationis arcem perfugies, atque adeò

adeò conuolabis. Domine vim patior (in quies) respondepro me, Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me. Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meã. Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Confundantur & reuereantur qui quærunt animam meam. Dispergeillos in virtute tua, & depone eos protector noster Domine. Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes. Ita persequeris illos in tempestate tua: & in ira tua turbabis eos. Psal. 53. 1. Psal. 69. Psal. 82. 14.

His consimilibúsque vocibus interpellatus ne dubita, aderit propitius Deus. Exurget ipse & dissipabuntur inimici eius, & fugient qui oderunt eum à facie eius Sicut deficit fumus deficient & peribunt peccatores à facie Dei. Tu verò victoriâ lætus, prostratisque hostibus mirè securus gaudens gaudebis in Domino, & exultabis in Deo Iesu tuo, qui docuit manus tuas ad prælium, & digitos tuos ad bellum. Qui induit te virtute ex alto. Qui posuit animam tuam ad vitam, & non dedit commoueri pedes tuos.

Equidem tibi eam mentem imprimis à Deo petam, atque vt eam ipsam tibi diuina

bonitas impertiat precibus qualibus qualibus, pro virili contendere non desistam, quò & tuæ saluti consulam (quam christiana sanè charitas à me alienam esse non patitur) & per me immeritum licet, aliqua diuinæ gloriæ accessio fiat præstante Domino
Apoc. 7. 12. nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu Sancto sit ab omni creatura benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT X.

Epilogus ad Ecclesiasticos.

MINVS vt spero equidem mihi negotij atque operæ in orationis persuadendo studio tecum erit quisquis es sacris initiatus, Sanctuarioque curando deputatus, cuiusq; cum tribu Leuitica portio est Deus, & Dominus pars hæreditatis tuæ. Atque vt hæc ipsa horumque similia faciliùs animo complectare, frequentiúsque menti recurrant, ea tibi paulò fusius ex Sanctorum Patrum sensu scriptisque censui proponenda. Ac primùm quidem quàm deceret precationi insistere clericos luculenter ostendit
In eius vita. Beatus Syluester Pontifex, tui Sabbati & Dominicæ dumtaxat diei nomine retento, reli-

reliquos hebdomadæ dies feriarum nomine distinctos, vt iam ante etiam in Ecclesia vocari cœpti erant, appellari placuit, quò significaretur quotidie clericos abiectâ cæterarum rerum curâ, vni Deo prorsus vacare debere. Sanctus verò Gregorius epistola quadam de Sacerdotibus, & potissimè Antistitibus hæc habet. Quid Antistes ad Dominum, nisi pro delictis populi intercessor eligitur? Quâ itaque fiduciâ ad Deum pro peccatis alienis intercessor venio, apud quem de propriis securus nõ sum? Alludit Gregorius ad illud Apostoli. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Diuus Bernardus Sacerdotem oratione tamquam veste exornat. Vestis (inquit) quâ sacerdos vti debet triplex est, exterioris operis grossitudo, quo induitur Aaron coram populo: spiritualis sanctimoniæ habitudo, quam apud se Rebecca abscondit, & eâ vtitur Aaron in tabernaculo: contemplatiuæ dulcedinis pulchritudo, quæ inconsutilis est, & eâ vtitur Iesus.

Epist. 24

Heb. 5. 1

In sententiis.

Idem quadrifariam diuidit officium sacerdotale: viuam (inquit) carnis hostiam immolare quod Leuiticum est; virtutum charismata Deo offerre, quod est incendere aro-

Ibidem.

aromata & filiorum Aaron est: cum feruore martyrij cælũ intrare, quod est introire cùm sanguine sanctum Sanctorum, gratiæ & precum vota cælo transfundere, quod est panem & vinum Deo offerre. Hæc Bernardus, quæ eadem alibi sæpissimè inculcat.

Verùm in re adeò perspicuâ, pluribus supersedebo testimonijs. Illud tantùm asseram: sacrorum auctoritate Canonum, quò sacerdotibus plus esset otij, Deo crebriùs supplicandi sancitum esse, ne se sæcularium negotiorum procuratione tractationeque implicent. Imprimis autem omnis eis negotiatio seu mercatura, quæ est de rebus sæcularibus viliùs & cariùs distrahendis interdicitur. Atque Alexander quidē tertius maiorum suorum insistens vestigijs, sub interminatione anathematis prohibuit ne clerici causa lucri negotientur: Ab Apostolis verò ita statutum est. Episcopus aut sacerdos, aut diaconus, nequaquam sæculi curas assumãt, sin aliter, dejciantur. Atque ob hãc eandem orationis causam, clericis vetita est possessionum, agrorúmue conductio, administratio procuratioque negotiorum sæcularium. Ita quidem concilium Cartaginense primum, & tertium, cui subscribit Nicasius Episcopus Culusitanus, atque illud ipsum citat. Placuit (inquit) quoque concilio Carthaginensi vt Episcopi, presbyteri & diaconi vel quicumque

Trid. sess. 22. de reform. 1. c. 1.

c. canon 14. quæstione 4. c. secundum ne clerici vel monachi. can. 7. Apost.

Actione 6. & 15.

c. peruenit. 21 quæst. 3. & c. pla-

que clerici non sint conductores aut procuratores. cuit 21. quæst. 3.

Ad hæc clerici ordinariè neque curatores neque tutores esse possunt: quod cõtra cum factum esset à quodam Victore, qui Faustinum presbyterum tutorem testamento suo nominauerat, grauiter commotus est cum suis collegis sanctus Cyprianus totius Africę primas, vt patet ex vnius è suis epistolis fragmento. Epist. 9. lib. 1. Cùm iampridem (inquit) in concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat, cùm singuli diuino sacerdotio honorati, & cuncti in clericali ministerio constituti non nisi altari & sacrificiis deseruire, & precibus atque orationibus vacare debeant. Scriptum est enim: 2. Tim. 2 Nemo militans Deo implicat se molestijs secularibus, vt possit placere ei cui se probauit. Quod cùm de omnibus dictum sit, quanto magis molestiis & laqueis sæcularibus obligari non debent qui diuinis rebus & spiritualibus occupati, & ab Ecclesia recedere, & ad terrenos & sæculares actus vacare non possunt?

Atque vt omnibus magis constet quanti id fecerint maiores nostri, quáque plecteretur pœnâ qui contrà fecisset, clericúmque ab orandi studio ad humana negotia auocasset, operæ pretium est audire, quid

quid de ea ipsa re idem Sanctus Cyprianus. Quod inquit (Sacerdotum nempe officiũ) Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes & salubriter prouidentes, censuerunt ne quis fratrum excedens, ad tutelam vel curam, clericum nominaret, ac si quis hoc feciſſet non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim ad altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros suos Leuitas auocare voluit. Et ideo cum Victor contrà formam nuper in concilio à Sacerdotibus datam, Faustinum presbyterum ausus sit actorem constituere, non est quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in ecclesia frequentetur. Hactenus Cyprianus.

C. de epiſc. & clericis.

Neque verò id sacris modò Canonibus cautum est, sed legibus etiam ciuilibus, cõstitutionibusque Imperatorum, Martiani, Leonis, & Iustiniani, quæ ex ipsismet petat licet cui lubebit.

c. 1. ne clerici vel monachi.

Clericis denique cùm varias ob causas, tum ob hanc maximè, qua de modò agimus, interdicta est venatio, seu canes & aues (vt habet canon) sequi ad venandum. Nicolaus quidem Papa (vt est apud Iuonem) Aluino Archiepiscopo litteris ad eum datis grauissimè præcipit vt coacto Episcoporum

Part. 5. decreti.

sibi

sibi subditorum concilio, quendam Lanfredum item Episcopum, at adolescentem, venationi deditũ: salutaribus monitis (verba sunt Pontificis) conueniat, atque illi auctoritate Episcopali præcipiat, quatenus ab omnium bestiarum & volucrum venatione penitus alienus existat. Nam vt dixit Beatus Hieronymus. Venatorem numquam legimus Sanctum: Quod si parere contempserit, à vestro collegio excommunicatus abscedat. Quod si in hoc contumax adhuc apparuerit, à ministerio cessare debebit. Hæc Pontifex. In psal. 90.

Ex quibus omnibus efficitur magnam sanè sacerdotali statui inesse orandi obligationem; vehementerque lugendos eos Sacerdotes, qui quidem sui obliti aliudque agentes, tum grauem fœdamque dignitati suæ inurunt maculam; tum quibus eos prælucere vitæ exemplo oportuit, illis ipsis orationis neglectu, humanarumque rerum tractatione tenebras offundant.

Sed præstat Beatum Gregorium amarè hanc ipsam Sacerdotum siue incuriam, siue impietatem deplorãtem audire. Ecce (quod tamen inquit sine dolore dicere non possumus) ex oblatione fidelium viuimus, sed numquid pro animabus fidelium laboramus? Illa in stipendium nostrum sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt, Hom. 17. in Euangelia.

tulerunt, nec tamen contra peccata eadem, vel orationis ſtudio vel prædicationis vt dignum eſt, inſudamus. Dei cauſam relinquimus, ad terrena negotia vacamus, locum ſanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Impletum eſt in nobis profectò
Oſeæ 4. quod ſcriptum eſt. Et erit ſicut populus ſic ſacerdos. Sacerdos enim non diſtat à populo, quando nullo merito vitæ ſuæ vulgi tranſcendit actionem. Hæc Gregorius.

Et quia tantæ ſacerdotum incuriæ parem penes ſe quidem non inuenit luctum: Imploremus (inquit) Hieremiæ lacrymas, conſideret mortem noſtram & deplorans dicat. Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. Nos lapides ſanctuarii ſumus qui apparere ſemper debemus in ſecreto Dei, quos numquã neceſſe eſt foris conſpici, id eſt in extraneis actionibus videri. Sed diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearũ, quia hi qui per vitam probam & orationem ſemper intus eſſe debuerant, per vitam foris vacant. Ecce iam penè nulla eſt ſeculi actio: quam non ſacerdotes adminiſtrent.

Hæc & alia longè pulcherrima Gregorius: quibus quidem quanta ſit cum ſacerdotibus omnibus vi ſtatus ſui, tum iis maximè qui ceteris præſunt, orandi impoſita neceſſitas

cessitas luce clarius esse existimo. Verùm non ob status tantùm sui naturam conditionemque idcirco eis orationis studium colendum est: sed ob alias etiam, easque grauissimas causas. Principio enim non sunt ipsi quidem immunes à dæmonum tentationibus: atque fortè eo magis etiam iis ipsis expositi, quòd pluris faciat dæmon vel vnicum ad signa sua adiungere Sacerdotem, quàm sæculares decem. Atqui oratio vt præclarè Sanctus Isidorus dæmonum omnem vitiorumque impugnationem extinguit. Ad hæc multa etiam in vitam Sacerdotum incurrunt mala, omnibus autem malis (eodē auctore) præualet oratio. Quid commemorem quàm sæpè animo fluctuent cōsilij inopiâ, cùm in rebus dubiis quàm potissimùm amplectantur partem, non satis perspiciūt? Verùm vnicum (vt rectè Bernardus) in dubiis remedium seu refugium est oratio & frequens gemitus ad Deum, & vt quid quando & qualiter, facere nos velit Deus assiduè nobis monstrare dignetur.

Lib. 3. sent.

In c. 4.

Serm. 57. in Cant.

Ac quemadmodum minora sydera lumen omne suum, quo tum in se ipsa, tum nobis colluceant, mutuantur à sole, à quo ita pendent vt ipso extincto, pariter ipsa extinguantur. Sic & nobis vsuuenit quibus à nobis ipsis quidē nihil nisi tenebræ, caligo, ignoratio, inscitia, si quid verò luminis, intel-

ligentiæ, prudentiæ insit, id omne in nobis à Deo vero sole, cuius lumine orãtes colluſtramur, oriri necesse est. Atque ob hãc causam (inquit Gregorius) Moyses in rebus dubiis semper ad tabernaculũ recurrit, corã testamenti arca Dominum consulit, exemplum procul dubio rectoribus (id est sacerdotibus quibus animarum est commissum regimen) vt cùm foris ambigunt quod disponunt, ad mentem semper quasi ad tabernacula redeant, & velut coram testamenti arca Dominum consulant, si de his quibus dubitant apud semetipsos intus sacri eloquii paginas requirant. Hactenus ille.

2. parte pastor. c. 5.

Cuius quidem consilio obsecuti sanctissimi quique Antistites, Martinus Turonensis, Hugo Lincolniensis, Laurentius Dublinensis, Vuostanus Vuigornensis, Zenobius Florentinus: atque religiosorum ordinum moderatores, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, Ignatius, aliique permulti, si quid iis dubitationis occurrisset, illicò ad orandum tanquam ad oraculum, vt verè est, se conferebant: Quod idem à priuatis etiam factitatum accepimus. De sancta enim Catharina Virgine & vidua hæc Surius. Cùm quædam magna domina consilii causâ ad eam venisset, quòd filia eius viro orbata grauissimè infestaretur à dæmone, illa vicem illarum valde dolens, & tacitè secum legens

22. Martij. c. 16.

semel

semel salutationem Angelicam (vt semper erat solita cùm de rebus spiritualibus consuleretur) saluberrimum eis consilium impertijt.

Denique tot sunt tamque eximii orationis fructus & effecta, vt parum sui amans, vehemēterque bono suo inuidere is videatur, qui ab iis inopem atque destitutam vitam suam patiatur. Oratio namque Deum nobis placatū efficit. Moyses (ait sacer textus) orabat Dominū, & placatus est Dominus. Oratio commissorum veniam exorat. Omne debitum dimisi tibi, quoniā rogasti me. Tentationis impetū sedat. Orauit Moyses, & absorptus est ignis, ita quidem interpretatur Bonauentura. Vitia fugat. Dispergе illos in virtute tua, & depone illos protector meus Domine. In periculo positos liberat: Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Oratio difficultates complanat. Vociferante populo, muri Iericho corruerūt. Confert dei familiaritatem. Prope est dominus omnibus inuocātibus eum. Clamabis, & dicet: Ecce adsum. Spiritus sancti dona impetrat. Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Pater dabit spiritum bonum petentibus se, donum item sapientię. Si quis vestrum indiget sapientiā, postulet à Deo, & dabitur ei. Et prædicandi facultatē. Orantes pro me vt detur mihi sermo in apertione

Exodi 32.
Matt. 18.
Numer. 11.
De profectu religio. lib. 2.
Ps. 58. 12
Psal. 49.
Iosue 6.
Ps. 144.
Isaiæ 58.
Actor. 2.
Iacob 1. 5.
Ephes. 6

oris mei. Nec non reuelationem ſecreto-
Iere. 33. rum. Clama ad me, & annunciabo tibi grandia & firma. Tum poteſtatem quælibet pa-
3. Reg. 17. trandi miracula. Elias namque orauit vt non plueret, rurſumque vt plueret, & voti factus eſt compos. Deinde temporalia confert ſubſidia. Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Nec minùs valet ad aduerſa quælibet auertenda. Fames ſi oborta fue-
3. Reg. 8. 37. rit in terra, aut peſtilentia, aut corruptus aër, aut ærugo, aut locuſta, vel rubigo, omniſque plaga & vniuerſa infirmitas, & expanderit quis manus ſuas in domo hac: Tu exaudies in cælo in loco habitationis tuæ. Tandem vt verbo abſoluam, ad nihil non valet oratio, nihilque tam eſt arduum, tamque humanis viribus impar, quin id aſſiduitate & frequentiâ adipiſcatur.

Fallere nequit is cuius hæc eſt magnifica vox, cohortatioque. Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis: Quam quidem cohortationem, ne hæſitaremus, animoque fluctuaremus incerti de rei euentu, hoc etiam certiſſimo promiſſo à ſe firmatam ita concluſit. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur. Atque hi quidem principes ſunt orationis fructus, quos & ſi-

bi

biimprimis colligere, tum verò aliis Sacerdotis officij esse, nemo non videt: cùm vniuersæ Christi Reipublicæ, id est ecclesiæ nomine fungatur legatione ad Deum, sitque inter eum & multitudinem medius interiectus, tum vt ab illo quælibet referat bona, tum vt ab sibi creditorum cerui cibus impendentia auertat mala: neque sibi tantum priuatæque vtilitati sacris sit initiatus, Sacraque obeat ministeria, sed bonam eorum partem, atque adeò multò maximam sibi Christi corpus iure suo vendicet.

Et quoniam plerique omnes concionandi ad populum sacro munere funguntur, quo quidem vt nullum difficilius est, ita nullum diuinius, si modò benè obeatur: eam ob causam iis imprimis in orationis studium incumbendum. Omnino eos oportet meminisse quis hac in re fuerit Sanctorum Apostolorum (qui quidem orbis magistri à Deo erant constituti) & sensus & verò vsus. Nos verò (inquiunt) orationi & ministerio verbi instantes erimus. Ac meritò sanè prædicationem oratio antecedit; illam enim ab hac vires sumere decet, animumque ac Spiritum quem aliis impertiat haurire, sine qua etiam sit imbecilla, inops, sterilis & infœcunda, nec eum cuius gratiâ vsurpatur fructum finemque consequatur. Actor. 6.

Meminerint item quid ſacerdoti præ-
lib. 4. de doctrina Chriſtiana. c. 15. ſcribat Auguſtinus, qui ad mortales Deo ſuo conciliandos vocatus eſt. Munus ſuum (inquit) vt præſtet, magis pietate orationum opus eſt, quàm oratoris facultate, vt orando pro ſe & pro illis quos eſt allocuturus, ſit orator antequam dictor. Meminerit tandem omni id ſibi ratione præſtandum, vt quæ tria ſponſæ tribuuntur ſeu honoris, ſeu amoris epitheta, ea ſibi etiam quadrent. Amicæ ſcilicet, columbæ, & formoſæ. De quo eſt illud præclarum apud
Serm. 57 in Cant. Bernardum. Amica mea, columba mea, formoſa mea. Habes (inquit) tria hæc, prædicationem, orationem, contemplationem in tribus deſignata vocabulis. Etenim meritò amica dicitur quæ ſponſi lucra ſtudioſè ac fideliter prædicando, conſulendo, miniſtrando conquirit: meritò columba quæ nihilominus pro ſuis delictis in oratione gemens & ſupplicans diuinam ſibi non ceſſat conciliare miſericordiam: meritò quoque formoſa, quæ cæleſti deſiderio fulgens, ſupernæ contemplationis decore ſe induit. Qui autem huiuſmodi eſt, placens Deo, cautus ſibi, vtilis ſuis erit. Ac ne cui eſſet dubium quod de his tribus, cæteris præſtaret
Epiſt. 201. tum dignitate, tum fructu. Nunc manent (inquit) tria hæc, verbũ, exemplum, oratio, maior autem horum eſt oratio, ea namque operi

operi & voci gratiam & efficaciam prometur.

Considerent iterum atque iterum Christi Saluatoris exemplum, qui vt rectè Gregorius per diem miracula hominibus exhibebat, & ad orationis studium in nocte pernoctabat, vt perfectis prædicatoribus innueret, quatenus nec actiuam vitam amore contemplationis deserant, nec contemplationis gaudia operationis nimietate penitus contemnant, sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant. Et instar Pauli orando discant, quæ alijs tradant, qui quidem (vt D. Maximo videtur) vltra humana raptus in tertium cælum, secreta cælestia cognouit, vt Ecclesiarum futurus doctor inter Angelos disceret quod inter homines prædicaret.

lib. 6. moral. c. 17.

Hom. 1. de sanctis Petro & Paulo.

Neque verò miretur quispiam ita enixè orandi studium sacerdoti concionatori commendatum à sanctis Patribus: quomodo enim nisi eius adminiculo quæ diuino huic & planè Angelico muneri necessariæ sunt virtutes consequatur? humilitatem, inquam, charitatem tum Dei tum proximi, mansuetudinem, patientiam, paupertatem, simplicitatem, pietatē, deuotionis sensum, incensum animarum zelum, vniuersæ denique Christianæ perfectionis plenitudinem? Nonne temerarius sit is qui speret se

nisi diuinâ ope adiutum atque gratiâ, tantæ rei quæque tot tantarumque ornatum virtutum requirat parem futurum? At quomodo sibi Deum conciliabit nisi assiduâ oratione cum eo ipso vnde bonum omne profluit sit coniunctissimus? Vt omittam hoc muneris varias easque graues secum trahere molestias ac difficultates, quas qui sine orationis adiumento se superare posse confidat, perinde faciat atque is qui cum nauigio careat, ausit se tamen alto committere.

Denique vt eius constet operæ laborisque fructus, neque sit velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, neque sic currat quasi in incertum, sic pugnet quasi aërem verberans, omnino ei frequens adhibenda est oratio, tum vt is qui linguas infantium facit disertas, os ipsi aperiat, tum vt auditorum animos veluti terram ita præparet, subigat, atque molliat, vt diuini verbi semente exceptâ, sinuque confotâ, fructificet ea primum herbam, tum spicam, tum plenum frumentum in spica, vt & ipse sit vnus de iis qui venientes veniunt cum exultatione portantes manipulos suos: & qui cum gaudio metunt, messemque colligũt, condunque in vitam æternam. Sed longiorem, huiusce rei momentum requirit tractationem quàm patiatur hic locus.

1. Cor. 9 26.

Marci 4. 28.

Ioannis 4. 36.

Verùm

Verùm quoniam Sacerdotibus, iis maximè qui animis curandis prę∫unt, vix ∫uppetit otium longioribus orationibus, idq; ob varia, eaque multiplicia negotia, quę iis alia ex aliis oriuntur, equidem iis auctor e∫∫em vt certum temporis ∫patium in ∫ingulos dies, idque primâ luce tribuerent commentationi rerum cæle∫tium, poti∫∫imùm vitæ Chri∫ti, eorumque quæ inter mortales degens tum perfecit, tum perpe∫∫us e∫t: Difficile ∫anè dictu e∫t, quantum ea res habeat virium ad eas parandas virtutes, quæ animorum præfecto imprimis ∫unt vſui futuræ, neminique ni∫i experto id eloqui licet, atque ei vix quidem certè.

Ad hæc toto reliquo die, imitatione Abrahæ, ambulet & ipſe coram Deo, vt ſit perfectus, iiſque rebus quas in manibus habet, iaculatorias inſerat precationes, id eſt ſiue ſtudiis ſit intentus, ſiue etiam cum aliquo ſermonem conferat, inter ambulandum, inter edendum ſub ipſum cibum & potionem, omni denique occaſione meminerit ſeſe Deo ſiſtere, eique pio quopiam mentis affectu aliâs doloris peccatorum, aliâs fidei, ſpei, dilectionis, modò gratitudinis, modo zeli pereuntium animarum, incenſum, commotumque animum exhibere. Ita Chriſti Domini ſeruato iuſſo ſeu conſilio, de continua & numquam interru-

ptâ oratione quantum quidem patitur mortalitas paruerit.

Tertiò dum canonicarum precationum pensum persoluit; quantam potest maximam adhibeat attentionem: & quia intellectu admodum sunt difficiles, sitque ea sacræ Scripturæ pars, quæ ex Psalmis conficitur, omnium maximè à communi remota intelligentia, idcirco ne deuotionis feruor intepescat, sesequè remittat, quòd sensum eorum quæ legit non assequatur, iaculatorias ijs orationes immiscear: parùm enim refert vtrum ex rebus quas tractat, & in quibus tum versatur, an verò ex alienis atque absentibus in Deum feratur eius mens. Denique tum concionem apparaturus, tum eius habendæ appetente horâ, iaculatorias vsurpabit, nec non in ipsomet concionis cursu, maximè si vel se memoriâ labi, vel spiritu frigescere, vel vanæ gloriolæ titillatione, vt fit, demulceri, cæcaquè quadam philautiâ tangi senserit.

Et quoniam exteriores occupationes si nimiæ sunt, debitoque careant modo, admodum orationi aduersantur, vtpote quæ (vt omittam cætera) bonam dici partem sibi vendicent, omnino Sacerdoti curandum est, vt in iis modum teneat, itaque otium suum dispertiat, vt illius parte actioni tributa, reliquum det orationi. Quod quidem

dem monitū multo malim Sancti Bernardi grauissimis verbis quàm meis exprimere.

De consideratione ad Eugenium.

Si quod viuis (inquit) & sapis, totum das actioni, considerationi nihil: laudo, te, in hoc nō laudo. Puto quod & nemo qui à Salomone audierit, qui minoratur actu, percipiet sapientiam. Atque si totus vis esse omnium per actionem, instar illius qui dicit. Omnibus omnia factus sum: Esto & tuus, nam & tu homo es. In sinu tuo in quo omnes recipis, teipsum etiam collige. Omnes habent te, esto & tu ex habentibus vnus. Vt quid solus fraudaris munere tuo? Quid prodest si vniuersos lucreris, teipsum perdas? Vsquequo spiritus vadens (per actionem) & non rediens (per contemplationem) sapientibus & insipientibus debitor es, & soli negas te tibi? Hæc & alia grauissimè iuxta ac appositissimè ad persuadendum Bernardus.

Atque vt eò vnde initium duxit sese referat oratio, si se Sacerdos Sacrorum procuratorem augustissimique sacrificij ministrum, si se Deo multitudini oratione conciliando positum, si se obicem iræ diuinæ, murúmque domus Dei constitutum esse meminerit, numquam committet profectò, vt ei tempus vllum ab oratione sit vacuum, multùm orabit imitatione Hieremiæ pro populo & vniuersa sancta ciuitate ne tot 2. Mach. 15. 14.

Deo

Deo iudice sit reus animarum quarum saluti orationum suarum ope aut consulere neglexit, aut noluit. Demum si se ab ipso Christo terræ salem, quo cibi id est homines qui tamquam Dei cibus sunt, condiantur, nuncupatum recordatus sit, orationem intermittet numquam, dum enim vt præclarè Gregorius, ab eius vsu cessat, sal infatuatur, ita condiri non valet cibus Dei, atque idcirco ab auctore non sumitur, nec in eius corpus traijcitur, vt in æternæ Ecclesiæ augmẽtum tendat, quia exigente Sacerdotis fatuitate minimè conditur.

Hom. 17. in Euang.

CAPVT XI.

Epilogus ad Religiosos.

Eph. 2. 19. TE tandem conuenio qui conciuis es Sanctorum & domesticus Dei, non hospes, non aduena, vt ferè superiores, qui es tamquam à cubiculis regi regum, vt proinde liberè cùm eo sermocinandi quouis tibi momento facultas detur. Te, inquam, qui ob id mundo valedixisti vt vacares & videres quoniam suauis est Dominus; & quã bonum ei adhærere iugiter, quamque sit melior dies vna in atriis eius super millia. Atque vtinam quemadmodum tibi hæc omnia frequentiorem orationis vsum suadẽt vehemen-

menter, ita & ab iis te persuaderi patiaris: cùm præsertim tibi tot ad eam frequentandam adminicula, ipsa Sanctissimi status tui ratio, vitæque institutum suppeditent.

Atque vt de cæteris sileam, quantum quęso ad continenter orandum, momentum habet, Sanctum illud religiosorum otium, quo ab omni humano negotio feriati, sæculique sollicitudine immunes, mentem continent liberam, vt eius vires omnes integras omnino, neque terrenarum rerum cura cogitationeque dissipatas, fractasq; Deo contemplando, amandoque impendant? Etenim quod alibi de beatis ait Beatus Augustinus, eos neque arare, neque seminare, neque molere, quod hæc opera necessitatis sint, in cælo autem necessitas sit nulla: idipsum magna ex parte locũ habet in religione, in qua vel illa ministeria non obeuntur, vel si id quidem fit ab iis, abest cupiditas omnis, quæ orationis est venenum, vel demum ita exercentur ex maiorum institutis, vt nec ea ipsa oratione vacent, cum ad Dei optimi, maximi gloriam dirigantur vniuersa. Quod quidem cùm fit (vt præclarè idem Augustinus) non cessatur à Dei laude atque oratione, quoniam hæc ipsa ad Deum relata, Deum laudant. Sic enim (inquit) laudas Deum cùm agis negotium, laudas cùm cibum & potũ capis, laudas cùm in lecto requi-

In psal. 148.

In psal. 146.

quieſcis: laudas cùm dormis. Atque ex ipſa actiones, variis iiſque crebris interpellantur precatiunculis, vt etiam propriè dicta oratio in iis exiſtat. Itaque omnis veri religioſi vita aliud nihil eſt quàm oratio, cùm illi ipſi tempori, quod ea vacare videatur,
Iſa.56. minimè quidem deſit. Nimirum eſt religio domus orationis; eſt altare in quo ex Domini præſcripto ignem iugiter ardere oportebat, cui etiam fouendo Sacerdotis partes erant continuò ligna addere ac ſubiice-
Iſa.31.9. re: Eſt denique inclyta illa Sion & Hieruſalem in qua ipſi Deo caminus eſt, quo ſcilicet ſuauiſſimus ille miriſque odoris fumus, qui ex orationis exhalat thimiamate ſurſum feratur. Et quemadmodum qui ad grammaticæ ſcholam lectioneſque admiſſus, alia omnia agit, nihilque minùs quàm ea ſtudia cogitat, is quidem non vacat culpâ: Sic iure culpandus qui in domum orationis gratis, ſummâque gratiâ receptus, neglectâ tamen oratione, quaſi ea nihil ad ſe ſpectaret, in omni alia re verſatur.

Verùm quàm religioſum dedeceat, quâque ei ſit periculoſum hoc ſancto precandi ſtudio omiſſo, à ſtatu ſuo alieniora conſectari, haud ita multo poſt differendum. Videndum modò an quod ei ſtatus ſui conditio, lociſque quem incolit natura & vis ſam fortiter ſuadent, id non multo magis

præ-

præstent qui ab oratione eximij colligantur fructus. Quorum plerisque quamquam tota hæc tractatio sit aspersa, tamen tot sunt illi, tamque præstantes, vt quidquid de iis sit dictum penè nihil videatur, multòque adhuc plus de iisdem dicendum supersit. Nemo est religiosus qui non summè expetat introduci in cellam illam vinariam de qua sponsa in canticis, atque de eius vino dulciore super mel & fauum, ad satietatem vsque potare. Atqui orando (si Bernardo credendum) bibitur vinum hoc spirituale lætificans cor hominis, vinum scilicet Spiritus Sancti quod inebriat mentem & carnalium voluptatum infundit obliuionem, humectans interiora arentis conscientiæ, escas bonorum actuum digerens & deducens per quædam animæ membra, fidem roborans, spem confortans, vegetans, ordinansque charitatem & impinguans mores. In Cantica sermo 18.

Quis autem non gestiat religiosus edere, vel de micis cælestis illius mensæ, cui quidem occubantibus beatis Christus Dominus ministrat præcinctus? quis inquam inauditæ illius iucunditatis quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, non exoptet aliquam etiam in hac vita præsensionem? Verùm id orationis virtute effici à Sanctis Patribus traditum est, qui quidem orationem Angelorum opus, & futu- In vita Barlaam & Iosaphat auctore Damasc.

futuræ vitæ præludium appellarunt. Nec sanè immeritò, vt enim est apud Beatum Laurent. Iustinian. orando cor dilatatur dilectione, irradiatur veritate, repletur lumine, perfunditur exultatione, iucundatur suauitate, saginatur deuotione, eleuatur spiritu, inebriatur iubilo, contemplatione nitescit, potitur amplexibus, circumdatur splendoribus, odoribus aspergitur, atque ineffabilibus gaudiis ditatur. Hinc secretorum oritur reuelatio, scripturarum declaratio, futurorum cognitio, sensuum corporalium alienatio, cælestium bonorum medullaris participatio, diuinæ bonitatis adhæsio, & vnitatis spiritus beata fruitio.

Tract. de orat. in fine.

Bone Deus, quanti vnius orationis fructus, quamque præstabilia effecta! sed quanta eius iucunditas, quantaque oblectatio? Quid enim homini in huius quidem corporis ergastulo, mortalitatisque loco detento, iucundius accidere potest, quàm deuotione saginari, veritate irradiari, inebriari iubilo, potiri amplexibus, indiuulsè continenterq; Deo adhærescere, cæteraque à Iustiniano allata orationis bona percipere? Equidem hanc arbitror ob causam potissimùm, priscis illis Patribus orationis studio nihil fuisse antiquius, cui quidem ita sese dabant, vt in eo optimam vitæ suæ partem collocandam putarent.

Atque

Atque vt omittam Antonios, Arsenios, Siluanos, Simones Stilitas, quos ineunte nocte orare ingressos, sæpe matutina lux in eodem vestigio, exercitioque deprehendit: de Beato quidem Xauerio ita scribitur à Torsellino. Meliaporæ ad ædem Sancti Thomæ cùm diuersaretur, de nocte surgens intrabat in templum, nec vllis aut hominum sermonibus, aut plagis, ac turbis dæmonum à diuinis colloquiis deterreri potuit. Sæpè etiam ibidem totas penè noctes extraxit precibus. Obseruatum est etiã Malacæ à sociis eum ferè in Sacrario quasi alterum Samuelem humi cubitare solitum, intempestâ inde nocte in templum obrepere, & ante aram maximam, Sacrosanctamque Eucharistiam submissis genibus orare, crurib̃ autem defatigatis, super aræ gradus proiectum, aut manibus innixum perseuerare in negotio, donec aut somni necessitas, aut auroræ lux superueniret. Quòd si facultas templi deesset, non tamen studium deerat orandi. Hæc & alia multa in eandem sententiam Torsellinus, quibus continuum Beati huius viri orandi studium declarat, quod ab eo ne in summis quidem occupationibus quotidianisque itineribus ac difficillimis nauigationibus intermittebatur vnquam, quippe cùm meditandi occupationem præcipuam duceret. lib. 6. c. 5.

De sanctis Ægypti monachis commemoratur eos inter laborandum, edendum, ambulandum, quacumque demum aliâ occasione orationem adhibuisse. Quin etiam inter colloquendum. Cùm enim fratres quidam ad certum senem diuertissent, præmissaque de more oratione, simul sermonem contulissent, petiit sub discessum deiis vnus vt rursus orationi se darent. Cui senex: non orastis, inquit, omnino inquiunt huc quidem appulsi, ex eo autem tempore colloquio intenti nihil orauimus. Quibus ille. Ignoscite mihi fratres quia vobiscum sedens quidam frater ac loquens centum & tres orationes fecit.

De vitis Patrum l. 5 qui est de verbis seniorũ.

Sed mirabile est in hoc genere quod traditum à Beato Nilo de assiduitate constantiaque orandi Patrum superioris memoriæ. Venit ad nos quidem (inquit) qui narrabat quemadmodum dæmon vsque adeò cuidam Sancto cùm oraret resistebat, vt simulatque ille manus tenderet, dæmon se in leonis formam verteret, & prioribus pedibus erectis, vngues vtrimque illius manibus infigeret, à quo non priùs discedebat quàm manus frangeret: qui verò orabat non priùs remittebat, quàm orationes consuetas absolueret. Eiusdem ferè generis est quod subdit de quodam, ad quem orantem cùm accessisset vipera, pedemque eius tetigisset, ille non

De orat. c. 100. 101. 102 to. 5. bibliot. SS. Patrum.

non priùs manus deiecit, quàm solitam orationem absoluerèt, nihilq; incommodi accepit, qui Deum plusquam se dilexit. Addit & alterum adhuc admirabilius, de Ioanne cognomine paruo, quem ipse quidem magnum vt erat, vocabat; qui licet vndique circumvolutus & circumplicatus dæmone in draconis speciem mutato, & corpus eius mandente, atque in faciem eius vomente, tamen se à colloquio, & congressu Dei non dimouebat. O inuictos animos, ô magnanimos heroas, quorum in orando constans studium, nec orcus ipse, nec dæmonum furor valuit interpellare!

Quos quidem Beatus Xauerius vt erat celso vir animo, proximè imitatione consecutus est, de quo hæc Torsellinus: Xauerio Meliaporæ in India, in templo Beati Thomæ Apostoli nocte concubia ad aram Beatæ Virginis supplicanti, ex composito superueniunt sempiterni humani generis hostes, irâ, odioque furentes, atque vt illum ab instituto absterreant, truci fremitu, clamoribus variis, horrendoque cuncta complent sono. Mox virum ad minas intrepidum, quàm tumultuosissimè adorti, verberibus atrocissimè cædunt, factis, dictisque odium explentes suum. Ille inter verbera crepitúsque plagarum, magis de constantia quàm de tergo suo solicitus; Dei lib. 2. c. 15.

parentem sui certaminis spectatricem implorare, varios hostium tumultus magnitudine animi eludere, orationem institutam non fortiter solùm, sed etiam constanter vrgere. Quocirca molestos illos & importunos interpellatores fortis atque inuicta perseuerantia acerrimum aduersus infestos dæmones telum facilè abegit. Hæc Torsellinus: qui quidem subdit alia eodem spectantia, eáque sanè pulcherrima, quæ pius lector non sine admiratione, magnóque animi gaudio perleget, quæque breuitatis studio prætermitto.

Forsitan quispiam perconctabitur ex me, cur tanta in orando tum assiduitas, tum constantia ab sanctissimis hisce religiosissimísque Patribus adhibita? Suprà obseruatum est eam ab eximiis qui ab oratione percipiuntur fructibus, profectam esse: quibus quidem allecti ipsi, vniuersa illis, etiam incolumitatem, salutémque suam posthabenda prudenter sanè existimabant. Verùm occurrit & altera huiusce rei causa: Animaduertebant opinor vt erant rarâ prudentiâ, & rerum vsu, posse neminem oratione neglectâ germani religiosi nomen, atque dignitatem tueri. Præclarè Bonauentura quodam loco. Sicut fauus sine melle, & murus absque temperamento, & cibus sine condimento, ita vita religiosi sine

De profectu relig. lib. 2. c. 69.

sine studio internæ deuotionis. Atque omnis religio arida est & imperfecta, & ad ruinam pronior, quæ spiritum diuinæ suauitatis non quærit, quæque præcipuum conamen ad orationis studium, & internæ puritatis non intendit. Austeram quidem vitam corporalis exercitationis quasi ad modicum vtilem despicimus, & ardua charitatis opera actualiter non habemus, sicut olim Sancti qui pro fratribus animas posuerunt. Item sublimia virtutum exercitia pauci habemus, vt eximiæ obedientiæ, perfectæ patientiæ, humilitatis præcipuæ, & paupertatis extremæ. Si ergo istis caremus & adhuc orationis studium postponimus, in quo gloriari de nostra religione poterimus, nisi fortè de solo nomine & exteriori habitu, & verbis scripturæ quæ in foliis & in ore magis quàm in affectu & opere gestamus? Denique religiosus orationem non frequentans, reuerà non solùm est miser & inutilis, quinimò coram Deo fert animam mortuam in corpore viuo. Opusc. de perfectione vitæ c. 5. Hæc & alia grauissimè Beatus Bonauentura quocum sentit Illustrissimus Caietanus, dum negat religiosi augusto nomine dignum esse eum qui non saltem semel in dies singulos, seponit aliquantulum temporis tum diuinis beneficiis, tum priuatis suis necessitatibus atque miseriis In 2.2. q. 82. a. 3

identidem animo versandis. Quomodo namque (inquit) effectus sine causa, & finis absque medio, insularis portus absque nauigatione haberi nequit; sic neque perfectionem ad quam quidem tendere tenetur religiosus, absque precationis studio adipisci potest.

c.10.vitæ. Diuum quidem Franciscum aiunt solitum dicere orationis gratiam viro religioso imprimis esse desiderandam, neque verò posse quemquam sine ipsa in Dei prosperari seruitio, atque adeò quibus poterat modis, fratres suos ad eius studium excitabat. Sanctus autem Thomas religiosum orationis præsidio destitutum similem esse volebat militis in prælio nudi atque inermis: qui ob eam ipsam causam hostium pateret telis facilèque vulneraretur. Ex his conficitur non modò vt se ipse locupletet religiosus cælestibus donis, ei imprimis colendam orationem, verùm etiam vt ne graniter à Deo plectatur, quippe qui non id agat ad quod vocatus est. Neque verò mihi obiiciat quisquam, se minùs orationi incumbere, quòd non ea experiatur in eius vsu mentis solatia quæ sibi proposuerat. Iam enim suprà disputatum est non metiendum cælestium solatiorum aut quantitate aut suauitate, orationis germanum solidumque fructum. Sed neque tam est sui parcus Deus,

Hist. S. Dominici lib. 3. c.17.

tam-

ramque diuinarum oblectationum auarus, vt eas tibi recuſet ſi te eum orando præſtas quem debes. Videmus enim quandoque ſæculares (verba ſunt Bonauenturæ) ad huc in ſtatu peccati poſitos, ex multo orationis vſu, magnâ deuotionis plerúmque perfundi dulcedine, quæ licet ex veræ charitatis radice non profluat, oſtendit tamen Deus per hoc quàm paratus ſit iuſtis gratiam deuotionis infundere, ſi non negligant quærere, qui adhuc in peccato poſitis, ſed per orationis ſtudium eius ſe familiaritati quoquo modo applicantibus, ſuæ dulcedinis experientiam non abſcondit. Quid erit fidelibus amicis, ſi ſic ſe dulcem quandoque Deus exhibet adhuc inimicis? Quid ergo religioſi excuſationis habent prætendere, qui diuinæ dulcedinis expertes ſunt, quam etiam ſæcularibus ſi ſtudioſè quæſierint videmus non negari? Vnde Beatus Bernardus. Arguit nos pro certo negligentiæ & incuriæ ipſa inopia noſtra. Hactenus Bonauentura.

De profect. religi. lib. 2 c. 69.

Serm. 17. in Cant.

At opponunt alij valetudinis iacturam, nec ſibi per eam integrum eſſe orare. Sed velim ab his etiam atque etiam perpendi quantâ animi magnitudine, quàm forti pectore, tum à Beato Xauerio, tum à tribus illis Sanctiſſimis. Ægypti Patribus

quos suprà commemorauimus orando perseueratum sit, quos certè ne acerbissimorum quidem dolorum morsus, neque à dæmonibus ipsis inflicta verbera & pœnæ, ab huius virtutis cultu auertere potuerunt: nimirum pluris eis erat mentis quàm corporis incolumitas, quàm quidem orationis vsu effici multâ didicerant experientiâ. Verùm id quidem est, non eandem vniuersis orandi præscribendam esse mensuram, aliis id operæ laborisque diutiùs ferre valentibus, alijs non item. Sed quod tempori detractum erit, id crebritate frequentique iteratione compensetur, vt etiam suprà monuimus. Quæ quidem orandi ratio infirmioribus & quorum tenuior est valetudo, caputque imbecillius, congruit maximè. In hac autem re caput est vt quisque sincerè sine vllo dolo fucóvè, tamquam is qui eius rei Deo rationem est redditurus, tantum orationi tribuat temporis, quantum illi & per maiores suos licebit, & per valetudinem.

Iam verò si tanta cuilibet incumbit religioso orandi necessitas, quanta ea erit in præsidibus, iisque qui alios & moderantur & regunt. De qua quidem re luculenter Gregorius ac disertè quodam loco. Sit (inquit) rector interiorum curam, in exteriorum occupatione non minuens,

2. parte pastoralis c.7

buens, ne exterioribus deditus ab intimis corruat. Pergit grauiter castigare eos moderatores, qui orationis studio valere iusso, toto cordis adnisu secularibus curis inseruiunt, hasque cùm adsunt, se agere exultant: ad has verò etiam cùm desunt, diebus ac noctibus cogitationis turbidæ æstibus anhelant. Voluptatem namque censent si actionibus deprimuntur, laborem deputant si in terrenis negotiis non laborant. Sicque fit, vt dum vrgeri se mundanis tumultibus gaudeant, interna quæ alios docere debuerant, ignorent. Vnde subditorum vita torpescit. Hæc & alia multa Gregorius longè præclarissima, quæ mihi ad finem properanti longiora forent.

Idipsum nescio an etiam efficacius commendet Sanctus Bonauentura, aureâ illâ tractatiunculâ de sex alis Seraphim, quo quidem loco sextam & vltimam alam Mystici Seraphim, id est prælati, cuius accessione perficiantur cæteræ, quaque desiderata, ferè invtiles sunt, vult esse orationis assiduitatem & deuotionem (vt ipse loquitur) ad Deum, per quem & zelus iustitiæ accenditur, & pietas compassionis infunditur, & patientia roboratur, & exemplum bonum conditur, & discretio clarificatur: hæc enim quin- c.8.

que, tanquam alas quasdam tribuerat prælato, quas quidem sextæ huius superuentu perfici, atque adeò neque sine eaipsa haberi, fusè ab eo sacrarum litterarum auctoritate demonstratur.

Porrò præscribit vt non pro se tantum Deo supplicet, verùm etiam pro sibi commissis omnibus, quorum quidem nisi diuinâ ope adiutus regimini, custodiæque nul-
Ps. 126. la ratione par esse possit. Etenim nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. Atque quemadmodum sequester est ipse Deum inter, & sibi subditam multitudinem, Deique partes agit docendo eam, corripiendo, consolando: sic eius etiam est sibi subditorum curare negotia apud Deum, eaque ipsa promouere, atque ab eo varia illis dona exorare, & in vniuersum quidquid eorum prodesse potest saluti atque incolumitati precatione suâ prouidere: cùm eius referat & verò agat personam qui de se pronuntiabat:
Deut. 5. Ego sequester & medius fui inter Deum & vos.

Et quoniam varijs negotiorum curarumque distrahitur distineturque molestis occupationibus, neque illi ad supplicandum diutius, supperit otium, suadet saltem vt frequenter, aliquantum ijs surripiat temporis quo quasi furtim & raptim id mune-

ris

ris obeat, tum ne (inquit) in dissuetudinem orandi veniat, tum ne à Deo alienus efficiatur, tum ne gratia diuinæ propitiationis, ei quasi insensibiliter subtrahatur. Imitetur Moysem, qui licet vnicus infinitæ præesset multitudini, eique iussa capessere renuenti, & ad obluctandum procliui, creberrimè tamen tum orationis tum consilij causa in tabernaculum fœderis itabat:

Neque verò quia minus ei orare licet, idcirco orationem negligat: id enim sibi persuasum habeat (monitum est Bonauenturæ) quod quia pro alijs debet ex officio orare, dabitur ei propter alios copiosior orandi gratia, vt quibus prodest agendo, etiam orando prosit. Et quoniam varia ei sunt agenda, variarumque incumbunt procurationes rerum, ea omnia (si Bonauenturam audiet) oratione saltem mentali, id est breui iaculatoria præueniet, & ad omnes euentus ea ipsa sese muniet: petetque sibi à Domino salubriter inspirari quæ à se velit effici, eorumque euentum ad salutis suæ dirigi profectum. Sicut enim, inquit, nauta præuidens tempestatem, festinat sæpius ingredi portum securum: ita Prælatus ad orationis portum continuè confugiat, vbi omnes periculorum collisiones euadat, & in omnibus agendis plus orationi fidat quàm propriæ industriæ vel labori. Vsurpetque frequen- 2. Para. 20.

frequenter illud è sacris litteris. Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui vt ad te oculos nostros dirigamus.

Const. parte 4. c. 10. §. 5.

His consentaneè suis præscribebat Beatus Ignatius, dum in hæc verba scribens, Rectoris inquiebat officium erit in primis oratione & Sanctis desideriis totum collegium velut humeris suis sustinere. Alteros nimirum Athantas eos esse iubebat.

Atque vt ad ea quæ ad omnes attinent sese referat sermo, & tam de iis quæ præsides, quàm quæ spectant subditos differamus: operæ pretium visum est vnum & alterum de infinitis subiicere monitum orationi (cuius quidem ea est religioso viro necessitas, quæ est aquæ, piscium generi) benè ac fructuosè instituendæ. Primum est, vt quantum in eo erit consuetudinem sæcularium omnem fugiat, nec se ad eos nisi aut obedientiâ duce, aut charitate magistrâ adiungat vmquam; superfluáque omnia cum iis colloquia resecet penitus: si autem cum iis (quia nobis non sumus nati tantùm) erit aliquando agendum, eius quidem consuetudinis erit tractationisque mensura, vnica necessitas: vt ea cùm cessat, cesset item & colloquium: vix enim dici potest quantum orationi obsint huiusmodi cum iis qui sæculo famulantur sermocinationes,

quam-

quamque Spiritum deuotionis imminuant, atque adeò extinguant. Quare ob iis dicto citiùs se expediat, & si res quidem feret, eis etiam se furtim subtrahat. Cuius facti ducem ac auctorem habebit Beatum Xauerium, de quo Torsellinus commemorat illum sæpe numero cum Malacensibus ciuibus summâ affabilitate sermonis versantem, sensim se clam omnibus subduxisse de circulo, inde diu multumque ab eis requisitum in sylua aliqua aut solitudine suppliciter orantem, aut corpus suum verberantem esse deprehensum.

Vt autem nullum orationis ex hac cum prophanis hominibus consuetudine nascatur damnum, nec quæ ab iis aut fiunt aut referuntur, animo recurrant postmodum precantem interpellatura: id tenendum omnino, vt licet corpore religiosus adsit in huiusmodi colloquiis, corde tamen quàm sit longissimè ab iis, neque verò iis vllâ ratione afficiatur, animo scilicet cogitationeque aliò versa, atque in Deum vt par est intenta atque defixa. Quod quidem à Sancto Thoma Aquinato seruatum commemoratur, qui vbi licebat ab hominum colloquiis ad amica cellulæ silentia redire, omissis omnibus cum quibus erat collocutus, qualescumque etiam

Surius in eius vita 7. Martij.

etiam illi fuissent: mox ad rerum diuinarum meditationem sese recipiebat, idque animo tam libero, & adrogandum Dominum expedito, ac si interea secum versatus fuisset. Quod vtique argumento erat, cæteris quidem rebus interesse & occupari eum potuisse, sed non nisi Deo & rerum diuinarum studio & contemplatione fuisse delectatum. Quod idem de Beato Xauerio traditum est à Torsellino.

Alterum erat monitum, in vniuerso hoc orandi negotio sensim progrediendũ, constanterque tenendum quod quis cœpit, nec aut animi leuitate, aut opinatâ inualetudine, aut mentis ariditate ab instituto orationis cursu recedendum. Quod quidem disertè religiosis omnibus præcipitur à Diuo Bonauentura in hæc verba. Qui orationis studio vult intendere, assuescat primò aliquando orationi vacare, deinde sæpiùs ad orationem recurrere, tum in oratione persistere diutiùs, tandem quantumlibet frequenter orationi incumbere, nec pro fastidio aut leuitate desistere, nisi quia corporis debilitas aut vrgens necessitas, vel rationabilis vtilitas inde auocat: & iterum reuertatur in idipsum, ne per diuturnam abstractionem redeat in desuetudinem orandi & refrigescat affectus, percurrat quoque singulos modos orãdi (de quibus suprà Capite

De profectu relig. l. 2. c. 69.

pite 60.) & diuersis modis suas petitiones formet, & diuersas petitiones attentet, vt tandem in aliqua deuotionis affectum concipiat: & illi quamdiu sibi sapit inhæreat. Si autem debilitas capitis aut corporis impedit, tunc breuiter & sæpiùs oret, & euagationes mentis cohibeat, & sensus exteriores sub disciplina retineat, & Dei auxilium ad singula humiliter inuocet, & patienter si pro suo voto non succedit, assiduè sustineat. Ipsa quoque quandoque retardatio proficiendi est via perfectionis dum humiliat. Et ideo piè Deus cursum nostrum temperat, vt longiùs procedat, & per hoc meliùs à superbia defendimur, quia sæpe nimia proficiendi securitas, & feruor continuatus, vires corporis exhaurit.

Aureum quidem monitum, dignumque quod penitissimè menti infigatur. At vtinam tam id esset factu, seruatuque procliue quam dictu; plures sanè haberet religio hac orationis virtute instructos & ornatos. Verùm tibi ad eam magno conandum est animo quisquis es religiosæ vitæ institutum singulari Dei benignitate complexus: quisquis non Deo famularis modò (quod quidem prophanorum est hominum) at illi adhæresceris etiam, atque adeò vnum es cum illo: quisquis demum iam à fæce mundi, igno-

ignobiliqúe vulgo ſegregatus, degis in domo Domini, reipſa doctus quàm melior eſt dies vna in atriis eius ſuper millia. Tibi, inquam, orationis virtus imprimis colenda, primasipſa partes ac medias, ac reliquum vitæ tuæ omnis ſibi vendicet.

An non id, cùm infinita in te diuinæ bonitatis merita, tum illud maximè religioſæ vocationis, meritò exigunt atque efflagitant? An non idipſum etiam vniuerſum militantis, totqúe bellis, tum inteſtinis, tum externis afflictiſſimum Eccleſiæ corpus, cuius es non ignobile membrum, à te iure ſuo poſtulat? Quid? non te miſerebit tot mortalium qui purgatorio igne, cuius quidem acerrimi ſunt cruciatus, iam quidem torquentur, quiqúe tuis, tuiqúe ſimilium precibus vehementer confiſi, eas ipſas & vehementer expetunt, & ardenter exoptát? Quid? num ore ſilente, ficciſqúe oculis tantam omnis ordinis hominum ſtragem iacturámque, ſummorum, mediorum, infimorum poteris perſpicere, qui in dies ſingulos, æternùm damnantur? Quis niſi tu qui Dei es domeſticus, eum placabit? quis eius auertet iram? quis exarmabit?

Si quis igitur in te eſt alienorum malorum ſenſus, ſi te Dei optimi maximi, atque de te meritiſſimi afficit honor, qui tot mortalium nefariis fœdiſqúe ſceleribus tam indigné

dignè violatur: Si te Ecclesię, quæ te quidem matris instar tot iam annos sinu suo benignè est complexa, tangit calamitas, id verò factis testare.

In te est (dicam fidenter nec minùs verè) tum inferni hiatum obstruere, tum mortales ne in eum se dent præcipites prohibere. In te est purgantis ignis vim mitigare, atque adeò extinguere; In te violati numinis honorem instaurare, In te denique est (quid enim non efficiat oratio) Ecclesiæ pacem, atque ab hostibus securitatem iis profligatis atque deuictis restituere.

O te fortunatum si hæc præstas: ô quanta te hinc demigrantem manet gloria & beatitas: occurrent nimirum beatæ illæ animæ quas precibus tuis, purgante igne ereptas cælo inseruisti: obuiabunt & illæ quas peccatorum cœno immersas, dæmonisque vinculis illigatas in libertatem asseruisti. Teque vnâ voce, summâ animi gratitudine liberatorem suum, seruatorem suum, assertorem suum, patronum suum deprædicantes in cælestium cœtum, conciliumque læti ouantesq; deducent. Occurret denique tibi Deus ipse, cuius honores tuendo cõseruandoque orationum tuarũ fructum esse voluisti, lætificabit te ipse in domo orationis suæ: Ibi, Ibi videbis & gustabis quã suauis est Dominus, Ibi absterget Deus orationum tuarum lacry-

mas, & non erit vltra luctus, neque clamor neque dolor erit vltra, quia prima abierunt. Tum erit lætitia sempiterna super caput tuum, gaudium & exultationem obtinebis: & fugiet dolor & gemitus: & quia sibi oratio diuinam vt flectat pietatem validas adhibet comites, pœnitentiam, cinerem, luctum, mœrorem. A page hæc, procul hæc à beata illa & immortali vita. Tunc dabo tibi (promissum, id est, eius qui fallere nequit) coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Tunc gaudebis & exultabis vsque in sempiternum in his quæ ego creo, quia ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium.

Isa 35. 10.

Isa. 61. 3.

Isa. 65. 18.

FINIS.

THESAVRVS
ORATIONVM
IACVLATORIARVM
EX
SACRIS LITTERIS
VTRIVSQVE TESTAMENTI:
Additâ explicatione obſcuriorum.

PRÆFATIO IN SEQVENTEM THESAVRVM.

2. ad Tim. 3. 16.

PRÆCLARE sanè monet Apostolus scripturã omnẽ diuinitus inspiratam, vtilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corrigendũ, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonũ instructus. Verùm non recenset hoc quidem loco (neque verò id erat ei propositum) omnes & singulos sacrarũ litterarũ vsus, atque vtilitates. Quis enim ignorat eas ad orandum non parum vtiles existere? aut quis tam est sacrarũ rerum ignarus & rudis, vt nesciat Dei sponsam Ecclesiam, bonam earum precationum partem, quas tum in Sacrosancto Missæ Sacrificio adhibet, tum in Ecclesiastico officio, ex Sacris litteris deprompsisse?

Intellexit nimirum quâ est cęlesti prudentiâ, gratissimas sponso suo accidere preces eas, quæ iis constarent tum verbis tũ sententiis, quarum esset ipse auctor & inuentor: Neque verò minus, his affici orantem, cælestibusque eius mentem oblectationibus compleri, quippe sunt dulcia faucibus eloquia eius, super mel & fauum. Fauus distillans

lans labia eius. Mel & lac sub lingua eius. Pſ.118. 103.
Labia eius lilia distillantia myrrham primã. Cant.4. 11.
Guttur illius suauissimum,& eloquium eius dulce. Guttur eius sicut vinum optimum, Cant.5. 13.16.
atque vt verbo concludam, totus desidera- Cant.6. 9.
bilis,siue vt vertunt Hebræi maiore adhuc emphasi, totus desideria.

In eandem sententiam S.Augustinus: sa- Ad fratres in Eremo serm.38
cras litteras melle omni dulciores, omni pane suauiores, vino omni hilariores affirmat. Neque his contentus elogiis: Sapientia est, inquit,omnium sapientiarum scriptura,scientia scientiarum, Angelorum ferculum, Archangelorum pulmentum,Apostolorum gloria,Patriarcharum fiducia,Prophetarum spes,martyrum corona,virginum fortitudo, Monachorum refectio, Episcoporum vacatio,Sacerdotum cellarium, puerorũ principium,viduarum doctrina, coniugatorum pulchritudo,mortuorum resurrectio,viuentium sempiterna protectio. Hæc est per quam fide ornamur, spe confirmamur, & charitate roboramur. Hæc est quam qui inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

Eæ porrò precationes non ita sunt ab Ecclesia ex sacris desumptæ litteris, vt cõstanter earum, semperque retineret verba: Etenim nonnullà sæpe in iis factâ mutatione,ea ipsa ad sensus suos adhibet. Quin etiam ea-

rum primâ & litterali quam vocant interpretatione missâ, eas ad vsus suos accommodat: quæ quidem notiora sunt, quàm vt in ijs probandis diutiùs immorandum sit. Afferam tamen vtriusque exemplum, in eorũ gratiam, quibus id non est ita exploratum.

Ac prioris quidem generis sunt hæc, Ecclesiæ sanctione sumpturus sacratissimam hostiam sacerdos, Centurionis illa ad Christum verba præmittit: Domine non sum dignus, &c. ea facta mutatione quæ proposito congruat: cumque Centurionis fuerit vox (sanabitur puer meus) Sacerdotis est (sanabitur anima mea. Ad hæc: cum introitus Missæ de sanctissima Trinitate petitus sit ex hisce Raphaëlis Angeli ad Tobiam verbis: Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam: non dubitauit Ecclesia sancto afflata Spiritu, ita ijs ipsis sanctissimæ Trinitati supplicare, Benedicta sit sancta atque indiuidua Trinitas, confitebimur ei, quia fecit nobiscũ misericordiam suam. Atque hæc exempli tantùm causa dicta sint; nemo enim est, cui nõ huius generis plurima occurrãt; vt & alterius, quo quidem nihil frequentiùs ab Ecclesia vsurpatum.

Matt. 8.

c. 2. 6.

In introitu missę de ca.

Argumento sit illud de Psalmo 138. Domine probasti me, & cognouisti me, tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam:

meam: quæ quidem cum de se ipso protulisset Regalis Propheta: ea ipsa placuit Ecclesiæ, resurgenti Christo Domino adaptare. Item quæ grato Ecclesiasticus recolit animo sibi à Deo collata beneficia, imprimisq; liberatum se à pressura flammæ, & in medio ignis non æstuasse: ea ipsa tum D. Laurentio: tum D. Luciæ, tum alijs etiam voluit applicata. Iam verò ad Apostolos trahit quæ de Isaac prolata à sancto Spiritu recenset Scriptura: & ad sanctos Confessores, quæ Moysi primo & potiori sensu conueniunt.

In officio missæ c. 5. 6.

Eccl. 44 25.

In missa de vigilia Apostol.

Extra hasce mutationes duas, occurrit & tertia qua Scripturæ verbis, vt sibi ex ijs precandi sumat formulam, aliquid addit aut detrahit. Quæ enim ab Angelis laudes, nascenti Christo Domino sunt paucis decantatæ, quàm varijs auget accessionibus atque additamentis solemni illo cantico; Gloria in excelsis Deo.

Eccl. 45. 1.

Occurrit & quarta, qua quidem diuersa Scripturæ loca ex varijs accersita etiam voluminibus, in vnam precationem coëunt: cuius rei (vt cætera omittam) faciat fidem Antiphona, quam sacerdotibus legendam ad Magnificat sanciuit Ecclesia in horis vespertinis diei, quæ Transfigurationis festum antecedit, quæ tum ex cap. 1. ad Hebræos, tũ ex Matt. 17. tũ denique ex 2. Petri c. 1. coaluit. Tanti scilicet Sanctæ Ecclesiæ est, Dei ipsius

verba efficacitatis pleniſſima, ad Deũ ipſum placandum, permouendumque adhibere.

Quod idẽ à ſuperioris memoriæ Patribus & cõſultum, & verò factitatum, luce clarius cuiuis conſtabit; ſi tum eorum lucubrationes, tũ quas poſteritati conſcripſerũt meditandi atque orãdi formulas, paulò attentiùs conſulet. Nihil ibi quidem certè magis obuiũ erit, quàm preces huiuſmodi ex Sacrarũ potiſſimùm litterarũ verbis, ſentẽtiiſq; contextæ. Baſilius ſanè quodam loco ſuadet vehementer, peccatorũ mole grauato, crebrò vt vſurpet illud ſupplicis Chananeę: Miſerere mei Domine fili Dauid: atque vbi illa dicit (filia mea) dicat ipſe: Miſerere mei Domine fili Dauid, anima mea malè à dæmonio vexatur. Idẽ inculcat S. Chryſ. Antiochenis ſuis hoc ipſo allato in medium Chananeæ facto.

In exhort. ad Baptiſ.

Matth. 15.22.

Hom. ad popul. 79.

Quamobrem nemo mihi vitio iure dare poſſit, ſi eorum inſiſtens veſtigiis, cũ tibi piè lector hunc darem Sacrarum aſpirationum theſaurũ, eas ipſas placuerit nonnumquã ex Sacræ paginæ verbis paululum immutatis conficere: quod quidẽ cùm eſt factum, illud ipſum marginali aſteriſco adnotatum inuenies. Id autem hoc feci tum libentiùs, tum liberiùs, quòd Theſaurus hic non breuioribus modò aſpirationibus vſui ſit futurus, verùm poſſit eſſe item materia, in qua verſentur longiores etiam commentationes.

Quid

Quid enim vetat earum vnâ & alterâ sibi menti obiectâ, eas benè longo tempore cõcitare mentis affectiones, quas offert ipsa atque continet? cùm præsertim ob earum breuitatem, & quod è sacris litteris sint desumptæ, quarum verba tamquam ignis & instar mallei petras cõterentis, ad cuiusuis generis motiones in animo efficiendas, atque adeò cælesti excitando igni longè accommodatissimæ sint. Potuit D. Franciscus, innumeras noctes cum suo, Deus meus & omnia, ex S. Pauli epistolis ducto, summo animi gaudio exigere: & non poterit vir pius si modò Dei ope adiutus ad id conetur, eum illis, aut earum similibus verbis, horæ quartam partẽ, aut eo amplius orando consumere?

Ieremi. 23.2.

1.Cor. 18.28.

Habet is quidẽ varias mentis affectiones, quas cuilibet de iis quæ infra subiiciũtur aspirationibus aptare possit: modò admirationis, modò amoris Dei, variisq; eius partibus, vt zeli gloriæ ipsius, ardentis desiderij vt ab omni hominum ordine diligatur, oblationis sui ipsius ad aduersa quæq; humana in finem perferẽda, &c. Aliàs doloris de peccatis, qui quidem latissimè patet, ob varias rationes eum excitandi: aliàs spei & fidei: Iam commiserationis dolorum Christi Domini, mortisque eius acerbissimæ: iam gratiarum actionis: quibus quidem concitandis affectibus, cæterisque quos vnctio docebit;

quis non videt non parũ ei abire temporis?

Atque vt fastidium caueat, cùm primùm eo se tentari sentiet, trãseat non ab hoc modo affectu ad alium; sed alia etiam atque alia orandi assumptâ formulâ, eam in qua versaretur relinquat. Nihil enim oranti inimicius quàm tœdium, nihilque ei cauẽdum magis.

Extremum hoc moneo, quibus ex hoc thesauro nõ licebit seu ob inualetudinẽ, seu quòd nullam orationis, quæ mẽte perficitur consuetudinem habeant, meditandi materiam desumere, licebit vtiq; lectionis (quod quidem me auctore quiuis cũ aliud nequeat præstabit) sola enim simplexque harum aspirationum lectio, leuisque animi, & quasi superficie tenus tantùm ad eas ipsas applicatio, non parum videtur profutura, quãdo ea complectitur quę in vniuersa Scriptura sacra maxima afficiendi vi prædita sunt: & si non ipso statim initio flammam, at calorem atque ignem tandem frequenti eiusdem rei repetitione vehementer accendet.

Sed ad quemcumque adhibeatur vsum Thesaurus iste, faxit Deus Opt. Max. vt eum sortiatur finem, qui mihi propositus est, eumque in mortalium animis gignat atque contineat deuotionis veræque pietatis spiritum, qui & illi amplioris gloriæ, his autem continentem meritorum accessionem afferre possit.

THE-

THESAVRVS SACRARVM ASPIRATIONVM EX SACRIS LITTERIS.

Admiratio.

§. 1. ADmirantis Dei opera & sapientiã. Quàm [1] magnificata sunt opera tua Domine: omnia in [2] sapientia fecisti [3] impleta est terra [4] possessione tua. Ps. 103. 25.

[5] Magna opera Domini [6] exquisita in omnes voluntates eius. Psalm. 110. 2.

§. 2. Admirãtis Deum ab hominibus velle cognosci. Domine quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Homo [7] vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt. Psalm. 143. 4. 5.

§. 3. Admirantis Deum ita obseruare & iudicare strictè hominum opera.

Homo natus de muliere, breui viuẽs tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur & cõteritur, & fugit velut vmbra, & numquã in eodem statu permanet. Et dignum ducis super huiusce modi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudiciũ? Iob 14. 1. 2. 3.

Ad

§. 4. Admirantis Deum meminisse hominis, eique benefacere & prouidere.

Psal. 8. 5. Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniam [8] visitas eum?

§. 5. Admirantis Dei misericordiam, sapientiam & scientiam.

Rom. 11. 33. [9] O altitudo diuitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!

Psalm. 30. 23. §. 6. Admirantis Dei bonitatẽ. Quã magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quã abscondisti timentibus te! Quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde!

Psal. 72. 1.

ANNOTATIONES.

1. MAGNIFICATA.] id est eximia præstantia & laude digna.

2. IN SAPIENTIA.] id est, summo cum iudicio & ratione.

3. IMPLETA.] id est, eadẽ opera ferè innumerabilia sunt ita vt terrã vniuersã repleuerint.

4. POSSESSIONE.] Vocat res creatas possessionem Dei, quia omnium est Dominus.

5. MAGNA.] Dei enim nulla sunt parua opera, licet nobis præ consuetudine minùs admiranda.

6. EXQVISITA.] id est, quæsita & parata ad quodcumque Deo placuerit, de iis enim facit quidquid vult.

7. VANITATI.] id est rei inani & vacuæ cùm sit Deus plenitudo bonorum operum.

8. Vi-

8. VISITAS.] Hic sumitur in bonam partem pro beneficentia.

9. O ALTITVDO.] id est, ô profundam Dei misericordiam, qua nos diuites facit in omnibus. O profundam Sapientiam, &c.

Amor diuinus. Vide *zelus.*

§.1. Petentis amorem Dei. [1] Diligam te Domine fortitudo mea Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus adiutor meus & [2] cornu salutis meæ, & susceptor meus. Psal. 17. 1.2.3.

§.2. Petentis perseuerantiã in amore Dei. Ignis in [3] altari meo semper ardeat. Leuit. 6. 12.

Ne proiicias me in tempore [4] senectutis, cũ defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Psal. 70. 10.

Exercentis amorem Dei. Animam meam pro te ponam. Ioan. 13. 37.

Domine paratus sum tecum in carcerẽ & in mortem ire. Vide etiam v. Christus §. 4. 5. 6. 7. Et versu Deus §. 1. & 2. Lucæ 22. 33.

Non solum alligari, sed & mori paratus sum propter nomen Domini Iesu. Actor. 21. 13.

ANNOTATIONES.

1. DILIGAM.] id est, optantis est q. d. ô vtinam te diligam, quamquam etiam esse possit promittentis. Hebraice est Rackam, quod significat amare ex intimis visceribus.

2. CORNV.] id est, robur ad saluãdũ, animaliũ enim cornigerorũ fortitudo est in cornibus.

3. ALTARI.] cordis scilicet.

4. SE-

4. SENECTVTIS.] Tempus spiritualiter loquendo est quando feruor charitatis, quo quis flagrauit aliquando, tepescere incipit.

Auxilium diuinum.

Psal. 26. 15.16. Postulantis Dei auxilium. Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. Quoniam Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.

Psal. 34. 1.2.3. Iudica Domine nocentes me, expugna impugnãtes me. Apprehende arma & scutũ, & exurge in adiutoriũ mihi, [2] effunde frameã, & [3] conclude aduersus eos qui persequuntur me, [4] dic animæ meæ, Salus tua ego sum.

Ps. 59.12 Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis: Deus in adiutoriũ meũ

Psal. 69. 1,6.7. intende, Domine ad adiuuandum me festina. Ego egenus & pauper sum, Deus adiuua me. Adiutor meus & liberator meus es tu, Domine ne moreris.

Psal. 70. 13. Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum respice.

Ps. 78.9. Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriãnominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris proter nomẽ tuũ.

Ps. 79.3. [5] Excita potentiam tuam & veni vt saluos facias nos.

Ps. 83.9. Protector noster aspice Deus, & [6] respice in faciem Christi tui.

Ps. 108. 26. Adiuua me Domine Deus meus, saluũ me fac

facſecundũ miſericordiam tuam. Et tu Do- Ibid.21.
mine Domine, [7] fac mecum propter nomen
tuum, quia ſuauis eſt miſericordia tua.

[7] Non nobis Domine non nobis, ſed no- Pſ.113.9
mini tuo da gloriam.

ANNOTATIONES.

1. PATER] Nõ erat puer Dauid vt egeret parentũ ope, nec ei graue fuiſſet ea ętate deſeri à parentibus. At in numero vult ſe eſſe inſtar infantis recens editi, quem parentes deliquêre omni iniuriæ expoſitum. Et certè tales ſumus, imò deteriore conditione, multoq; ad ſingula egentiores Dei gratiâ, quam hic infantulus Parentum auxilio.

2. EFFVNDE FRAMEAM.] id eſt educ gladium, verbo autem effunde ſignificatur velocitas euaginandi, & conſequenter auxilij præſtandi, petitque non tam eximi quam citiſſimè fundi gladium è vagina.

3. CONCLVDE.] id eſt, manibus claude ſeu fortiter ſtringe, vt firmiter teneas & ferias fortius.

4. DIC ANIMÆ.] id eſt, interiore tua inſpiratione promitte animæ meæ te allaturum ei ſalutem.

5. EXCITA.] videtur enim quaſi ſopita diuina potentia, dum nos affligi ſinit, auxiliumque differt.

6. ET RESPICE.] id eſt, reſpice Chriſtum tuum, Agnum immaculatum, qui tollit peccata

cata mundi ac propter eum protege nos.

7. FAC MECVM.] Scilicet benignè.

8. NON NOBIS, &c.] id est, in hoc auxilio quod petimus non attendas mérita nostra, quæ nulla sunt, sed gloriam tuam.

Beatitudo. Vide *Gloria.*

Ioan. 14.8. Petentis beatitudinem. Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis.

Bellum v. *Victoria. Oratio. Tribulatio. Tentatio.*

Iudith. 7.19.20 Orantis belli tempore. Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus: Tu quia pius es miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te populo qui ignorat te, vt non dicant inter gentes vbi est Deus eorum?

Iuditt. 9.10.11. Tu es Deus noster qui cõteris bella ab initio, & Dominus nomẽ est tibi. Erige brachium tuum ab initio; & allide virtutem illorum in virtute tua, cadat virtus eorum in iracundia tua, qui promittunt se violare sancta tua.

Esther 13.15. Et nunc Domine Rex, Deus Abraham miserere populi tui, quia volũt nos inimici nostri perdere & hæreditatem tuam delere. Ne despicias partem tuam quã redemisti tibi. v. vers. seq. & c.14. v.16. & 19. & ps. 43. integrũ.

Iosue 7. 8.9. Mi Domine Deus quid dicam videns Israëlem hostibus suis terga vertentem? & quid facies magno nomini tuo.

ANNOTATIO.

QVID FACIES.] q.d. Consule famæ tuæ, dicēt enim hostes te nō seruare promissa, vel te nō esse satis potentem, vel, quis colet nomen tuum si nos seruos tuos sinas perire?

Benedicere V. *laus.*

§. 1. *Benedicentis Deo. O Rex Regum & Domine dominantium, qui solus habes immortalitatem, & lucem habitas inaccessibilē, tibi honor & imperiū sempiternū, Amen. * Sit super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. 1. ad Timoth. 6. 16. Rom. 9. 5.

Ei qui potēs est omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus, secūdùm virtutē quæ operatur in nobis. Ipsi gloria in Ecclesia & in Christo Iesu in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen. Ad Eph. 3. 20. 21.

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiā suā magnam [1] regenerauit nos in spem viuā per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis [2] in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam & immarcessibilem. 1. Petri 1. 3.

Benedictus Dominus [3] die quotidie. Psal. 67. 21.

Sit nomen eius benedictum in sęcula, [4] ante solem permanet nomen eius. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum, & replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat. Psal. 71. 17. 19. 20.

Psalm. 112.2. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Psal.134 21. Benedictus Dominus [5] ex Sion qui habitat in Hierusalem.

§.2. Seipsum inuitantis ad benedicendum Deo ob varia in se collata beneficia. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes [6] retributiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum, &c.

Pſ. 102. 1.2.3. 4.5.

§.3. Item ob potentiam, & Sapientiam in mundi creatione.

Psalm. 103. 1. Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus [7] magnificatus es vehemēter, &c.

§.4. Inuitantis iustos ad Deo benedicendum.

Psalm. 133.1. Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini, &c.

§.5. Inuitantis ad idipsum creaturas vniuersas. Benedicite Domino omnia opera eius, [8] in omni loco dominationis eius.

Psalm. 102. 21.

§.6. Inuitantis Angelos. Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius [9] ad audiendam vocem sermonum eius.

§.7. Inuitantis spiritus omnes beatos: Be-

ne-

nedicite Domino omnes [10]virtutes eius, mi- Psalm. 102. 20.
nistri eius qui facitis voluntatem eius.

§. 8. Postulantis benedici à Deo.

Benedicat nos Deus, Deus noster, bene- Psal. 62.
dicat nos Deus.

Benedicetiam & mihi Pater mi. Numquid Gen. 27 34. 36.
& reseruasti mihi benedictionem?

Num vnam tantùm benedictionẽ habes Gen 27. 38.
Pater? mihi quoque obsecro vt benedicas.

§. 9. Benedicentis, seu bene precantis alicui. Benedic Domine fortitudini eius, & o- Deut. 33. 11.
pera manuum illius suscipe.

ANNOTATIONES.

1. REGENERAVIT, &c.] id est, renasci nos fecit generatione spirituali (quę est secũda hominis natiuitas) in spem vitæ æternæ.

2. IN HÆREDITATEM.] id est, vt suo tempore accipiamus illam.

3. DIE QVOTIDIE.] id est, omni die semper.

4. ANTE SOLEM.] idem est quod (in sæcula) quasi dicat, quamdiu sol erit.

5. EX SION.] Petit vt benedictio Domini proficiscatur ex Sion, id est, à ciuibus Sion.

6. RETRIBVTIONES.] Beneficia vocat retributiones; quia quoduis eius in nos beneficiũ non simplex est vt ita loquar tributio & largitio: at duplex est & repetita. Beneficium enim est quòd non punit nos pro merito; Rursus beneficium est quòd pro tot peccatis nostris tot bona retribuit.

7. MAGNIFICATVS.] id est, ex operibus tuis quæ tum potentiã, tũ sapientiã tuã deprædicãt, magnus valde factus es in oculis omnium.

8. IN OMNI. &c.] id est, vbi vbi sitis, seu in cælo, seu terra, seu mari, cùm vbiq; dominetur.

9. AD AVDIENDAM, &c.] Significat finé cur faciant Angeli verbum Dei, nõ ob aliam scilicet causam, quã vt obediant voci eius seq; fideles seruos præstent: q. d. Non ob aliquã suam aut vtilitatem, aut necessitatem.

10. VIRTVTES.] per eas intellige omnes exercitus cælestes etiam Cherubini & Seraphini, nõ autem propriè dictas tantũ virtutes, quæ sunt septimi chori inter beatos Spiritus.

Beneficium v. *Gratitudo, Gratiarum actio.*

Tobiæ 12.2. Agnoscentis diuina beneficia. Quid dignum esse poterit beneficiis eius.

Gen. 32. 10. Minor sum cunctis miserationibus tuis & [1] veritate tua, quam explesti seruo tuo.

Ps. 118. 334. Quid retribuã Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? [2] calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.

ANNOTATIONES.

1. VERITATE.] id est, fidelitate in seruandis Præceptis.

2. CALICEM SALVTARIS.] id est, calicem salutiferum, quo intelligantur tribulationes, pericula, ipsa etiam mors pro Christo obita.

Calumnia.

Petentis liberari à calumniis. Redime me à ca-

à calumnijs hominum vt custodiam mandata tua. Vide plura Psalmo 25.

Peto, Domine, vt de vinculo improperij huius absoluas me, aut certè desuper terram eripias me. Tob. 3. 15.

Castitas.

§. 1. *Petentis castitatem. Domine sint lumbi mei præcincti. Lucæ 12. 35.

*Auferà me stimulum carnis, angelum satanæ, qui me colaphizat. 2. Cor. 12. 7.

Vre renes meos & cor meum. Ps. 25. 2.

Lumbi mei impleti sunt illusionibus. Pl. 37. 8.

*Scio quoniam aliter non possum esse cõtinens, nisi tu des ô Deus meus. Sap. 8. 21.

Domine Pater & Deus vitæ meæ, aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me. Eccl. 23. 6.

§. 2. Proponentis seruare castitatem. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine.[1] Quã enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem Omnipotens de excelsis? Iob. 31. 12.

ANNOTATIO.

1. QVAM ENIM PARTEM. &c.] q.d. Nullum commercium, nullã mansionẽ haberet in me; soli enim casti sunt templum Dei.

Charitas.

Exercentis actionem charitatis erga proximum. Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si nõ facis, dele me de libro tuo quẽ scripsisti. Exod. 32. 32.

Rom.9. 3. * Opto Anathema esse à Christo pro fratribus meis.

ANNOTATIO.

ANATHEMA] id est, separatus, non quo ad gratiam, at quo ad gloriam.

Christus Dominus.

Hebr.1. 3. §.1.* Laudantis Christum. O [1] splendor gloriæ, & [2] figura substãtiæ Patris, [3] portansq; omnia verbo virtutis tuę, purgationẽ peccatorũ faciens, sedẽs ad dexterã Maiestatis in excelsis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditasti.

Cant.2. 1.3. * O flos campi, ô lilium conuallium. [4] Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios.

Gen. 49.11. Pulchriores sunt oculi tui vino, & dentes tui lacto candidiores.

Can.5. 10. Dilectus meus [5] candidus & [6] rubicundus, electus ex millibus. [7] Caput eius aurum optimum, &c.

Ps.44.3. *O speciose forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum, &c. Eiusdem generis hoc eodem psalmo.

Ad Coloss.1. 15.16. &c. * O imago Dei inuisibilis, primogenite omnis creaturę, [10] in quo cõdita sunt vniuersa in cælis & in terra. O caput corporis Ecclesiæ, ô principium, ô primogenite ex mortuis in omnibus primatũ tenens, in quo cõplacuit omnẽ plenitudinem diuinitatis inhabitare &

& pacificificare per sanguinem crucis tuæ, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.

§.2.* Christi aduentum ardenter optantis.

Descende [11] sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Ps.71.6.

Vtinam dirumperes cælos & descenderes. Isai. 64.

Rorate cęli desuper,& nubes pluant iustũ, aperiatur terra & germinet Saluatorem. Isai. 45. 8.

[12] Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1.

Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ,vt inueniam te foris, & deosculer te? Cant. 8. 5

Ostende nobis Domine [13] misericordiam tuam,& [14] salutare tuum da nobis. Ps.84.7.

§.3. Inuitantis Christum vt ad se veniat.

*Veniat dilectus meus in hortum suum,& comedat fructum pomorum suorum. Cant. 5. 1.

*Descendat dilectus meus in hortum suũ ad areolas aromatum, vt pascatur in hortis & lilia colligat. Cant 6. 1.

*Descẽdat dilectus meus in hortũ nucũ,vt videat poma conuallium,& inspiciat si floruit vinea, si germinarunt mala punica. Cant 6. 10.

§.4.* Petentis Christi memoriã numquã ponere.Pone te vt [15] signaculũ super cor meũ vt signaculum super brachium meum. Cant. 8. 6.

§.5.* Petentis adueniat regnum Christi. O quando fiet Regnum huius mundi, Domini nostri, & Christi eius, & regnabit in sæcula sæculorum? Apoc. 11 15.

Apoc. 12.10. * O quãdo erit ſalus & Virtus & Regnum Dei noſtri & poteſtas Chriſti eius.

§. 6. * Poſtulantis Regni Chriſti propagationem, eiuſque gloriam.

Pſal. 71. 8.9. Vtinã dominetur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procidant Athiopes, & inimici eius terram lingant. Reges Tharſis & Inſulæ munera offerant, Reges Arabum & Saba dona adducant. Et adorent eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruiant ei.

Philipp. 2.10. In nomine IESV omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS in gloria eſt Dei Patris.

§. 7. Significantis ſe Chriſto indiuulsè adhærere volentis.

Ioan. 6. 68. Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.

Rom. 8. 35. &c. Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neq; Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neq; creatura alia poterit me ſeparare à charitate Dei, quę eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. vide verbo Amor §. 3.

7. ad Tim. 1. 15. §. 8. Agnoſcẽtis Chriſti miſericordiã. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quòd veni-

veniſti Ieſu Chriſte in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorũ primus ego sũ.

ANNOTATIONES.

1. SPLENDOR.] id eſt, lumen de Patris gloria ab æterno procedens.

2. FIGVRA.] id eſt, expreſſa imago, ex qua archetypũ, Deũ ſcilicet ipſum cognoſcimus.

3. PORTANSQVE.] id eſt, ſuſtentans quaſi alter Atlas totum creaturarum pondus, vel gubernãs omnia creata, potenti ſuâ iuſſione.

4. SICVT, &c.] id eſt, tantò præſtat cæteris, quantò fructifera pomus, ſylueſtribus & infœcundis fœcunditate præſtat. Reſpectu enim Chriſti tam Angeli quàm homines ſteriles ſunt, à quo bonorum operum omnium fœcunditas.

5. CANDIDVS.] Diuinitate.

6. RVBICVNDVS.] Humanitate & paſſione.

7. CAPVT.] id eſt, diuinitas tanquã aurũ, &c. Quia nihil apud homines eo præſtantius.

8. GRATIA.] Loquendi ſcilicet, numquam enim ſic locutus eſt homo.

9. PROPTEREA.] id eſt, ſpecioſus es & eloquens, propterea quòd te Deus iis donis ornauit.

10. IN QVO.] velut ſcilicet in exemplari.

11. SICVT PLVVIA, &c.] id eſt, ſine ſtrepitu maximoque ſilentio deſcende in vterũ virginis: & terram ſpiritualiter fœcundã & lætificã, & quemadmodum id facit imber.

12. Os-

12. OSCVLETVR.] id est, naturā induat humanam, osque assumat quo me osculetur.

13. MISERICORDIAM.] id est Christum, quo nobis summā Deus exhibuit misericordiam.

14. SALVTARE.] Ex Hebræo etiam verti potest IESVM tuum.

15. HORTVM.] Hortus est anima, fructus pomorū pro fructus, pomaq; quę sunt bona opera, quæq; tum comedit Christus quādo iis oblectatur, quasiq; pasci videtur. Eandē ferè habēt sententiā sequentes aspirationes duæ.

16. SIGNACVLVM.] Qui enim signum aliquod intuetur, facilè eius rei meminit, cuius est signum.

Cogitatio.

Eccl. 23. 4. Petentis bonas cogirationes. Domine Pater & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu [1] illorum.

ANNOTATIO.

1. ILLORVM. Supple inimicorum: id est, ne deseras me vt talia cogitem qualia illi, scilicet mala.

Consolatio. v. *Tribulatio* §. 1. & 8.

Cant. 1. 2. Petentis consolationes cælestes. [1] Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.

Cant. 1. 4. *Introduc me Rex [2] in cellaria tua, exultabimus & lætabimur in te; memores vberum tuorum [3] super vinum.

Ps. 35. 9. *Inebria me ab vbertate domus tuæ, & tor-

torrente voluptatis tuæ pota me.

*Exultet anima mea in Domino, & delectetur super salutari suo. Psal. 34. 9.

[4]Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Psal. 50. 10.

Da siceram mœrenti & vinum ei qui amaro est animo: bibat & obliuiscatur egestatis suæ, & doloris sui non recordetur amplius. Prou. 31. 6. 7.

*Domine cæli da mihi gaudium pro tædio quod perpessus sum. Tob. 7. 20.

Redde mihi lætitiam [5]salutaris tui. Psalm. 50. 14.

*Secundum multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lętificent animam meam. Psalm. 93. 19.

Fiat misericordia tua vt consoletur me, secundum eloquium tuum seruo tuo. Psal. 118. 76.

[6]Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me? vide verbo Deuotio. §. 1. Vide V. Gaudium, & Lætitia. Psal. 118. 82.

ANNOTATIONES.

1. MELIORA.] id est, præstant consolationes tuæ cuiuis alteri voluptati.

2. CELLARIA.] Quibus nõ malè intelligas tum notitiam infinitæ in nos bonitatis, tum occulta sapientiæ & scientiæ Dei, quorum cognitio, mirabiles exultationis & lætitiæ fructus profert.

3. SVPER VINVM.] id est, dulcium plusquã vinum, seu quæuis alia voluptas.

4. Av-

4. AVDITVI,&c.] Cùm scilicet audiero à te mihi dimissa esse peccata.

5. SALVTARIS.] id est, quæ nascitur ea donata mihi à te salute: q. d. Sicut petij mihi gratiam restitui, sic peto & lætitiam.

6. DEFECERVNT.] Dum scilicet intente in cælum respiciunt, expectantes à te promissam salutem.

Consortium.

Psalm. 140. 5. Petentis custodiri à consortio impiorum. Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non [1] communicabo cum electis eorum.

ANNOTATIO.

1. COMMVNICABO.] Orat Dauid liberari à familiaritate impiorũ, valetque idẽ (non cõmunicabo) quod, fac vt non communicem.

Creaturæ.

Psal 91. 4. Earum aspectu voluptatem capientis. Delectasti me Domine in [1] factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.

ANNOTATIO.

1. FACTVRA.] attendente scil. creatarũ rerũ pulchritudinẽ, varietatem, præstãtiam, vires, vsum, &c. Vnde fit menti scala ad considerãdam Dei pulchritudinem, &c. v. Sap. 13. 5.

Deuotio v. *Oratio* §. 8. & 9.

Psal. 62. 6. §. 1. Petentis gratiã deuotionis. [1] Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.

§. 2. Postulantis subtractam deuotionem.

Re-

Reuertere,[2] similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloque ceruorum super mõtes Bethel.

ANNOTATIONES.

1. SICVT ADIPE.] Nõ enim propriè est adeps deuotio: cũ adeps sit quid corporeũ. Est autem in hoc similitudo, quòd quemadmodũ solida adeps hominem efficit sanum, fortẽ, hilarem & rubicundum, sic eadem suo modo præstat animo deuotionis gratia.

2. SIMILIS ESTO.] Postulat anima celerem sponsi se visitantis reditum, quomodo in montibus capreæ & iuniores cerui de colliculo in colliculum, de rupe in rupem, mirâ agilitate huc illucque discurrunt.

Deus. v. *Laus Dei.* v. *Misericordia diuina.*

§. 1. Agnoscẽtis Deum sibi esse omnia. Dominus [1]pars hæreditatis meæ &[2] calicis mei, tu es qui [3]restitues hæreditatẽ meam mihi. Psal. 15. 5. 6.

[4]Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.

[5]Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam. Psalm. 118. 57.

Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum. Thren. 3. 24.

§. 2. Deum solũ quærẽtis, cætera repudiantis. [6]Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? [7]Defecit caro mea, & cor meũ, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Psalm. 72. 24. 25. 27.

§. 3. A-

§.3. Agnoscētis se, suaq; omnia Deo esse notissima. Domine probasti me & cognouisti me, tu cognouisti[8] sessionē meā & resurrectionem meā. Vide etiā aliquot seqq. vers.

Psalm. 138.1.

§.4. Agnoscentis se à Deo nō posse abscōdi. Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiā? Si ascēdero in cælū, tu illic es; si descēdero in infernum ades. Si sumpsero pennas meas diluculo & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Vide etiam duos versus sequentes.

Ps. 138. 7.8.

§.5. Agnoscentis scientiam Dei incomprehensibilem. Mirabilis facta est scientia tua[9] ex me, cōfortata est, & non potero ad eam.

Psalm. 138.6.

§.6.* Agnoscentis Dei potentiam. Tu es Domine Deus meus, qui conturbas mare & intumescunt fluctus eius, Dominus exercituum nomen tibi.

Isa. 51. 15.

Multum valere, tibi soli superest semper, & virtuti brachij tui quis resister? Quoniam tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terratum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.

Sap. 11. 22.23.

§.7. Agnoscentis à Deo esse vniuersa idque quouis modo.

* [10] Ex te & per te, & in te sunt omnia: tibi gloria in sæcula. Amen.

ANNOTATIONES.

1. PARS HÆREDITATIS.] id est, pars quæ mihi

mihi quasi hæreditate obtingit.

2. PARS CALICIS. Quæ mihi tamquam portio data est, quamque libaui, quaque fruar & me oblectabo: q. d. inquit August. præter Deum nihil quæro: omne bonum & omnia mihi in illo sunt. Hac hæreditate, hoc calice abundè sum contentus.

3. RESTITVES.] id est, confirmabis, quasi dicat, Hanc hæreditatem quæ tu mihi es Domine, nemo mihi auferet: iuxta illud Christi: Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

4. FVNES.] id est, hæreditas quæ olim funibus dimensa diuidebatur, optima mihi cõtigit, in Deo scilicet qui solus satiat, non in inanibus voluptatibus.

5. PORTIO.] Aliqui hæc verba iungunt sequentibus, vt sensus sit: Portio mea ô Domine, dixi, erit custodire legem tuam: tamen verior hic sensus est. Portio mea tu es ô Domine: tum sequitur: dixi, id est, firmiter statui custodire, &c. Itaque portio mea tu es, id est, omnibus rebus creatis abrenuncio, nihil iuris in eis habere cupio, ea sibi habeat qui volet: mihi tu Domine mi solus sufficis, &c. Affectus plenissima est hæc aspiratio.

6. QVID MIHI, &c. q. d. Nihil creatum inuenio quod mihi satis sit, neque in cælo, neque in terra.

7. DE-

7. DEFECIT.] Reddit rationem cur nihil præter vnicum Deum expetat. q.d. Vbicumque cor meum aut carnem colloco, putrescunt & deficiunt, præterquam in te collocata: ô Deus cordis mei, ô pars mea, &c.

8. SESSIONEM, &c.] Per hos duos corporis situs intellige cæteras hominis externas actiones. Resurrectionem id est, surrectionē, seu quando surgere debeam.

9. EX ME.] id est, præ me, vel super me, phrasi Hebraica. q.d. Mirabilior quam vt ego assequi valeam: quod indicant etiam verba sequentia.

10. EX TE.] Tamquam primo scilicet efficiēte omnium. Per te: tamquam dirigentem & disponentem. In te: vtpote cuius virtute cōseruantur omnia. Primum appropriatur Patri, à quo omnis potestas. Secundum, Filio: quia (per) significat originem à patre. Tertium Spiritu sancto, cui tribuitur vnio, denotata particula (IN.)

Ecclesia. Vide *Hæreticus.*

Ecclesiæ gementis quas ab hostibus suis patitur clades, in iisque auxilium petentis. Videndi Psalmi 73.78.79.82. è quibus paucula subiiciam.

Memor esto congregationis tuæ, quam
Ps.73.2. possedisti ab initio.

Vsquequo Deus improperabit inimicus?
Psal.73. irritat aduersarius nomen tuum in finem.

Deus

Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerũt Hierusalem[1] in pomorũ custodiã. Psal.78.1.

Deus virtutum conuertere, respice de cælo, & vide, & visita vineam istam. Et perfice eam, quam plantauit dextera tua. Psal.79.15.

Deus[2] quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus. Quoniam ecce inimici tui[3] sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput. Psalm.82.1.2.

ANNOTATIONES.

1. IN POMORVM CVSTODIAM.] id est, tamquam desertam: solent enim deseri pomorum custodiæ pomis collectis.

2. QVIS SIMILIS.] id est, quia nemo tibi cõparari potest potentia, ne teipsum compescas & contineas à sumenda vindicta.

3. SONVERVNT.] Non significatur tantùm sonus tympani, aut tubæ; sed tumultus grauis; vnde existit sonitus inconditus multitudinis.

Eucharistia.

§. 1. Eucharistiæ perceptionem ardenter expetentis: Domine semper da nobis panem hunc. Ioan. 6.34.

*Desiderio desidero hoc Pascha manducare. Lucæ 22.15.

Quis det de carnibus eius vt saturemur. Iob 31.31.

O frumentum electorum, & vinum germinans virgines! Zach.9.19.

Psalm. 80.17. * Frumenti adipe satia me Domine.

§. 2. Admirantis immensum Eucharistiæ beneficium.

Ioan. 6. 52. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

§. 3. Agnoscentis Eucharistiæ beneficium.

Sap. 16. 20. Angelorum esca nutriuisti populum tuum Domine, & paratum panem præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.

§. 4. Humiliantis se in Eucharistiæ perceptione.

Lucæ 1. 43. * Vnde hoc mihi vt veniat Dominus meus ad me? Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, &c.

Lucæ 3. 16. Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius.

Lucæ 5. 8. Exi à me, quia homo peccator sum Domine.

Examen diuinum.

Postulantis se à Deo examinari, vt praua corrigat!

Psal. 138 22.23. [1] Proba me Deus, & scito cor meum, interroga me, & cognosce semitas meas. Et vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.

ANNOTATIO.

1. PROBA. &c.] Scrutare & examina cogitationes & actiones meas, vt si in via iniquitatis

tatis sim, quæ ducit ad temporalia acquirenda, inde me abstrahas & deducas ad ea cogitanda & agenda, quæ pertinent ad bona sempiterna.

Fides.

§. 1. Petentis augmentum fidei. Domine adauge nobis fidem. Luc. 17.5.

Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Marci 9.24.

Da mihi Domine fidem sicut granum sinapis. Luc. 17.6.

§. 2. Petentis doceri credenda & agenda ne in iis erret. Indica mihi [1] quem diligit anima mea, [2] vbi pascas, vbi cubes in meridie, [3] ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Cant. 1. 7.

ANNOTATIO.

1. QVEM DILIGIT.] id est, ô quem diligit, &c. id est, ô sponse dilectissime.

2. VBI PASCAS, &c.] id est, doce me vera salutis pascua veram lucem veritatis sinceræque doctrinæ.

3. NE VAGARI, &c.] id est, ne errem sequendo falsa dogmata hæreticorum, qui se licet falsò tuos gloriantur sodales.

Fortitudo.

Postulantis eam.

Domine saluum me fac à pusillanimitate spiritus & * tempestate. Psalm. 54.4.

Iudith. 12.9. Confirma me Domine Deus in hac hora. Vide verbo Tentatio §. 3. ex Iudith 9. 14.

ANNOTATIO.

*TEMPESTATE.] id est, magna grauique tentatione.

Gaudium v. *Lætitia, Consolatio.*

Gaudentis de donis spiritualibus sibi collatis.

Isa. 61. 10. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me quasi sponsum decoratum coronâ, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.

ANNOTATIO.

1. SPONSVM.] Iusti dicuntur sponsi ob fortitudinem: dicuntur etiam sponsæ ob pulchritudinem fœcunditatem & gloriam, quæ hic incipit, & perficitur in cælo.

Gloria cælestis.

Isa. 61. 3. §. 1. Eam ardenter optantis. O quando dabitur lugentibus corona pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.

Psalm. 26. 7. 8. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius.

Ps. 41. 1. 2. Quemadmodum desiderat ceruus ad fon-

fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Ps. 54. 6.

Quis deducet me in ciuitatem munitam? Psal. 59. 10.

Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Rom. 11 24.

Si inueni gratiam in conspectu tuo Domine, ostende mihi faciem tuam. Exod. 33. 13.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Ps. 83. 2.

Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Ps. 83. 5.

Melior est dies vna in atriis tuis super millia. Psalm. 83. 10.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, multum incola fuit anima mea. Psalm. 119. 5.

Defecit in [1] salutare tuum anima mea. Psalm. 118. 81.

Educ de [2] custodia animam meam ad cõfitendum nomini tuo, me expectant iusti donec retribuas mihi. Psalm. 141. 8.

* Ostende mihi gloriam tuam. Ostende mihi omne bonum. Exodi 33. 18. 19

§. 2. Hortantis seipsum ad desiderium patriæ cælestis.

Conuertere anima mea in requiem tuam, Psalm. 114. 7.

quia Dominus benefecit tibi.

Potest & huic affectioni accommodari illud Psalm. 72. vers. 24. Quid mihi est in cælo, &c.

Qui plura desiderat, legat Psalmos 86. 83. & 41.

Psalm. 136. 6. §. 3. Contestantis numquam fore vt gloriæ cælestis obliuiscatur. Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis si non meminero tui. Si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ.

ANNOTATIONES.

1. SALVTARE.] id est, expectando veram salutem, & liberationem ab omni malo, quam sola præstat gloria æterna.

2. CVSTODIA.] id est, carcere, est enim corpus tamquam animi carcer.

3. CONFITENDVM.] Ad laudandum.

Gratia diuina. V. Peccator.

Cant. 1. 4. §. 1. Postulantis diuinam gratiam.

[1] Trahe me post te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum.

Ps. 79. 4. Deus [2] conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus: quod ipsum ter hic magno affectu repetit.

Ioan. 4. 15. 16. Domine da mihi hanc [3] aquam, qua non sitiam in æternum. Da mihi aquam, quæ fiat in me fons aquæ [4] salientis in vitam æternam.

Auser

Aufer [5] rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. Prou. 25. 4.

§. 2. Agnoscentis diuinæ gratiæ necessitatem ad non peccandum. [6] Auertisti faciem tuam à me & factus sum conturbatus. Ps. 29. 9.

§. 3. Diuinæ gratiæ tribuentis suam à morte æterna liberationem.

Nisi quia Dominus adiuuit me, [7] paulò minus habitasset in inferno anima mea. Psalm. 93. 17.

Domine eduxisti ab inferno animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum. Ps. 29. 3.

§. 4. * Agnoscentis diuinæ gratiæ necessitatem ad bene operandum. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec ego nisi in te mansero. Ioan. 15. 4.

* Domine sine te nihil possum facere. Ioan 15. 5.

* Domine IESV nemo potest venire ad te, nisi pater qui misit te, traxerit eum. Ioan. 6.

* Domine non sum sufficiens cogitare aliquid ex me quasi ex me, sed omnis sufficientia mea ex te est. 2. Cor. 3

[8] In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. Psalm. 59. 14.

ANNOTATIONES.

1. TRAHE.] Nisi enim à diuina trahatur gratia, sequi non potest, nedum currere viam mandatorum Dei.

2. CONVERTE.] Quia sine eius gratia non possumus ad eum conuerti, ideo toties ingeminat Propheta hanc petitionem.

3. AQVAM.] Notum est aquæ nomine, à SS. PP. diuinam gratiam intelligi ob magnam huius cum illa congruentiam.

4. SALIENTIS.] Gratiæ enim merces est vita æterna.

5. RVBIGINEM.] Rubigo est peccatum: patet ex Ezechiele, quæ non tollitur de vase argenteo, id est, anima, nisi gratiæ ornamento.

6. AVERTISTI.] id est, dimisisti meipsum mihi, meisque viribus, & cecidi.

7. PAVLO MINVS.] Referendum hoc non ad difficultatem rei, quasi aliquo modo licet ægrè potuisset sine Dei ope infernum euadere & tentationes superare: sed referendum est ad breuitatem temporis, id est, nisi Deus adiuuisset paulo post damnatus essem.

8. IN DEO.] q.d. Non in nobis: ideo subdit: & ipse ad nihilum, &c.

Gratiarum actio. v. *Benedictio. Laus.*

§. 1. Gratias agentis pro obtenta victoria.

Iudith. 16.2.3. Cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum nouum, exultate & inuocate nomen eius, Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi. Vide Exodi c. 15. Canticum Moysi deuicto Pharaone.

§. 2. Pro

§.2. Pro liberatione ab inferno. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum: Quoniam misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori. Psal. 85. 11.

§.3. Pro deuictis hostibus seu corporis seu animi.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua. Lætabor & exultabo in te, psallam nomini tuo Altissime. [1] In conuertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur, & peribunt à facie tua. Psal. 9. 1.2.3.

§.4. Pro beneficiis spiritualibus, maximèque pro vocatione ad fidem & gratiam. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali [2] in cælestibus [3] in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, [4] vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Ad Eph. 1.3.4.

* Gratias ago Deo & patri qui dignum me fecit [5] in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit me de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habeo redemptionem & remissionem peccatorum. Ad Col. 1.12.13.

§.5. Pro beneficiis in genere.

*. Benedicam Deum cæli, & coram omni- Tob. 12. 6.

mnibus viuentibus confitebor illi, quia fecit mecum misericordiam suam.

Ps.27.6. §.6. Pro exauditione orationis. Benedictus Dominus quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ.

1.Petri 2.24. §.7.* Pro beneficio passionis. Gratias ago tibi Domine Iesu, qui peccata nostra ipse pertulisti in corpore tuo super lignum: cuius liuore sanatus sum.

1.Petri 3.18. *Gratias tibi Christe, qui pro peccatis meis mortuus es, iustus pro iniusto, vt me offerres Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu.

1.Petri 3.22. Benedictus sis ô bone IESV, qui mortem deglutiisti vt vitæ æternæ hæres efficerer.

1. Petri 1.18. * Benedictus Deus qui non corruptibilibus auro vel argento redemit me de vana mea conuersatione, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati. Vide Passio §.5.& 1.

§.8. Agnoscentis se non posse sufficienter gratias agere. Quam mercedem dabo tibi? aut quid dignum esse poterit beneficiis tuis? Me duxisti & reduxisti, dæmonium à me compescuisti, & bonis omnibus per te repletus sum. Quid tibi ad hæc potero dignum dare?

Tob.12. 2.3.

ANNOTATIONES.

1. IN CONVERTENDO.] id est, merito tibi gratias agam, quia cum inimici mei seu homines,

nes, seu dæmones terga darent, nõ mea fortitudine victi sunt (ponitur hic futurum pro præterito) sed à præsentia tuæ potentiæ, quam ferre nequiuerunt.

2. INCÆLESTIBVS.] Locis scilicet existens.

3. IN CHRISTO.] id est, per Christum seu eius merita.

4. VTESSEMVS SANCTI, &c.] Per fidem scilicet veram & immaculati in operibus bonis: idque in conspectu eius, id est, verè & non fictè: & hæc quidem in charitate, id est, in spiritu non timoris, sed amoris.

5. IN PARTEM, &c.] Vt participarem sortem, & hæreditatem sanctorum per fidem & lumen Euangelij.

6. DILECTIONIS.] id est, filij dilecti sui.

Homo.

Vide Admiratio §. 2. & 3. Deus §. 3. 4. 6.

Hæresis. Hæreticus.

Hæreses à se deprecantis.

Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar, vanitatem & verba mendacia longè fac à me. Prou. 30. 7. 8.

Petentis opem in Hæreticos cæterosque Ecclesiæ hostes. Increpa [1] feras arundinis, [2] congregatio taurorum [3] in vaccis populorum [4], vt excludant eos qui probati sunt argento. Vide verbo Ecclesia, verbo Impij & Inimici & Zelus. Psalm. 67. 33.

AN-

ANNOTATIONES.

1. FERAS ARVNDINIS.] id est, secundùm Augustinum Hæreticos, qui calamo vexant Ecclesiam seu scripturâ: vel quia sunt homines vani & leues, & luxuriæ dediti, significanturque per arundines, quæ in locis humidioribus. Hos itaque petit increpari, id est, coërceri, reprimi.

2. CONGREGATIO TAVRORVM.] Quia sæuiunt instar taurorum.

3. IN.] Sumitur pro cum, id est, sæuiunt cum populis, qui sunt instar vaccarum lasciuientium.

4. VT EXCLVDANT.] Ab æterna scilicet hæreditate. Eos qui tibi probati sunt quasi argentum candidissimum.

Multa ad eundem affectum aptari possunt ex Psalmo hoc 67. & ex aliis citandis verbo Oratio & Tribulatio.

Humilitas. V. Eucharistia. Superbia.

§. 1. *Perentis humilitatem. Bone Iesu, quando efficiar sicut paruulus?

*Vtinam sim in medio fratrum meorum sicut qui ministrat.

Ps. 115. 6. §. 2. Sese humiliantis. O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Ps. 21. 7. Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.

2. Reg. 9. 8. Quis ego sum seruus tuus Domine, quoniam

niam respexisti super canem mortuum similem mei, super pulicem vnum. 1.Reg. 24.15.

Ego sum pauper & dolens, salus tua Deus suscepit me.

Ego sum pauper, & in laboribus à iuuentute mea.

Putredini dixi: pater meus es: mater mea & soror mea vermibus. Iob 17. 14.

Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea. Iob 13. 28.

Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, cur gloriaris quasi non acceperis?

*Ego putredo & filius hominis vermis. Iob 25. 6.

Quem persequeris ô Domine? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem vnum. loco (persequeris) potest poni (diligis) aut quod magis placet. 1.Reg. 24.15.

Domine: minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua, quam expleuisti seruo tuo. Gen. 32. 10.

Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis. Gen. 18. 27.

Memoria mea comparabitur cineri, & redigentur in lutum ceruices meæ. Iob 13. 12.

Si iustè egero quid donabo ei? aut quid de manu mea accipiet? Iob 35. 7

Venisti bone IESV in mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.

AN-

ANNOTATIONES.

1. PATER MEVS, &c.] q.d. Pro parentibus & propinquis mihi erunt vermes.

2. MINOR.] id est, inferior. q.d. Indignus tot beneficiis in me tuis, & fide promissorum.

Infirmus. vide *Morbus.*

Tobiæ 8.19. Orantis pro infirmo. Fac eum Domine plenius benedicere te, & sacrificium tibi laudis tuæ, & suæ sanitatis offerre, vt cognoscat vniuersitas gentium, quia tu es Deus solus in vniuersa terra.

Impij & Inimici.

Ps. 9. 18. §. 1. Imprecatis iis mala, seu potiùs prędicétis euentura.[1] Cõuertantur peccatores in infernum omnes gẽtes quæ obliuiscũtur Deũ.

Ps 9.39. Psalm. 16.15. Contere brachium peccatoris, & maligni Domine[2] à paucis de terra diuide eos in vita eorum.

Ps. 24.3. Confundantur omnes iniqua agẽtes[3] superuacuè.

Ps. 27.5. [4] Da illis secundùm opera eorum, & secundum nequitiam adinuentionum ipsorũ.

Ps. 53.5. [5] Auerte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos.

Psal. 54. 16. Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.

Plurima sunt generis eiusdem in sacris litteris ac in Psalmis potissimùm. Qui capitur iis, petat ex Psalmo 68. per multos versus Psalm. 69. 2. Psalm. 39. 19. Psalm. 118. Et

ex

ex Hieremiæ cap. 11. 1. v. 20. cap. 17. v. 18. cap. 20. v. 12.

§. 2. Postulantis liberationem ab inimicis seu visibilibus seu inuisibilibus. Domine Deus meus in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me & libera me. Nequando rapiat vt leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat. Psalm. 7. 1. 2.

Exurge Domine, prœueni eum, & supplãta eum, eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ. Psalm. 16. 14.

Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & [6] mentita est iniquitas sibi. Psalm. 26. 18.

Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me. Videndi etiã Psal. 34. per multos versus & 24. v. 21. & 42. v. 1. Psalm. 30. 19.

ANNOTATIONES.

1. CONVERTANTVR.] Positum pro reuertãtur: quatenus enim peccatores, inde venerunt: Deus enim hominem fecit rectum; diabolus fecit eum peccatorem.

2. A PAVCIS.] id est, ab electis qui pauci futuri sunt.

3. SVPERVACVE.] id est, frustrà: nam iniqui fine suo, qui est aut iustos perdere, aut bonis vitæ huius satiari, aut simile quidpiam, frustrantur semper.

4. DA ILLIS, &c.] id est afficiantur iis supplicis

pliciis, quæ praua eorum opera cogitationesque merentur.

5. AVERTE,&c.] Auerte quæ mihi impendent mala à me, & conuerte illa ad inimicos meos.

6. MENTITA SIBI.] id est, Nemini nocebit nisi proprio auctori: quod Daniel dixit illis senioribus: & tu mentitus es in caput tuum.

Ira diuina.

Pſ.6.1. Iram diuinam deprecantis. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Pſal.84. 4.5. Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis. Numquid in æternum irascēris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Iudex, Iudicium diuinum.

Pſal.7.9 §.1. Petentis Deum Iudicem. Iudica me Domine secundùm iustitiam meam, & secundùm innocentiam meam super me.

Pſ.42.1. Iudica me Deus, & [2] discerne causam meā de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso erue me.

Pſ.25.1. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, & in Domino sperans non infirmabor.

§.2. Iudicium diuinum ab sese deprecantis. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Pſ. 142. 2.

AN-

ANNOTATIONES.

1. IVDICA.] q. d. Ne iudica me secundum calumnias, quæ mihi struuntur: testis enim es conscientiæ & vitæ meæ: at secundum innocentiam meam.

2. DISCERNE.] quasi scilicet iustam, & sanctam à gente non sancta. q. d. Ostende causam meam esse iustam, hostium iniustam.

Iudex. Iudicium humanum.

§. 1. Petentis iniquos Iudices puniri. [1] Surge Deus iudica terram, [2] quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. Psal. 81. 8.

§. 2. Consolantis se in prauis hominum iudiciis. Ecce in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis. Iob 16. 19.

ANNOTATIONES.

1. SVRGE, &c.] id est, quandoquidem abutuntur Iudices potestate sua, tu eos iudica, puni:

2. QVONIAM, &c.] id est, quia tu es Dominus totius orbis.

Lachrymæ.

§. 1. Petentis lachrymas ad deflendum peccata. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarū, & plorabo die ac nocte [1] interfectos filiæ populi mei? Hier. 9. 1.

[*] O vtinam exitus aquarum deducant oculi mei, quia non custodierunt legē tuam. Psalm. 118. 136.

§. 2. Excitantis se ad lachrymas ob peccata: Vtinam deducāt oculi nostri lachrymas, Hier. 9. 19.

& palpebræ noſtræ defluant aquis.

Ioel 1.8. Plange quaſi virgo accincta ſacco ſuper virum [2] pubertatis ſuæ.

Super hoc plange & vlula: fac planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum. V. verbo Peccatum.

ANNOTATIONES.

1. INTERFECTOS.] Scilicet ſpiritualiter: vt propoſito noſtro quadret.

2. PVBERTATIS.] id eſt, cui in virginitate ſua nupſit, hic enim maximè amatur: pluris autem eſt Deum perdere, quàm talem virum: vnde & peccatori ampliùs de tali iactura dolendum.

3. DRACONVM. &c.] Horum & ſtruthionum vox valde eſt lugubris cùm dolent.

Lætitia v. *Conſolatio & Gaudium.*

Pſ 83. 2. §. 1. * Petentis lætitiam ſpiritualem. Vtinam cor meum & caro mea exultent in Deum viuum.

Pſ. 85. 3. Lætifica animam ſerui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.

Pſalm. 85. 10. Lætetur cor meũ [1] vt timeat nomen tuũ.

§. 2. Excitantis ſe ad lætitiam ſpiritualem.

Pſ 41. 6. Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Pſalm. 34. 10. Anima mea exulta in Domino, & delectare ſuper ſalutari tuo.

ANNOTATIO.

1. VT TIMEAT.] ita lætari peto, vt timor adſit,

sit, cum timore enim & tremore salutem oportet operari.

Laus Dei. Vide *Deus. Beneficium. & Gratiarum actio.*

§. 1. Inuitantis ad Dei laudes. Hæc aspiratio nusquam non occurrit in Psalmis. Videri possunt inter cæteros Psalm. 28. 94. 95. 97. 98. 99 104. 105. 112. 116. 117. 134. 135. 146. 148. 149. 150. pauculos tamen versus ex aliis colligam hinc inde, huic affectioni seruientes.

Qui timetis Dominum laudate eum: vniuersum semen Iacob glorificate eum. Psalm. 21. 24.

Iubilate Deo omnis terra: psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius: [1] dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine, [2] in multitudine virtutis tuæ mentiẽtur tibi inimici tui. Omnis terra adoret te & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo. Psalm. 65. 1. &c.

Benedicite gentes Deum nostrum, &[3] auditam facite vocem laudis eius. Ps. 65. 7.

Laudent illum cæli & terra, mare, & omnia reptilia in eis. Psalm. 68. 39.

Exultate Deo adiutori nostro iubilate Deo Iacob. Ps. 80. 1.

Confiteantur Domino [4] misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum. Psalm. 106. 8. 22.

Et sacrificent sacrificium laudis, & annuncient opera eius in exultatione.

Ps. 144. 8. &c. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicant, & potentiam tuam loquâtur. Vt notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui.

Ps. 29. 4. Psallite Domino sancti eius, & confitemini memoriæ sanctitatis eius.

Psal. 32. 1. &c. Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio, &c.

Ps. 33. 3. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.

Psal. 67. 35. 36. Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, date gloriam Deo super Israel.

Isa. 62. 6 Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei.

Isa. 44. 23. Laudate cæli, quoniam misericordiam fecit Dominus: resonate extrema terræ: resonate montes laudationem saltus & omne lignum eius, quoniam redemit Dominus Iacob.

Apoc. 19. 5. Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, & qui timetis eum pusilli & magni.

Apoc. 19. 7. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei.

Sap. 15. 1 §. 2. Laudantis Deum à misericordia. Tu Domine Deus noster suauis, & verus es, patiens, & in misericordia disponens omnia.

Ps. 144. 8. 9. Miserator & misericors Dominus, patiens, & multum misericors. Suauis Dominus

nus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.

Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos. Ps. 144. 15.

Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius. Thren. 3. 22.

Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Sap. 11. 24.

§. 3. Laudantis à bonitate. Bonus Dominus & confortans in die tribulationis, & sciens sperantes in se. Nahum. 1. 7.

Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Ps. 24. 8.

Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas. Ps. 118.

Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Thren. 3. 25.

O quàm bonus, & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus. Sap. 12. 1.

§. 4. Laus Dei ob vocationem ad vitam æternam. Deo omnis gratiæ qui vocauit me in æternam suam gloriam, ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen. 1. Petri 5. 10.

§. 5. Laudantis quod humiles illuminarit. Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater: Matth. 11. 25.

quoniam sic placitum fuit ante te.

Psalm. 118.137. §.6. Laudantis à Iustitia. Iustus es Domine: & rectum iudicium tuum.

Apoc. 16.5. Iustus es Domine qui es, & qui eras sanctus, quia hæc indicasti: quia sanguinem sanctorum & prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere.

Apoc. 16.7. Etiam Domine Deus omnipotens vera & iusta iudicia tua.

Psalm. 17.33. §.7. Laudantis à veritate promissorum. [6]Eloquia Domini igne examinata, [7]protector est omnium sperantium in se.

Psalm. 144.14. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.

Matth. 24.35. Cælum & terra transibunt, verba autem tua non transibunt.

Ps. 144. 16.17. §.8. Laudantis à liberalitate. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Ps. 144. 13. §.9. Laudantis à regno æterno. Regnum tuum regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.

Ps. 117. 51.52. §.10. Laudantis ob concessam de hostibus victoriam.

Viuit Dominus & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ. Deus qui das vindictas mihi: & subdis populos sub me, liberator

berator meus de inimicis meis iracundis.

§.11. Laudantis ob facilem ad eũ accessum.

** Prope es Domine omnibus inuocantibus te, omnibus inuocantibus te in veritate. Pf. 144. 19.

§.12. Laudantis à creatione mundi. Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia. Apoc. 4.11.

§.13. * Laudantis à prouidentia: Custodis Domine omnes diligentes te, & omnes peccatores disperdes. Psalm. 144.20.

* Custodis Domine omnia ossa tuorum, vnum ex his non conteretur.

§.14. Laudantis à potentia. Deus cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant orbem. Iob 9.13

§.15. * Laudantis quod solus sit Deus. Tu Dominus & non est amplius: extra te non est Deus. Tu Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: tu Dominus faciens omnia hæc. Isa.45. 5.&c.

§.16. * Laudantis quod infinitè distet ab homine.

Sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ tuæ à viis nostris, & cogitationes tuæ à cogitationibus nostris. Isa.55.9.

§.17. * Laudantis quia delet peccata. Quis similis tui, qui aufers iniquitatem, Micheæ 7.8.

& transis peccatum reliquiarum hereditatis tuæ? non immittes vltra furorem tuũ, quoniam volens misericordiam es.

Psalm. 143 1. §. 18. Laudantis ob victoriam tentationum. Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

Habac. 1.13. §. 19. Laudantis quod displicet ei peccatum: mundi sunt oculi tui ne videas malũ, & respicere ad iniquitatem non poteris.

Sap. 14. 6. Odio tibi sunt Domine impius, & impietas eius.

Ps. 14.4. Ad nihilum deductus est in conspectu tuo malignus; timentes autem te glorificas.

Psal. 34. 11. §. 20. Proponentis laudare Deum ob liberationem à tribulatione. Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum.

Ps. 117. 26. &c. Deus meus es tu, & confitebor tibi. Deus meus es tu, exaltabo te. Confitebor tibi & quoniã exaudisti, & factus es mihi in salutẽ.

Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, & super inimicos meos despexit oculus meus. Vide etiam Psalm. 56. v. 12. & 13. Psal. 58. v. 18. & 19. & 20. Psalm. 65. vers. 11. 12. 13. 14. Psalm. 68. v. 35. 36. Psalm. 88. v. 1. & 2. Psal. 108. v. 29. 30. Psalm. 103. v. 24.

§. 21.

§.21. Proponentis Deum laudare si liberetur. Domine quando respicies? restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam. Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te. Et [11] lingua mea meditabitur iustitiam, tota die laudem tuam. Psal. 34. 20. 21. 32.

§.22. Proponentis Deum laudare ob liberationem à peccatis. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Psalm. 115.7.

[18] Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius, in atriis domus Domini, in medio tui Hierusalem.

§ 23. Proponentis laudare Deum etiã vitæ dispendio. Vota mea reddam coram omni populo eius: [13] pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Psalm. 115.5.

§. 24. Proponentis laudare Deum ob admirãda eius opera. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea [14] cognoscet nimis. Psalm. 138.13.

§.25. Petentis gratiam laudandi Deum. Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Ps.70. 9.

§.26. Excitantis se ad laudes Dei. Exurge [15] gloria mea, exurge psalterium & cythara: exurgam diluculo. Psalm. 56.11.

Laudationem Domini loquatur os meũ, & benedicat omnis caro nomini sancto eius, Psalm. 144.22.

in sæculum, & in sæculum sæculi.

Psalm. 145.1. Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero.

§.27. Petentis Deum ab omnibus laudari.

Ps.66.3. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.

§.28. Etiam ab vniuersis Regibus.

Psalm. 137.5.6. Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ, quia audierunt omnia [16] verba oris tui. Et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.

Ps. 103. 32. §.29. Petentis semper laudari. Sit gloria Domini in sæculum.

Ps. 103. 34. §.30. Proponentis se semper laudaturũ. Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum.

Viuet anima mea, & laudabit te, & [17] iudicia tua adiuuabunt me.

Psalm. 29.15. Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

Psalm. 70.16. Os meum annuntiabit iustitiam tuam, tota die salutare tuum.

Psalm. 144.1.2 Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in sæculũ, & in sæculum sæculi.

Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

§.31. Laudantis Deum à variis perfectionibus

nibus. Huius generis aspirationes frequentissimè occurrunt. Indicabo vnde potissimùm perendæ ei cui superius allatæ nō sunt satis. Hieremiæ c.32.v.18.1.ad Tim.1. v.17. Iudæ versu vlt. Apoc.5. v.13.& c.7. v.10. & 12.Psal.17,v.53.Psal.35.v.5.Psal.40. v.14.Ps. 65.& 19.& 111. Psal.75.v.13. Psal.85. v.7.& 9.&14.Psal.88.v.7.&c.Psal.89.v.2.Psal.102. v.6.& 8.Hieremiæ c.10. v.6. Dan. c.2.v.20. Apoc.c.15.v.3.Iob c.5.v.9.c.9.à versu 4.Iterum versu 19.Iob c.11.v.8.cap.12.à versu 13. Iob cap.26.6. Iob.36. vers.22. & infra Eccles.18.3.

ANNOTATIONES.

1. DICITE,&c.] Hæc est materia laudis diuinæ. Opera tua ô Domine præ magnitudine omnibus terrorem incutiant.

2. IN MVLTITVDINE,&c.] id est, tanta est virtus & potentia tua, vt mendaces ostendat omnes inimicos tuos, qui te multò etiam minora non posse iactabant.

3. AVDITAM.] id est,vt audiatur.

4. MISERICORDIÆ EIVS.] id est, ipsa beneficia confiteantur Dei laudem, eandem confiteantur mirabilia opera Dei exhibita filiis hominum ad eorum liberationem.

5. IN ID IPSVM.] id est, simul.

6. ELOQVIA,&c.] id est, promissa eius sunt certissima, & probatissima tamquam aurum,&c.

7. PRO-

7. PROTECTOR.] Hebraicè scutum.

8. PROPE EST,&c.] id est, licet cælo sit excelsior, appropinquanti tamen facilem se exhibet, nec vmquam audientiam aut negat, aut differt.

9. VIDEAS.] Visione seu scientia approbationis, seu ne approbes.

10. OSSA.] id est, non anima tantùm mea te laudabit, at corpus etiam, imò omnes partes corporis etiam intimæ & abiectissimæ, quales sunt ossa quæ sensu carent: nec ossa tantùm, sed omnia ossa, etiam minima, si sensum haberent & vocem, exclamarent vtique: Domine quis,&c. nihil enim est neque in cælo, neque in terra te fortius, sapientius, benignius.

11. MEDITABITVR.] An meditatur lingua? significat itaque ex cordis meditatione, linguam deprædicaturam Dei iustitiam.

12. VOTA.] Laudum scilicet & gratiarum actionis.

13. PRETIOSA,&c.] id est, quia scio Deum magni facere mortem Sanctorum pro suo honore obitam, reddam ei vota laudis non in angulis solùm, at publicè, etiamsi mortem mihi inde imminere intelligam.

14. COGNOSCET NIMIS.] id est, cognoscet valdè opera tua esse mirabilia, idque in genere: non enim significatur hîc perfecta cognitio operum Dei.

15. GLO-

15. GLORIA, &c.] ô anima mea, quæ es decus meum & gloria mea, expergiſcere ad Dei laudes, vos quoque inſtrumenta muſica: tum ſibi ipſi reſpondens ſubiicit: Exurgam diluculo.

16. VERBA.] id eſt, promiſſa tua, quæ in me adimpleſti & in ſeruis tuis.

17. IVDICIA.] id eſt, mandata tua à me cuſtodita: quæ quidem iudicia dicuntur, eò quòd ſint ſummæ æquitatis Dei decreta.

Lex Dei.

Vide verbo Mandata.

Lingua.

§. 1. Petentis linguæ moderationem. Da vt cuſtodiam[1] vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Pone Domine cuſtodiam ori meo cùm conſiſtet peccator aduerſum me. Pſalm. 38. 1. 2.

Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Non declinet[2] cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Pſalm. 140. 3. 4.

Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, vt nõ cadam ab ipſis, & lingua mea perdat me? Eccleſ. 22. 33.

Petentis liberari à telis linguæ proximi.

§. 2. Domine libera animam meam à labiis iniquis & à lingua doloſa. [3] Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? Pſalm. 119. 2. 3.

AN-

ANNOTATIONES.

1. VIAS.] id est, actiones meas omnes, vt si fieri possit, ne verbo quidem offendam.

2. COR. &c.] Quia scilicet linguæ lapsus ex cordis oritur prauitate, ne sinas me propensum fieri ad loquendum malos sermones, maximè autem, ne quæram excusationes in peccatis.

3. QVID. &c.] Quasi dicat, Lingua dolosa summum est malum. Quid enim mali ei dari aut addi possit?

Lumen diuinum. V. *Vita.*

Postulantis lumen diuinum. [1] Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine Deus meus, illumina tenebras meas. Vide etiam verbo Vita §. 1.

Psalm. 17. 31.

Pſ. 42. 3. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam; ipsa me [2] deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuũ & in tabernacula tua.

Matth. 20. 33. Domine vt videam.

Psalm. 66. 1. 2. Deus misereatur nostri & benedicat nobis, [3] illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus [4] salutare tuum.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua.

Psalm. 89. 19. Respice in seruos tuos: Et sit splendor Domini Dei nostri super nos.

Isa. 58. 11. Reple splendoribus animam meam.

No-

Notã fac mihi viã in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Ps. 142. 10. 11.

Domine fiat lux. Gen. 1. 3

ANNOTATIONES.

1. QVONIAM, &c.] id est, quia hactenus oculum interiorem cordis mei (qui quasi lucerna est qua video) illuminasti, ita quæso perge id facere.

2. DEDVXERVNT.] id est, deducent in hac periculosa peregrinatione, & adducent in montem regis cælorum.

3. ILLVMINET.] id est, faciat lucere super nos.

4. SALVTARE.] id est, Christus vera via ad patriam, & vera salus.

Mandata.

§. 1. Optantis mandata Dei seruare. Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas [1] iustificationes tuas. Ps. 118. 5

§ 2. Statuentis ea seruare. Iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas [2] vsquequaque. Ps. 118. 8

Et custodiam legem tuam semper in sæculum, & in sæculum sæculi. Psalm. 118. 44.

[3] Dixi, custodire legem tuam. Psalm. 118. 57.

In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me. Psalm. 118. 93.

Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Psalm. 118. 106.

§. 3. Indi-

Psalm. §. 3. Indicantis paratum sese ea seruare:
118.60. Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.

Psalm. §. 4. Petentis gratiam ea seruandi. + In
118. 10. toto corde meo exquisiui te, ne repellas me à mandatis tuis.

Psalm. Benedictus es Domine, doce me iustifi-
118. 12. cationes tuas.

Psal.118 Deduc me in semitam mandatorum tuo-
35.36. rum, quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua & non in auaritiam.

Ps.118. Fiat cor meum immaculatum in iustifi-
80. cationibus tuis, vt non confundar.

§. 5. Petentis lumen ad ea seruanda eorumque intelligentiam. Reuela oculos
18. meos, & considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra, non abscondas
19. à me mandata tua.

Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum,
Psalm. 118. 25. vt sciam testimonia tua.

Psalm. Æquitas testimonia tua in æternum: In-
118.144 tellectum da mihi, & viuam.

Psalm. Viam iustificationum tuarum instrue me,
118 27. & exercebor in mirabilibus tuis.

Da mihi intellectum, & scrutabor legem
34. tuam, & custodiam illam in toto corde meo.

Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt
73. me: da mihi intellectum, vt discam mandata tua.

Faciem tuam illumina super seruum
135. tuum:

tuum, & doce me iustificationes tuas.

§.6. Petentis perseuerantes ea seruare.

[5] Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo. 38.

Gressus meos dirige secundùm eloquium tuũ, & non dominetur mei omnis iniustitia. 133. Ps.22.4.

Fac nequando obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum.

§.7. Petentis perfectũ desiderii ea seruãdi.

[6] Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Psalm. 118. 20.

§.8. Petentis vt ea sola sint sibi lex vitæ.

Legem pone mihi viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper. 33.

§.9. Indicantis ea sibi suauia. [7] Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in via peregrinationis meæ. Ps.118. 54.

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! 103.

[8] Hæreditate acquisiui testimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei sun.. 111.

Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est. 97.

Iudicia tua iucunda. 39.

Iugum tuum suaue est, & onus tuũ dulce. Matth. 11.30.

Mandata tua grauia non sunt. 1. Ioan. 5.3.

§.10. Agnoscentis eorum vtilitatem. Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti. 72.

127. Dilexi mandata tua ſuper aurum & Topazium.

109. §. 11. Indicantis ſe ea ſeruaſſe vitæ periculo.

' Anima mea in manibus meis ſemper,& legem tuam non ſum oblitus.

61. Funes peccatorum circumplexi ſunt me, & legem tuam non ſum oblitus.

51. Superbi iniquè agebant vſquequaque,à lege autem tua non declinaui.

Pſalm. 118.95. Me expectauerunt peccatores,vt perderent me: teſtimonia tua intellexi.

Pſalm. 118.110. Poſuerunt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non erraui.

ANNOTATIONES.

1. IVSTIFICATIONES.] id eſt, mandata: ea autem ita vocantur, quoniam eorum obſeruatio iuſtificat.

2. VSQVEQVAQVE.] id eſt, in perpetuum.

3. DIXI.]id eſt, ſtatui firmiter.

4. IN TOTO, &c.] id eſt, quandoquidem quæſiui te, & gratũ me tibi eſſe ante omnia volui: Ne repellas me,&c. id eſt, ne deſeras me gratia tua;ſi enim deſeris, idem eſt acſi repellas, cùm ſine auxilio gratiæ illa ſeruare non poſſim.

5. STATVE,&c.]id eſt,fac vt per ſanctum timorem tuum ſtatuatur, ſeu confirmetur lex tua in ſeruo tuo, vt immobiliter in illa hæreat.

6. CON-

6. CONCVPIVIT DESIDERARE, &c.] quasi dicat, Adhuc non desidero nisi imperfectè; opto itaque opem tuam, vt ardenter ea desiderem, vt desiderium in opus transeat, & mandata tua custodiam omni tempore.

7. CANTABILES.] id est, suauis instar carminum, q.d. Non fuerunt mihi graues.

8. HÆREDITATE.] id est, elegi mihi mandata tua in hæreditatem æterna.

9. ANIMA, &c.] id est, quotidie de vita periclitor ob legis tuæ obseruationem, eam tamen non sum oblitus. Eandem ferè habent sententiam sequentes versus quatuor: vbi supplenda videtur initio particula: quamquam, vel licet: vt, quamquam funes peccatorum, &c.

Maria virgo sanctissima.

§. 1. Laudantis eam ab interna pulchritudine. Tota pulchra es, & macula nō est in te. Cant. 4. 7.

Quàm pulchra es, & quàm decora charissima in delitiis. Cant. 7. 6.

§. 2. A suauitate sermonis. Fauus distillans labia tua: mel & lac sub lingua tua. Cant. 4. 11.

§. 3. A fragrantia operum exteriorum. Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Cant. 4. 11.

§. 4. A virginitate: Hortus conclusus, fons signatus. Cant. 4. 12.

§. 5. A variis virtutibus. Emissiones tuæ

paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cynnamomum cum vniuersis lignis libani.

Cant. 6. 9. Tu aurora consurgens, tu pulchra vt luna, tu electa vt sol, tu terribilis vt castrorum acies ordinata.

Eccles. 24. 24. Tu mater pulchræ dilectionis, & timoris & agnitionis, & sanctæ spei: In te omnis gratia vitæ & veritatis; in te omnis spes vitæ & virtutis. Et alia quæ passim toto hoc capite continentur, quæ sicut & quàm plurima de libro Canticorum B. V. aprari possunt.

Prou. 31. 29. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.

ANNOTATIONES.

1. CHARISSIMA, &c.] id est, adeò vnicè dilecta, vt pro magnis eam delitijs reputet cæleſtis sponsus.

2. EMISSIONES.] id est, virtutum actus, quibus te emittuntur habent præstantiam omnium eorum fructuum & aromatum, quæ hîc varia recensentur.

3. PVLCHRÆ.] Seu bonæ: est enim turpis & mala dilectio.

Misericordia diuina. Vide *Deus.*

Iob 23. 6. *Postulantis eam. Nolo multa fortitudine contendas mecum ô Domine, nec magnitudinis tuæ mole me premas.

Psal. 6. 2. Miserere mei Domine quoniã infirmus sum:

sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt. Ps. 24. 6

Secundùm misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam Domine. Ps. 24. 7.

Respice in me & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego. Psalm. 24. 16.

Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum sperauimus in te. Psalm. 32. 22.

Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas à me: misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me. Psalm. 39. 12.

* Non secundùm peccata nostra facias nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis. Psalm. 102. 10.

*, Secundùm altitudinem cæli à terra, [2] corrobora misericordiam tuam super timentes te. Psalm. 102. 11.

* Quomodo miseretur pater filiorum suorum, miserere Domine timentibus te, & cognosce figmentum nostrum. Recordare quoniam puluis sumus: homo, sicut fœnum dies eius, tamquam flos agri sic efflorebit. Psalm. 102. 13. 14.

Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam: quia lex tua meditatio mea est. Psalm. 118. 77.

Aspice in me, & miserere mei, secundùm [3] iudicium diligentium nomen tuum. Psalm. 118. 132.

Matt.15. 22. Miserere mei fili Dauid: Anima mea malè à dæmonio torquetur.

ANNOTATIONES.

1. SECVNDVM, &c.] Quàm maximè, est enim quàm maxima distantia cæli à terra.

2. CORROBORA.] id est, confirma, stabili.

3. IVDICIVM.] id est, iuxta consuetudinem quâ vteris in eos, qui te diligunt.

Morbus.

Iob.7.16 1. Petentis morbum mitigari.

Iob 7.19 Parce mihi, nihil enim sunt dies mei.

Vsquequo non parcis mihi? nec dimittis me, vt glutiam saliuam meam?

ANNOTATIONES.

1. PARCE.] Mitius mecum age, & quam contra me extendisti seueram manum tuam reuoca.

2. NEC DIMITTIS.] q.d. nec rem tam alioqui facilem, tamque necessariam, facere possum sine maximo dolore.

Mors.

§. 1. Deprecantis mortem, vt possit hic Deum laudare.

Psal.29. 31.12. Quæ vtilitas in [1] sanguine meo, dum descendero in corruptionem? nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?

Isa.38. 38.19. Quia non [2] infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te, non expectabunt, qui descendunt in lacum veritatem tuam. Viuens,

uens, viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie.

Domine ſaluum me fac, & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini. Iſa.38. 20.

Nunquid mortuis facies [3] mirabilia, [4] aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi? Nunquid [5] narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam & veritatē tuam [6] in perditione? Nunquid cognoſcētur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis. Pſ.87.11

§.2. Improuiſam mortem deprecantis.

Paucitatem dierum meorū nuncia mihi: [7] ne reuoces me in dimidio dierum meorū: [8] in generationem & generationē anni tui. Pſ.101. 24.25.

§.3. Optantis mortem. Domine ſecundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum, Expedit enim mihi mori magis quàm viuere. Tob.3.6

Moriatur anima mea morte Iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia. Num. 23.10.

Et nūc Domine tolle quæſo animā meam à me, quia melior eſt mihi mors quàm vita. Ionæ 4. 3.

Melior eſt mors quàm vita amara: & requies æterna quàm languor perſeuerans. Eccl.30. 17.

Deſiderium habeo diſſolui: & eſſe cum Chriſto. Philipp. 1.23.

Sufficit mihi Domine, tolle animā meam, neque enim melior ſum, quàm fratres mei. 3 Reg. 19.4.

Vide Gloria cœleſtis.

Iob 9. 23. Si flagellas, occidas semel, & non de pœnis innocentum ridéas.

Psalm. 5. 8. §. 4. Orantis instante morte. Introibo in domum tuam, adorabo ad templũ sanctum tuũ, & confitebor nomini tuo Domine. Eam fuisse sub mortis tempus S. Ludouici Galliæ Regis aspirationem tradit auctor vitæ eius.

ANNOTATIONES.

1. SANGVINE.] id est, vita mea, si in sepulchrum corrumpendus descendam.

2. INFERNVS.] Per infernum, mortẽ, lacum, eos intellige, qui in inferno seu sepulchro & lacu sunt. Qui dicuntur non expectare veritatem Dei, id est, fidelitatem, qua scilicet viuentibus temporalia præstat beneficia.

3. MIRABILIA.] Ea scilicet quæ in viuentibus frequenter operaris.

4. AVT MEDICI, &c.] id est, an poterunt mortuos suscitare, qui te laudent?

5. NARRABIT.] Scilicet apud viuos.

6. IN PERDITIONE.] id est, quando perierit secundùm corpus.

7. NE REVOCES, &c.] Ne reuoces me de curriculo vitæ in medio cursu, quando minus expecto mortem.

8. IN GENERATIONEM, &c.] id est, Æquum est, ô Domine, te id dare mihi, cùm anni tui sint æterni.

9. RIDEAS.] Loquitur Iob in amaritudine spiritus, & quæritur se Deo tam diris & lentis

tis

tis pœnis torqueri, vt quasi iis delectari videatur; & de hominibus quasi pila ludere, idque ob causas æquissimas v. Tertull. c. 7. Scorpiaci, licet hic ludus sanctis sit peracerbus, eumque in se spectatum horreant.

Mundities. V. *Oratio.* §. 2.

Postulantis munditiem cordis. Cor mundum crea in me Deus, & [2] spiritum rectum innoua in visceribus meis. Psalm. 50. 11.

Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Ps. 50. 3.

*Laua à malitia cor meum. Ierem. 4. 19.

ANNOTATIO.

1. SPIRITVM RECTVM.] id est, voluntatem & affectionem rectam, quæ habetur à munditia cordis, quam charitas efficit; per peccatum enim mens distorta efficitur dum conuertitur ad inferiora maximèque ad se amãdum: dirigitur autem per charitatem dum conuertitur ad superna, potissimumque ad Deum amandum.

Oratio V. *Tribulatio.* V. *Impij.* V. *Infirmus.*

§ 1. Orantis in tribulatione. Quare in perpetuum obliuiscêris nostri? derelinques nos in longitudine dierum? Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, innoua dies nostros sicut à principio. Thren. 5. 20.

Attende Domine de cælo, & vide de habitaculo sancto tuo & gloriæ tuæ; vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum Isa. 63. 15. 16.

tuorum & miſerationum tuarum? ſuper me continuerunt ſe. Tu enim Pater noſter, tu Domine Pater noſter, Redemptor noſter, à ſæculo nomen tuum.

Iſa.64. 8.9. Tu Domine Pater noſter es tu, nos verò lutum; & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne iraſcaris Domine ſatis, & ne vltra memineris iniquitatis noſtræ, & reſpice: populus tuus omnes nos.

Thren. 1.9. Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus eſt inimicus.

Matt.8. 25. Domine ſalua nos perimus.

Matt.14 31. Domine ſaluum me fac.

Matt.15. 25. Domine adiuua me.

Miſerere mei fili Dauid.

Matt.20 31. Magiſter non ad te pertinet quia perimus?

Marc.4. 38. Domine ecce' quem amas, infirmatur.

Ioan.11. 3. Deus noſter refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.

Pſ.45.1. Pſ.53.1. Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua iudica me.

Finem ſcribendi non faciam, ſi quę tum in Pſalmis, tũ in cęteris exiſtunt ſcripturæ locis, huius generis aſpirationes perſequi velim, cõtentus ero præcipua earum loca indicaſſe.

Videnda itaque Tobiæ c.3. verſ.13.& 22. Eſter c.14.v.4. Thren.c.1.v.9.11.20.& c.3.v. 19.& tot.c.5.Danielis c.3.à verſ.27. Danielis 9.à v.4.Baruch.c.2.à v.14.Baruch. c.3.v.1.& infra.Pſ.30.v.11.& 20.Pſ.34.v.20.&c. Pſ.41. v.9.

v.9.& 10.& 13.Ps.42.2.Psal.43.v.25.&c.Psal. 87.v.2.& 17.& 18.Ps.21.v.9.&c.Ps.67.v.12.

Huic eidē affectioni seruiunt seq. Psal.vel integri vel magna ex parte Psal.27.30.54.55. 56.58.59.68.70.85.87.101.141.Denique hac aspiratione nil magis obuiū in sacris litteris.

§.2. Orantis pro remissione peccatorum.

* Dele Domine vt nubē iniquitates meas, & quasi nebulam peccata mea. Isa.44. 22.

Miserere nostri Domine, & depone iniquitates nostras,& proijce in profundum maris omnia peccata nostra. Miche. 7.19.

*O fons patens domui Dauid,& habitantibus Ierusalem,in ablutionem peccatoris,& menstruatæ. Laua me à peccatis meis in sanguine tuo. Zach. 13.1. Apoc. 1.6. Matt.8. 3.

Domine si vis,potes me mundare.

Conuerte Domine manum tuam ad me, & excoque ad purum scoriam meam, & aufer omne stannum meum. Isa.1.25.

Propter nomen tuum,Domine,propitiaberis peccato meo,multum est enim. Ps.24.11

Vide humilitatem meam, & laborem meum; & dimitte vniuersa delicta mea. Psal.24. 19.

Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit. Ps.129.3

* Quantum distat ortus ab occidente, longe fac à nobis iniquitates nostras. Ps.102. 12.

Et nunc Domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis,neque reminiscaris Tob.3.3 v.etiam Psal.78. v.8.9.

miniſcaris delicta mea, vel parentũ meorũ.

Conuertere Domine, & eripe animã meã, ſaluum me fac propter miſericordiã tuam.

Pſalm. 38.14. Remitte mihi, vt [2] refrigerer priuſquam abeam, [3] & amplius non ero.

Pſal. 39. 13. 47. Circumdederunt me mala, quorum nõ eſt numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem. Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me: Cõplaceat tibi Domine vt eruas me, Domine ad adiuuandũ me reſpice.

Pſ. 40.5 Ego dixi: Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi.

1. Ioan. 1.7. * O ſanguis Ieſu Chriſti Filij Dei, emunda me ab omni peccato.

Hebr. 9. 13. 14. Si ſanguis hircorum inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quãto magis ſanguis tuus Chriſte, qui per Spiritum Sãctum temetipſum obtuliſti immaculatum Deo, emundabit conſcientiam meam ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti.

Thren. 3.56. §. 3. Petentis orationem ſuam audiri. Vocem meam audi, ne auertas aurem tuam à ſingultu meo, & clamoribus.

Iudith. * Humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio, Deus cælorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ exaudi me miſerum deprecantem, & de tua miſericordia præſumentem.

Pſ. 5. 1. 2 Verba mea auribus percipe Domine, intellige

tellige clamorem meum: Intende voci orationis meæ, Rex meus & Deus meus.

Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè. Pſ.64.6.

Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me.* Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. Pſal.68. 17.18.

Vide etiam Pſ.17.7. Pſ.27.1.2. Pſ.38.1. Pſ. 54.1. Pſ.83.8. Pſ.85.1. Pſ.101. & Pſ.118. 149. & 169. & 170. Pſ.129.1.2.

§.4. Orantis patrem per filium. Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui. Pſalm. 83.10.

Memento Domine [t] Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Pſalm. 131.1.

§.5.* Orantis pro Sacerdotibus. Sacerdotes tui induantur Iustitia, & Sancti tui exultent. Pſalm. 131.9.

*Sacerdotes tuos indue salutari. Pſalm. 131.18.

§.6. Orantis pro Rege. Domine saluum fac Regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te. Pſalm. 19.10.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob, &c. in eodem psalmo. Pſ.19.1.

[s] Magnifica salutes Regis tui, & fac misericordiam Christo tuo Dauid, & semini eius vsque in sæculum.

§.7. O-

Ps.27.9. §.7. Orantis pro populo. Saluum fac populũ tuũ Domine, & benedic hęreditati tuę, & rege eos, & extolle illos vsq; in æternum.

Psalm. 84.1.2.3 *Benedic Domine terram tuam, auerte captiuitatem Iacob. Remitte iniquitatem plebis tuæ, operi omnia peccata eorum: Mitiga omnem iram tuam, auerte ab ira indignationis tuæ.

Ps.73.2. Memor esto Congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Nunquid perdes iustum cum impio? si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo?

Gen.18. 24. §.8. Orantis pro sanitate recuperanda. V. verbo Sanitas.

Ps.38.4. §.9.* Petentis orandi feruorem. Concaleat cor meum intra me & in meditatione mea exardescat ignis.

Psalm. 140.2. §.10.* Petentis gratiam benè orandi. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum ⁶ sacrificium vespertinum.

Habac. 1.2. §.11. Quærentis orationem suam non audiri. Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis?

Gen.18. 28. §.12. Perseuerantis in oratione. Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis.

AN-

ANNOTATIONES.

1. QVEM AMAS.] Se ipse denotet, orans, sicut sorores illæ fratrem suum Lazarum.

2. VT REFRIGERET.] Intelligens scilicet ante mortem mihi peccata esse remissa.

3. ET AMPLIVS NON ERO.] Supple aduena & peregrinus, at ero ciuis Sanctorum. Ita Ambros.

4. DAVID.] id est, Christi, cuius Dauid fuit typus, nec infrequenter vocatur Christus in scriptutis nomine Dauid.

5. MAGNIFICA SALVTES.] id est, auge, & multiplica salutem corporis, & animæ, & omnium rerum Regis.

6. SACRIFICIVM, &c.] id est, oratio quam eleuatis manibus fundo, sit tibi æquè grata ac mactatio Agni immaculati, quæ vesperi fiebat.

Passio Christi. V. *Christus.*

§. 1.* Agnoscentis hoc beneficium. Corpus tuum, ô bone Iesu, dedisti percutientibus, & genas tuas vellentibus: faciem tuam non auertisti ab increpantibus & conspuentibus. Isa. 50. 6

Sponsus sanguinum tu mihi es.

* Inglorius fuit inter viros aspectus tuus, & forma tua inter filios hominum. Exod. 4. 26. Isa. 52. 14.

Lauasti in [1] vino [2] stolam tuam, & in sanguine vuæ pallium tuum. Gen. 49. 11.

*Verè

Isa.53.4 * Verè languores nostros tulisti, & dolores nostros ipse portasti, vulneratus es propter iniquitates nostras, attritus es propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super te, & liuore tuo sanati sumus.

Thren. 3.30. *Dedisti percutienti te maxillam, saturatus es opprobriis.

Cant. 1. 14. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

Gal.1.4 * Dedisti temetipsum pro peccatis nostris, vt eriperes nos de præsenti sæculo nequam.

Rom.5. 8. *Commendas (ô piissime Iesu) charitatem tuam in nobis, quoniam cũ adhuc peccatores essemus, pro nobis mortuus es.

§.2. Admirantis vnde Christo vulnera.

Zach. 13.6. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? his plagatus es in domo eorum qui diligebant te.

§.3. Proponentis se numquam positurum Christi pro se passi memoriam.

Cant. 1. 13. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.

Eccl. 29. 20. *Gratiam fideiussoris non obliuiscar: dedit enim pro me animam suam.

Apoc.5. 12. §. 4. * Benedicentis & laudãtis Christum de beneficio passionis. Dignus es, ô Agne Dei, qui occisus es, accipere virtutem & diuinitatem, & sapientiam & fortitudinem, & honorem, & gloriam & benedictionem.

§.5. Gra-

§.5.* Gratias agentis. Gratias tibi ago Domine Ieſu, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione. Vide Gratiarum actio §.7. Apoc. 5. 9.

§.6. Lugentis Chriſti paſſionem.

Quomodo cecidiſti potens, qui ſaluum faciebas populum Iſrael? 1. Mach. 9. 21.

§.7.* Compatientis Chriſto. Doleo ſuper te frater mi [4] Ionatha decore minis & amabilis, quis mihi tribuat vt ego moriar pro te? 2. Reg. 1. 26.

§.8.* Agnoſcentis ſe mortis Chriſti cauſam [5] Spiritus oris mei Chriſtus Dominus captus eſt [6] in peccatis meis. Thren. 4. 20.

ANNOTATIONES.

1. VINO.] id eſt, ſanguine.

2. STOLAM.] id eſt, corpus.

3. BOTRVS CYPRI.] q. d. ſimilis eſt, ratione pretioſiſſimi ſanguinis, paſſionis tempore effuſi, botro qui in inſula Cypro præſtantiſſimus gignitur, vt & in vineis Engaddi in Palæſtina.

4. IONATHA.] Significat Ionathas Domini domum; quod quàm Chriſto congruat ſatis per ſe liquet, eſt enim ipſe, cæleſtis Patris donum ac datum optimum, iuxta illud Ioãnis. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. c. 3. 16.

5. SPIRITVS.] Chaldæus ita vertit, Rex, Meſ-

sias, qui nobis dilectus, sicut spiritus vitæ qui est in naribus.

6. IN.] id est, ob peccata nostra.

Patientia.

Iob 23. 17. §. 1.* Postulantis patientiam. Da vt non [1] peream propter imminentes tenebras, nec faciem meam operiat [2] caligo.

Ps. 61. 1. §. 2. Sese ad patiendum cohortantis. Nonne Deo [3] subiecta erit anima mea? ab ipso enim [4] salutare meum?

Psal. 26. 14. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

ANNOTATIONES.

1. PEREAM.] per desperationē & impatientiā propter calamitates quas vocat tenebras.

2. CALIGO.] Scilicet impietatis, aut Iudicij perturbatio, qua fiat vt faciem meam ad te leuare nequeam: quasi dicat, Fac vt eam, vt soleo leuem, cum fide, spe, & reuerentia.

3. SVBIECTA.] Scilicet verè patientiæ exercitio, non obmurmurando, non contradicendo, &c.

4. SALVTARE.] id est, salus mea omnis ab eo pendet.

Pax.

Ps. 71. 3. Postulantis pacem. Suscipiant [1] montes pacem populo, & colles iustitiam.

Ps. 71. 7. Oriatur in diebus nostris Iustitia, & abundantia pacis [2] donec auferatur luna.

Fiat

Fiat pax [3] in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Psl.121.7

*Pone fines nostros pacem, & adipe frumenti satia nos. Psalm. 147.4.

Da pacem Domine finibus nostris, dormiamus, & non sit qui exterreat. Leuit. 26.6.

ANNOTATIONES.

1. MONTES.] per quos intellige Regni maiores & nobiliores, vt per colles, viliores & humiliores. Petitur itaque, vt per Primores qui primi sint inter se pacifici, descendat pax ad populum.

2. DONEC, &c.] id est, vsque in finem sæculi, quãdo auferetur luna, non vt non sit omnino, sed ne sit qualis modò est, modò clara, modò obscura, modò plena, modò nulla.

3. IN.] id est per.

Peccator, peccatum. V. *Oratio* §. 2.

§. 1. Agnoscentis & dolentis de peccatis. Væ mihi peccatori graui iniquitate, semini nequam, filio scelerato; dereliqui Dominum, blasphemaui Sanctum Israel, abalienatus sum retrorsum. A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in me sanitas. Isa.1.4.

Peccaui. quid faciam tibi ô [1] custos hominum. Iob 7. 20.

Iniquitatem meã ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Psl.50.5.

Peccauimus cum Patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus. Psalm. 105.6.

Isa.59. 2.3. *Iniquitates meæ diuiserũt inter me & Deũ meum, & peccata mea absconderũt faciem eius à me, ne exaudiret: manus enim meæ pollutæ sunt sanguine, & digiti mei iniquitate. Labia mea locuta sunt mendacium, & lingua mea iniquitatem fatur.

Isa.59. 12. Multiplicatæ sunt iniquitates meæ corãte, & peccata mea[2] responderũt mihi, quia scelera mea mecũ, & iniquitates meas cognoui: peccare & mentiri contra Dominũ, & auersus sum vt item post tergum Dei nostri, vt loquerer calumnia & trãsgressionem: cõcepi, & locutus sum de corde verba mẽdacij.

Hier. 2. 13. *Duo mala feci, Deus meus, te dereliqui fontem aquæ viuæ, & fodi mihi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.

Hier. 3. 13. *Scio iniquitatem meam: quia in Dominum Deum præuaricatus sum, & [3] dispersi vias meas alienis sub omni ligno frondoso, & vocem tuam non audiui.

Hier. 3. 20. *Quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contemsi te Deus meus.

Lucæ 15. 19. Pater peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut vnum de mercenariis tuis.

Gen. 4. 10. Quid feci? vox sanguinis fratris mei (Christi) clamat ad te Domine de terra.

2. Reg. 12.13. Peccaui Domino, transfer Domine peccatum meum.

Ne

Ne reputes mihi, Domine mi, iniquitatem, neque memineris iniuriarum serui tui: agnosco enim seruus tuus peccatum meum. 2. Reg. 19. 19. 20.

Peccaui etiam nunc: Dominus iustus: ego & populus meus impij. Exodi 9. 27.

§. 2.* Agnoscentis peccatum esse mendax & noxium: Ecce venio ad te, tu enim es Dominus Deus meus. Verè mendaces erant [4] colles, & multitudo montium, verè in Domino meo salus mea. [5] Confusio comedit laborem fratrum meorum ab adolescentia mea, greges eorum, & armenta eorum, filios eorum & filias eorum. Hier. 3. 25.

*Domine fortitudo mea & robur meum, & refugium meum in die tribulationis: verè mendacium possedi, vanitatem quæ mihi non profuit. Hier. 16. 19.

*Expectatio mea Domine, omnes qui te derelinquũt confundentur, recedentes à te in terra [6] scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. Hier. 17. 13.

§. 3.* Agnoscentis ignorantiam suam. Milvus in cælo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus [7] aduentus sui; ego autem non cognoui [8] Iudicium Domini. Hier. 8. 7.

§. 4.* Agnoscentis ingratitudinem suam. Me filium enutristi, ô Domine, & exaltasti, ego autem spreui te. Cognouit bos possessorem suũ, & asinus [9] præsepe Domini sui, ego

autem te non cognoui, te non intellexi.

§. 5. Conferentis priſtinam felicitatem cum præſenti miſeria.

Luc. 15. 17. Quanti mercenarij in domo Patris mei abundãt panibus, ego autẽ hic fame pereo?

Thren. 4. 1. Quomodo obſcuratum eſt [10] aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum.

Thren. 4. 2. * O fili Sion inclyte, & inuicte auro primo, quomodo reputatus es in vaſa teſtea, opus manuum figuli?

Thren. 4. 5. Qui veſcebaris voluptuosè interiiſti in viis, qui nutriebaris in croceis, amplexatus es ſtercora.

Videndi etiam verſus 7. & 8.

Iſa. 1. 21. Quomodo facta es meretrix ciuitas fidelis? plena Iudicij? Iuſtitia habitauit in te, nũc autem homicidæ: argentum tuũ verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum miſtum eſt aquâ.

§. 6. Deſiderantis priſtinam fælicitatem.

Iob 29. 2. Quis mihi tribuat vt ſim iuxta menſes priſtinos, ſecũdum dies quibus Deus cuſtodiebat me? Quãdo ſplendebat [11] lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris; Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quãdo ſecreto Deus erat in tabernaculo meo? quando erat omnipotens mecum?

§. 7. * Proponẽtis meliora. A modo vocabo te Pater meus, dux [12] virginitatis meæ.

Hier. 3. 4. Lucæ 15. 18. Surgam & ibo ad Patrem.

*Ex-

*Exsurgam à mortuis, & illuminabit me Christus. Eph. 5. 14.

Non loquentur labia mea iniquitatẽ, nec lingua mea meditabitur mendacium. Iob 27. 4.

§. 8. Detestantis peccatum. Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Gen. 39. 9.

Propitius sit mihi Dominus ne faciam rem hanc. 1. Reg. 24. 7.

Propitius sit mihi Dominus, vt non mittam manum meam in Christum Domini. Scilicet quantum in se est peccator occidit Christum. 1. Reg. 24. 8.

Per salutem tuam & per salutem animæ meæ non faciam rem hanc. 2. Reg. 11. 11.

Humeris meus à iunctura sua cadat, & brachiũ meũ cũ suis ossibus [13] confringatur. Iob 31. 22.

§. 9. Petentis puniri ob peccata. Vide Tribulatio §. 11.

§. 10. Petentis occultorum & alienorum veniam. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Ps. 18. 13

§. 11. Petentis idipsum de ignorantiis & adolescentiæ vitiis. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine. Ps. 24. 7

§. 12. Petentis notitiam peccatorum.

Quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea & delicta ostende mihi. Iob 13. 23.

§. 13. Petentis liberationem à pœnis pec- Ps. 50. 16

cato debitis. Libera me de [14] sanguinibus Deus, Deus salutis meæ, & exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Psalm. 118.176. §.14. Petentis reditum ad Deum. Erraui sicut ouis quæ periit, [15] quære seruum tuum.

ANNOTATIONES.

1. CVSTOS.] id est, qui obseruas hominum actiones, &c.

2. RESPONDERVNT.] id est, pœnas à me exigit Deus pro ratione meriti.

3. DISPERSI.] id est, varia Idola colui, per quæ intellige peccata.

4. COLLES.] id est, Dij qui in collibus colebantur, id est, creaturæ, quas deserto Deo præposterè amasti.

5. CONFVSIO.] id est, peccatum, ab effectu, quia confundit, & spe frustrat cultorem suum: ob eam ipsam causam vocatur versu sequenti mendacium, quia homini mentitur ipsumque ludificatur.

6. SCRIBENTVR.] quasi viles, & cælo indigni.

7. ADVENTVS.] id est, migrationis in alium locum.

8. IVDICIVM.] Præcepta, vel vltionem peccatorum, quam me eorum pœnitudine declinare volebat.

9. PRÆSEPE DOMINI.] id est, Dominum præsepis: ei debita, & pro ratione suæ naturæ præstando obsequia.

10. Av-

10. AVRVM.] Per aurum & lapides sanctuarij, &c. intellige charitatem cæteraſque virtutes, quibus exornatur animus Iusti. vt & per vasa testea, & stercora, fœditatem & humilitatem vitiorum, quibus se fœdat, & ad quæ se demittit.

11. LVCERNA.] Eâ significatur fauor diuinus, maximè qui animum spectat, quique gratiæ munere conferendo, conseruandoque potissimùm se prodit.

12. VIRGINITATIS MEÆ.] Illius temporis, quo adhuc virgo existens nullis me prostitueram, id est, nullis commaculaueram peccatis.

13. CONFRINGATVR.] Supplendum, si vel minimo peccato assensus ero.

14. SANGVINIBVS.] id est, pœna debitâ sanguini Vriæ à me effuso: quod ipsum tu de Christi pretiosissimo à te etiam effuso intellige.

15. QVÆRE.] vt scilicet me ad verum pastorem reducas.

Perseuerantia.

§. 1. Postulantis perseuerantiam in bono.

Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea. Ps. 16. 6.

Ne [1] proijcias me à facie tua, & [2] spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Psalm. 50. 12. 13

Redde mihi lætitiam salutaris tui; & spiritu [3] principali confirma me.

Psalm. 67.29. Manda Deus virtuti tuæ, confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

Ioan.15.4. * Mane in me, & ego in te. Sicut palmes nó potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec ego nisi in te manſero.

Lucæ 8.13. * Fac ne sim bone Iesu de his qui ad tempus credũt, & in tẽpore tentationis recedũt.

Ps.89.3. Ne auertas me [5] in humilitatem: & dixisti Conuertimini filij hominum.

Vide verbo Mandata §.6.

§.2. Proponentis perseuerantiam.

Iustificationem, quam cœpi tenere, non deseram.

Rom.8.5. *Nihil me separabit à charitate Christi, non tribulatio, non angustiæ.

Vide Mandata §.2.

ANNOTATIONES.

1. PROIICIAS.] id est, ne me deseras non amplius in gratiam recipiendum: parum enim mihi esset super niuem dealbari, si tandem à facie tua cum reprobis proiiciendus essem.

2. SPIRITVM.] Qui in me manens me in tua gratia æternum conseruet.

3. PRINCIPALI.] id est, Spiritu Sancto, qui Princeps est omnium spirituum.

4. MANDA.] id est, Impera potentiæ tuæ, vt opus in me inchoatum bonæ vitæ & virtutis conseruet.

5. IN HVMILITATEM.] id est, ad vilia & abiecta, ad peccata ne sinas me auerti à te vero

&

& pretioso bono: cuius petitionis causam subdit & dixisti, id est, quia dixisti scilicet per prophetas Conuertimini, &c. q.d. Æquum est te nõ sinere me labi in peccata, qui ad eorum fugam cohortatus es genus humanum.

Resignatio.

Resignantis sese ad dura quælibet & aspera. Magister sequar te quocumque ieris. Matth. 8.19.

Ego in flagella paratus sum, & [1] dolor meus in conspectu tuo semper. Psalm. 37.18.

Holocaustum & [2] pro peccato non postulasti, [3] tunc dixi, ecce venio. Psalm. 39.10.

[4] Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, [5] cantabo & psalmum dicam. Psalm. 56.10.

Non mea sed tua voluntas fiat. Matth. 26.42.

[6] Calicem salutaris accipiam [7] & nomen Domini inuocabo. Psalm. 115.4.

Sicut fuerit voluntas in cælo sic fiat. 1.Mach. 3.60.

Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum? si Dominus incitat te aduersum me, [8] odoretur sacrificium. Iosue 5. 14. 1.Reg. 26.19.

A Domino egressus est sermo non possimus extra eius placitum loqui quidquam. Gen. 24 50.

Dominus præcepit: & quis est qui audeat dicere quare sic fecerit? 2. Reg. 16.10.

* Quis ego vt contradicam Domino meo? Omne quod erit ante oculos tuos bonum & optimum faciam. Quicquid autem tibi placuerit, hoc erit mihi optimum omnibus diebus vitæ meæ. Iudith. 12.13. 14.

A N-

ANNOTATIONES.

1. DOLOR.] id est, peccatum, quod mihi doloris continui causa est.

2. PRO PECCATO.] id est, hostiã pro peccato.

3. TVNC DIXI.] q d. Cognoscens te non magnoperè illi postulare magisq; tibi placere promptã ad omnia voluntatem, ecce paratum me exhibeo tibi in omnibus obsequi.

4. PARATVM, &c.] id est, paratus sum viuere, paratus sum mori, paratus conculcari, paratus imperare.

5. CANTABO.] Supple misericordiam & Iustitiam.

6. CALICEM.] id est, amara quæcumque sustinebo, quia licet amara, at salutaria sunt.

7. ET NOMEN, &c.] Vt scilicet hunc ipsum calicem haurire valeam intrepidè, fortique animo.

8. ODORETVR.] q.d. Paratus sum occidi, & quasi hostia pro peccato immolari; peto tantum vt mea mors Deo sit accepta, vt odor sacrificij.

Resurrectio. Vide *Gloria*. Vide *Spes* §. 3.

Ps. 84. 7. Postulantis eius gloriam. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.

Philipp. 3, 21. Quando reformabis, ô bone Iesu, corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis tuæ?

AN-

ANNOTATIONES.

1. MISERICORDIAM.] Eam perfectã petit, vt & salutẽ (quam quidẽ vocat salutare) quarũ vtraque perfecta erit in resurrectione, cùm & corpore & animo beati erimus.

Salus animæ.

Petentis animam suã saluari. Custodi[1] animam meam, quoniã[2] sanctus sum, saluũ fac seruum tuum Deus meus sperantem in te. Psal. 85. 2.

Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Psal. 68. 1.

Saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me. Psal. 7. 2

Tuus sum ego, saluum me fac. Psalm. 118. 94.

ANNOTATIONES.

1. ANIMAM.] Vndique ab hostibus obsessam ne æternum pereat.

2. SANCTVS.] Quia sanctæ fidei & Religionis cultor.

Sanitas.

Eam petentis.

Fac me Domine plenius benedicere te, & sacrificium tibi laudis tuæ & meæ sanitatis offerre, vt cognoscat vniuersitas gentium, quia tu es Deus solus in vniuersa terra. Tob. 8. 19.

Sapientia.

Postulantis eam. Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis. Sap. 9. 4

*Mitte sapientiam de cælis sanctis tuis, & Sap. 9. 10.

& à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te.

Sap. 9. 17. Sensum tuum ô Domine quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis.

Spes.

§. 1. Sperantis in Deo in rebus aduersis.

Hier. 20 31. Dominus mecum est quasi bellator fortis, idcirco qui persequuntur me, cadent, & infirmi erunt; confundentur vehementer.

Thren. 3. 25. * Bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te, pars mea Domine dixit anima mea, propterea expectabo te.

Thren. 3 26. 31. Bonum est præstolari cum silentio salutare tuum Domine, quia non repelles in sempiternum.

Iob 13. 15. Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.

Ps. 22. 4. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Ps. 3. 34. Multi dicunt animæ meæ non est salus ipsi in Deo eius. Tu autem Domine, susceptor meus es, gloria mea, & exaltãs caput meum.

Psal. 3. 7 Nõ timebo millia populi circũdantis me: exsurge Domine saluũ me fac Deus meus.

Ps. 41. 7. Spera in Domino, quoniã adhuc cõfitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus.

Videndi etiam psalmus 26. & ps. 141. v. 7. ps. 24. v. 1. & 7. ps. 30. v. 8. & 18. ps. 45. 2. ps. 5. 1. 11. ps. 55. 4. ps. 59. 13. ps. 60. 2. &c. ps. 61. 7.

Spe-

§.2. Sperantis remissa sibi peccata. Signasti quasi in sacculo peccata mea, sed curasti iniquitatem meam. Iob 14. 17.

§.3. Sperantis resurrectionem.

In [2] nidulo meo moriar, & sicut [3] palma multiplicabo dies. Iob 29. 18.

Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Iob 19. 25.

§.4. Sperantis vitam æternam: Credo videre bona Domini in terra viuentium.

§.5. Petentis spem suã nõ frustrare. Suscipe me secundùm eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Psalm. 118.116.

Adhæsi testimoniis tuis Domine, noli me confundere. vide etiam Ps.30.2. Ps.70.1. Psalm. 118.31.

§.6. Agnoscentis in vno Deo sperãdum. Dominus mihi adiutor, nõ timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. Ps.117.6. 7.8.9.

ANNOTATIONES.

1. SIGNASTI, &c.] q.d. Licet ea habeas perspecta, & veluti asseruata diligenter, cõfido tamen te ea remisisse, pœnitudine mea ad id permotum.

2. NI-

2. NIDVLO.] id est, quiete.

3. PALMA.] Quæ diutissimè viuit & viret, alij vertunt phœnix: vnde fieri potest (inquit Beda) vt sanctus Iob in similitudinē Phœnicis se per mortem in cinere carnis suæ resolutæ, tamquam in nido moriturum dixerit, indeque speraſſe se resurrecturum vt phœnicem in gloriam & æternitatem.

Spiritus Sanctus.

Postulantis eius aduentum.

Cant. 4. 16. [1] Surge [2] Aquilo, & veni [3] Auster, perfla hortum meum, & fluent [4] aromata illius.

Psalm. 103. 31. Emitte spiritum tuum, & [5] creabuntur, & renouabis faciem [6] terræ.

Psalm. 142. 11. *Spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam.

ANNOTATIONES.

1. SVRGE.] id est, abi.

2. AQVILO.] per quem Satanas accipitur, est enim aquilo ventus frigidus & siccus ac noxius terræ fructibus, quæ facilè est applicare dæmoni.

3. AVSTER.] ventus est calidus & humidus, aptum Spiritus Sancti symbolum, qui calore vitali, charitatis, ac gratiæ cælestis humore corda fouet & replet.

4. AROMATA.] id est, omnis generis virtutes se prodent.

5. CREABVNTVR.] id est, producentur ab eo varia gratiarum dona in me.

6. TER-

6. TERRÆ.] id est, animæ meæ.

Superbia. V. humilitas.

Eam deprecantis. Nō veniat mihi [1] pes superbiæ, [2] ibi ceciderūt qui operātur iniquitatē, expulsi sunt nec potuerunt stare. Extollentiam oculorum meorū ne dederis mihi. Pſ.35.12 Eccl. 23 5.

ANNOTATIONES.

1. PES.] id est, affectus.

2. IBI CECIDERVNT.] id est, per superbiā. Patet ex facto Angelorum & primorum parētum, quorum alteri è cælo, alteri è paradiso expulsi: atque initium omnis peccati superbia.

Tentatio. V. Tribulatio. Oratio. Peccatum.

§. 1. Petentis opem diuinam in tentatione. Pſ.73.20 Ne tradas [1] bestiis animā confitentem tibi, & animā pauperis tui ne obliuiscaris in finem.

Custodi me à [2] laqueo quem statuerūt mihi. Vide psal. 139. Domine inuadit me. Pſ.140. 10. Tobiæ 6.

§. 2. Desiderantis finem tentationū. Quot sunt [3] dies serui tui? quando facies de persequentibus me iudicium? 3. Pſal.118. 84.

§. 3. Postulantis victoriam in tentatione. Pſ.12.4. Illumina oculos meos ne vmquam obdormiam in [4] morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui aduersus eum.

Respice in me, & miserere mei, da [5] imperiū tuum puero tuo, & saluum fac filiam ancillæ tuæ. Fac [6] mecum signum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundan- Pſal.85. 15.

tur, quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.

Iudith. 9.14. Da mihi in animo constantiam, vt contemnam illum, & virtutem vt euertã illum.

§.4. Resistentis tentationi Vade post me Satana, non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Vide verbo Peccatum. §.8.

§.5. Resistẽtis homini sollicitãti ad malũ.

2.Reg. 19.22. * Quid mihi & tibi? Cur efficeris mihi hodie in Satan.

§.6. Agnoscentis victoriam tentationum, hostiumque omnium à Deo esse.

Psalm. 17.32. In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.

Psal. 17. 34. * Tu Deus meus præcinxisti me virtute, & posuisti immaculatam viam meam.

Videndi etiam versus, 40.43.44. & psalm. 143. v.1.

Ps.117. 13.14. * Impulsus euersus sum vt caderem, sed tu ô Domine suscepisti me: fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus es mihi in salutem.

Psalm. 117.15. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem.

ANNOTATIONES.

1. BESTIIS.] id est, dæmonibus, quauis bestia & fera crudelioribus.

2. LAQVEO.] Tentationum scilicet.

3. DIES.] Quibus scilicet durabit tentatio.

4. MORTE.] Peccati scilicet.

5. IMPE-

5. IMPERIVM.] In hostes, fac vt eis pręualeam.
6. SIGNVM.] id est, ostende in me signum aliquod, quod rem bonam, id est, gratiam & fauorem tuum manifestet.

Terra.

* Terræ fruges postulantis. Visita terram, Psal. 64.
& [1] inebria eam, [2] multiplica locupletare 19. 10.
eam. para cibum [3] illorum.

[4] Riuos eius inebria, multiplica genimina Ps. 64. 11
eius, in [5] stillicidiis eius lętetur germinans.

[6] Benedic coronæ anni benignitatis tuæ, & Ps. 64. 12
campi tui repleantur vbertate.

Pingueſcant speciosa deserti, & exultatio- Ps. 64. 13
ne colles accingantur.

Da nobis Domine de rore cœli, & de pin- Gen. 27.
guedine terræ abūdantiam frumenti & vini. 28.

ANNOTATIONES.

1. INEBRIA.] Explicat quomodo optet visitari, scilicet aquarum irrigatione, sine qua sterilis est terra.
2. MVLTIPLICA LOCVPLETARE.] id est, multum illam locupleta, seu bonis omnibus refertam redde.
3. ILLORVM.] Hominum & animantium.
4. RIVOS EIVS.] id est, terræ sulcos abundanter irriga.
5. STILLICIDIIS EIVS.] id est, In Dei pluuia desuper cadente.
6. BENEDIC.] id est, benefac tua benignitate totius anni reuolutioni.

Timor Dei.

Psal.118 20. Postulantis eum. Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.

Ps.33.12. * Timorem tuum doce me.

Ps.2.11. * Fac vt seruiam tibi in timore, & exultem tibi cum tremore.

Ps.86.17 Lætetur cor meum [1] vt timeat nomẽ tuũ.

ANNOTATIO.

1. VT TIMEAT.] Peto lætitiam, sed cum timore coniunctam.

Tribulatio.

§.1. Postulãtis consolationẽ in tribulatione.

Ps.30.25 * Absconde me [1] in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.

Hier.14.8. §.2. Petentis nõ deseri tẽpore tribulationis.

[2] Expectatio mea, saluator mi in tẽpore tribulationis? [3] quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinãs ad manendũ.

§.3. Petentis liberari.

Iob 7.16 [4] Parce mihi Domine nil enim sũt dies mei.

Iob 7.19 Vsquequo non parcis mihi, nec dimittis me vt glutiam saliuam meam? videndi etiam duo sequentes versus.

Iob 13.21. [5] Manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat.

Iob 13.25. Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris: atque alia eodem capite. Vide etiam totum cap.14. maximè versu 13. & 14.

Ps.9.14. Miserere mei Domine, vide [6] humilitatem meam

meam de inimicis meis.

Vt quid Domine recessisti longè, despicis in opportunitatibus in [7] tribulatione? Ps. 9. 22.

Videndi etiam psalmus 12. 1. ps. 16. 8. psal. 30. 1. ps. 38. 13. & 14.

§. 4. Recensentis tribulationes suas.

Consulendus Iob c. 16. à v. 9. & c 17. à v. 6. & c. 19. à v. 7. & c. 23. v. 1. & 2.

Pharetram suam aperuit Dominus, & afflixit me, [8] & frænum posuit in os meum. Iob 30. 11.

In memetipso marcescit anima mea, & possident me dies afflictionis. Iob 30. 16.

Comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ & cineri. Iob 30. 19.

§. 5. Agnoscentis se iustè puniri. Peccaui, & verè deliqui, & vt erã dignus non recepi. Iob 33. 27.

*Iustus es Domine, quia os tuum ad iracundiam prouocaui. Thren. 1. 18.

*Ego iniquè egi, & te ad iracundiam prouocaui, ideirco inexorabilis es. Thren. 3. 42.

*Peccaui, impiè egi, iniquè gessi Domine Deus meus in omnibus iustitiis tuis: auertatur ira tua à me. Baruch. 2. 12.

*Peccaui: & in amaritudinibus moratur oculus meus. Iob 17. 2

*Domine fac propter nomẽ tuũ, quoniam multæ sunt auersiones meæ, tibi peccaui. Hier. 11. 7.

§. 6. Confugientis ad Deum in tribulatione. Domine fortitudo mea & robur meum, & refugium meum in die tribulationis. Hier. 16. 19.

Hier. 31.16. §.7. Seipsum consolantis in tribulatione. Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo.

§.8. Prædicantis diuinam consolationem sibi affuisse in ipsa tribulatione.

Ps.22.4. Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.

Ps.22.5. Parasti in conspectu meo [9] mensam aduersus eos qui tribulant me.

§.9. Æquo animo ferentis tribulationem.

Iob 2. 10. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?

Iob 1.21. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit ita factum est, Sit nomen Domini benedictum.

1.Reg.3. 18. [10] Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.

§.10. Gaudentis in tribulatione.

Abac. 3. 17. Ficus non florebit, & non erit germen in vineis: mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum: abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præsepibus: ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.

2.Cor. 12.10. Placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo: cùm enim infirmor tunc potens sum.

Iob.34. 36. §.11. Postulantis tribulari ob peccata.

* Pater mi probetur seruus tuus vsque ad finem,

finem,ne desinas ab homine iniquitatis.

11. Postulantis nouas tribulationes.

Quis det vt veniat petitio mea,&quod expecto tribuat mihi Deus,& qui cæpit ipse me conterat,[11] soluat manũ suam & succidat me? Iob.6. 8.9.

*Hæc mihi sit cõsolatio vt affligés me dolore nõ parcas,nec contradicã sermonibus tuis. Iob.6. 10.

[12] Pone me iuxta te & cuiusuis manus pugnet contra me. Iob.17.3

§.12. Postulantis ne occasione tribulationis peccet. Non rogo vt tollas me de mundo, sed vt serues me à malo. Ioan.17. 15.

§.13. Proponentis Deo suam tribulationem,licet nihil petat.

*Domine puer tuus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Matth. 8.6.

Domine anima mea malè à dæmonio torquetur. Matth. 15.22.

Vide etiam supra verbo Oratio. §. 1. ex Ioan.11.v.3.

§.14. Agnoscentis tribulationis fructum.

Castigasti me Domine, & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus. Hier.31. 18.

Bonum mihi quia humiliasti me,vt discam iustificationes tuas. Psal.118. 71.

§.15. Laudantis Deum post tribulationem. Hier.20.

Cantate Domino,laudate Dominum,quia liberauit animã pauperis de manu malorum. 13.

Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Ps. 123. 6.

Tobiæ 11.17. Benedico te Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, & tu saluasti me.

Psal. 29. 1.13. Agnoscentis se à Deo liberatum, eique promittentis laudes.

[13] Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitiâ, vt cantet tibi [14] gloria mea, & non [15] compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

Videndi etiam psalmi 39. v. 1. 2. 3. 4. & psal. 123. integer, & alibi frequenter.

ANNOTATIONES.

1. IN ABSCONDITO FACIEI.] id est, in loco abdito, qui est faciei tuæ contemplatio, qui enim raptus est ad Dei contemplationem, is summam experitur suauitatem, nec curat aduersa, quæ homines conturbare solent.

2. EXPECTATIO.] id est, spes.

3. QVARE, &c.] Cur me deserturus es, sicut facit aduena & peregrinus, qui post vnius noctis moram aliò transit.

4. PARCE.] Non hîc de peccatis agitur, sed de morbo & supplicio.

5. MANVM.] Scilicet punientem.

6. HVMILITATEM.] id est, afflictionem, quæ mihi ab inimicis affertur.

7. OPPORTVNITATIBVS.] id est, cum maximè opportunum & tempestiuum est iuuare me, tempore scilicet tribulationis.

8. FRÆNVM.] Vt solet equo domando, id est, morbum & alias calamitates.

9. MEN-

9. MENSAM.] id est, sanctissimam Eucharistiam vel sacras litteras, verum animæ afflictæ pabulũ, vel cælestes oblectationes.

10. Verba sunt Heli Sacerdotis, postquam ei multa, domuique suæ aduersa prædixerat puer Samuel.

11. SOLVAT.] Qui enim parcit, videtur habere manum ligatam.

12. PONE, &c.] Per amorem scilicet & feruentem dilectionem, tumque nihil morabor aduersa omnia, quæ ab hominibus inferri possint.

13. CONSCIDISTI SACCVM.] id est, luctum, qui sacco fit, omnem absterssisti.

14. GLORIA.] id est, Gloria qua me liberando affecisti.

15. COMPVNGAR.] id est, non doleam peccati conscientia.

Verecundia.

Postulantis eam. Animæ irreuerenti, & infrunitæ ne tradas me. Eccl. 23. 6.

ANNOTATIONES.

IRREVERENTI.] id est, Impudenti: est impudentia multorum vitiorum maximè carnalium mater.

INFRVNITÆ.] id est, stolidæ: à stoliditate proficiscitur inuerecundia, sicut contra honestas & pudor à Sapientia.

Victoria de hostibus. Vide *Bellum*.

§. 1. Postulantis eam.

Deut.33 11. Percute dorsa inimicorum nostrorum, & qui oderunt nos non consurgant.

Iudith. 6.15. * Domine Deus cæli, & terræ intuere superbiam inimicorum nostrorum, & respice ad nostram humilitatem, & faciem sanctorum tuorum attende: & ostende quoniam non derelinquis præsumentes de te, & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias.

Ps.58.12 Disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.

Ps.82.14 Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Videndus totus hic psalmus.

Exod. 15.16. Irruat super eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui.

§.2. Agnoscentis victoriam omnem à Deo existere. Vide. verbo Tentatio. §.5.

Psalm. 3.& 4. Manus tua gentes disperdidit, & [1]plantasti eos, afflixisti populos & expulisti eos, nec enim in gladio nostro possedimus terram, & brachium nostrũ, & [2]illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in nobis. Vide etiam quatuor sequentes versus.

* Non manus nostra excelsa, sed Dominus fecit hæc omnia.

ANNOTATIONES.

PLANTASTI EOS.] Scilicet Patres nostros, quibus inimicorum vrbes tradidisti, & quasi plantasti in iis, quãdo eas tuo iussu habitarũt.

ILLV-

2. ILLVMINATIO.] id est, fauor tuus.

Vindicta diuina.

§. 1. Postulantis eam in se affligentes.

Vsquequo Domine sanctus & verus non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? Apoc. 6. 10.

' Iudica Domine nocentes, expugna impugnantes me. Psalm. 34. 1.

Frequentissima est hæc aspiratio in psalmis.

§. 2. Postulantis vt in se sæuiat diuina vindicta.

Ego sum qui peccaui, & ego iniquè egi, isti qui oues sunt quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum Patris mei. 2. Reg. 24. 17.

ANNOTATIO.

1. IVDICA.] id est, Puni.

Virtus.

Petentis eam.

*Possideam mi Domine virtutem, quia auro melior est, & acquiram eam, quia pretiosior est argento. Prou. 16. 16.

Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi. Ps. 118. 66.

ANNOTATIO.

BONITATEM.] Rectus ordo, vt primo bonitas seu virtus, qua absolutè homo bonus est, petatur tum disciplina seu prudentia, demum scientia: quod contrà plerique faciunt.

Vita

Vita Vide *Lumen*.

Ps.24.4. §. 1. Petentis lumen ad vitæ statum deligendum.

5. [1] Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me; dirige me in veritate tua, & edoce me, quia tu es Deus Saluator meus.

§. 2. Agnoscentis vitæ breuitatem.

Eccl. 18. 8. Quid est homo, cuius numerus dierum vt multum centum anni, quasi [2] guttæ a quæ maris deputati sunt, & sicut calculus arenæ sic exigui anni in die æui?

Ps.38.6. *[3] Mensurabiles posuisti Domine dies meos, & substantia mea tamquam [4] nihilum ante te.

Ps.38.6. Vniuersa vanitas omnis homo viuens.

[5] In imagine pertransit homo.

§. 3. Petentis vitæ necessaria ad victum cultumque corporis.

Prou. 30.8. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria.

ANNOTATIONES.

1. VIAS TVAS.] id est, eam viæ & vitæ rationem, quæ tibi imprimis probatur.

2. GVTTÆ.] id est, centum illi anni ad æternitatem Dei propriam collati, non aliter se habent, ac guttæ respectu totius maris, aut calculus vnus, respectu innumerabilis arenæ: quasi dicat nullam esse comparationem vitæ humanæ & diuinæ cum illa finita sit, hæc infinita.

3. MEN-

3. MENSVRABILES.] Ac proinde breues: quidquid enim sub mensuram cadit, vtique breue est.

4. NIHILVM.] Non modò breues sunt dies nostri, at substantia seu subsistentia nostra & duratio nihil est ante oculos Dei.

5. IN IMAGINE.] id est, instar inanis vmbræ quæ imago rei est, non res ipsa, percurrit homo vitæ huius stadium.

Zelus Vide *Amor diuinus*.

§. 1. Postulantis zelum animarum.

Zelus domus tuæ comedat me Domine. Ps.68.10

Defectio teneat me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Psal.118. 53.

Tabescere me faciat zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici tui. Psal. 18

§. 2. * Exercentis zelum animarum. Contere sceleste & peccatores simul, & qui te dereliquerunt consume. Isai 1.28

Deficiant peccatores à terrâ, & iniqui, ita vt non sint. Ps.103. 35.

Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes, quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum. Ps.54.16

Vide etiam psal. 108. ferè totum.

Vtinã abscondantur qui vos conturbant. Gal.5.12

Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas nostras. Cant. 2. 15.

Sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereãt peccatores à facie Dei. Ps.67.3.

Ps.44.7. [2] Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis.

Ps.64.2. [3] Exaudi orationem meam ad te omnis caro veniat.

ANNOTATIONES.

1. VVLPES.] id est, hæreticos dolosos, & astutos vt vulpes, quibus tempestiuè obuiandum priusquam grandescant. Possunt etiam per vulpes, mali omnes intelligi, quorum conatus ipso statim initio comprimendi, ne animarum vineas demoliantur.

2. SAGITTÆ.] Intellige prædicationem verbi Dei, aut cælestes eius inspirationes, quibus confixi inimici Regis id est, peccatores, concidunt, eique se dedunt.

3. EXAVDI.] id est, Si me exaudies orantem pro omnium hominum salute, omnes ad te venient per fidem, spem, & charitatem omnes te laudabunt, omnes te colent donis & votis. Amen, amen. Fiat fiat.

FINIS.

Ad maiorem Dei opt. max. sanctißimæq; Deiparæ, & Sanctorum omnium gloriam.

ERRATA

quæ remorari possent Lectorem : cætera benignè agnoscet, & per se corriget.

Pag. 4. *lin.* 7. *lege* pro. *p.* 9 *l.* 4. *l.* ad hæc quod. *p.* 15 *l.* 5. *l.* ara. *p.* 39. *l.* 3. *l.* halitu. *p.* 42. *l* 23. *l.* nec. *ibid. lege* & ad cælestes. *p.* 72. *l.* 18. *l.* insistet. *p.* 83 *l.* 8. *l.* Capiti. *p.* 89. *l.* 27. *l.* verò. *p.* 116. *l.* 7. *l.* animorum. *p.* 139 *l.* 10. *l.* aspirationum. *p.* 140 *l.* 13. *l.* non obsecundet. *p.* 144. *l.* <. *l.* informationem. *p.* 146. *l.* 20. *l.* patente. *p.* 148. *l.* 5. *l.* sisque. *p.* 173. *l.* 20. *l.* gratum. *p.* 186. *l.* 15. *l.* lenitas. *p.* 189 *l.* 14. *l.* Rara. *p.* 207. *l.* 10. *l.* verò. *p* 214. *l.* 9. *l.* sed si. *p.* 221. *l.* 28. *l.* vt à. *p.* 233. *l.* 1. *l.* diffidenti. *p.* 242. *l.* 30. *l.* inse. *ibid. l.* 23. *l.* impunitatem. *p.* 253. *l.* 9. *l.* continente. *p.* 264. *l.* 25. *l.* alternis. *ibid. l.* 27. *l.* quia. *p.* 266. *l.* 20. *l* anchoræ fune. *p.* 269 *l.* 17. *l.* imitatio. *ibid. l.* 22 *l.* memores. *p.* 277. *l.* 5. innumera. *ibid. l.* 8. *l.* Itidem. *ibid. l.* 21. *l.* nulla. *p.* 282. *l.* 4. *l.* sumamus. *ibid. l.* 10. *dele* A. *p.* 288. *l.* 8. *dele* dum id semel. *p.* 302. *l.* 2. *l.* tibi. *p.* 307. *l.* 27. *l.* ipsis. *p.* 311. *l* 16. *l.* factum. *p.* 319. *l.* 10. *l.* interioribus. *p.* 327. *l.* 2. *l.* interior. *p.* 349. *l. vlt. l* at. *p* 349. *l.* 18. *l.* sensis. *ibid. l.* 28. *l.* precandi. *p.* 358. *l.* 5. *l.* imperuium. *p.* 368. *l. pen. l.* fletibus. *p.* 372. *l. vlt. l.* præeminere. *p.* 382. *l.* 19. *l.* hoc eum. *p.* 387 *l.* 27. *l.* quia magna. *p.* 394. *l.* 3. *l.* sed interpretes. *p.* 410. *l.* 11. *post* aliæ non *pone* (.) *p.* 417. *l.* 17. *l.* supplicationis. *p.* 418. *l.* 7. *l.* Tursellinus. *p.* 423. *l.* 10. *l.* inde fit. *ibid. l.* 11 *post* probatumque *pone* (.) *p.* 430. *l.* 2. *l.* si diuiserit *p.* 437. *l. vlt. l.* delibata. *p. ibid. l.* 20. *l.* prauæ *p.* 484. *l.* 29. *l.* à turba. *p.* 476. *l.* 21. *l.* digerenda. *p.* 483. *l.* 20. *l.* sæuum. *p.* 497. *l.* 12. *l.* illis. *p.* 501. *l.* 24. *l.* merita debitam. *p.* 505. *l vlt. l.* peto. *p.* 506. *l. pen. l.* cui. *p.* 544. *l.* 19. *l.* pridem. *p.* 545. *l.* 26. *l* honore. *p.* 653. *l.* 14. *l.* cum illis aut eorum. *ibid. l.* 23. *l.* hunc in finem. *p.* 557. *in Annot.* n. 1. *dele* id est. *p.* 559. *in Annot.* n. 1. *l.* At innuere vult. *p.* 570. n 15. *l.* fructus pomorum ponitur pro. *p.* 572. n. 5. *l.* ex donata. *p.* 575. n. 2. *l.* quamque bibam.

Collegij Societ. Jesu Paderb.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Balin-
gen S.I.
oIV
17